LOGICA CRITICA,

SIVE

ARS UNIVERSÆ SAPIENTIÆ STUDIUM
RITE INSTITUENDI,
EX
PROBATISSIMIS VETERIS
AC
MODERNI OEVI SCRIPTORIBUS
METHODO CLARA
ET
SYSTEMATICA CONCINNATA,
ATQUE IN TRES PARTES,
THEORETICAM, PRACTICAM
AC
DISPUTATORIAM
DIVISA,
USIBUSQUE ET CAPTUI
PHILOSOPHIÆ ÆQUE AC THEOLOGIÆ CANDIDATORUM
ADAPTATA

A
P. HERMANNO OSTERRIEDER,
ORD. MIN. S. P. FRANC. CONVENTUALIUM,
p. t. IN STUDIO MINORITICO RATISBONENSI
PHILOSOPHIÆ LECTORE ORDINARIO.

Cum Licentia Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
SUMPTIBUS MATHÆI RIEGER,
BIBLIOPOLÆ.

Typis JOANNIS MICHAELIS ENGLERTH, Aulici & Episcopalis Ratisbon. Typographi MDCCLX.

Hæc eſt ſcientiarum formatrix atque Judex, omniumque diſciplinarum diſciplina, - - hæc docet diſcere, in hac ſe ipſam ratio demonſtrat atque aperit, quæ ſit, quid velit, quid valeat. Scit ſcire, ſola ſcientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt. S. AUGUSTINUS *de* Logica *L. 2. contra Creſconium C. 2.*





BENEVOLO LECTORI!



F*Aciendi plures libros nullus est finis*, dudum asseruit sapientissimus ECCLESIASTES c. 12. v. 12. Id vero si unquam, hocce præsertim ævo frequentissimum esse Benevole Lector abunde rescies, & miraberis forsan, cur, cum tanta sit copia librorum, de rebus præsertim Philosophicis ubique gentium, & ab authoribus quidem præstantissimis editorum, cur, inquam, eorum turbæ non exoratus memet immiscere, & *velut anser*

inter olores perstrepere audeam? ast Consilii mei rationem prius paucis accipe, & tum primum de illius vel æquitate vel temeritate justam, & ab omni affectione vacuam sententiam profer. Scio equidem, plurima eaque Doctissima volumina, res philosophicas pertractantia publici Juris jam esse facta, ast eorum quoque pleraque (paucissima si exceperis) sic facta esse scio, ut vel ob nimiam voluminum multitudinem, materiarumque amplitudinem, vel ob imperscrutabilem styli, ad Leges Mathematicas plus æquo exacti subtilitatem, tyronum ingenia excedant, doctis magis quam docendis accommoda, vel etiam ob nimiam styli brevitatem, materiarumque, Theologiæ præsertium inservientium, egestatem deficiant, ad præparandos pro studio Theologico Philosophiæ Candidatos minus sufficientia, vel denique ob dictum soli authoritati potius, quam veritati sacramentum viam planam ac facilem ad intelligenda utriusque Philosophiæ tam antiquæ quam novæ (hodierno sæculo non minus utilis quam necessariæ) placita non pandant; hinc Religiosis Philosophiæ tyronibus, quibus instituendis per


ali-

aliquot jam annos S. me obedientia destinavit, pro virium mearum tenuitate profuturus, postquam diu multumque deliberaveram, arrepto tandem Calamo præsens hoc opusculum, domesticos intra parietes conceptum, scriptisque traditum, nunc vero hinc inde magis expolitum, iisdem ipsis (quos omnes in Domino suavissime amplector) transmitto atque communico. Invenient hic illi regulas Logicales, a nimia earum farragine ac subtilitate, ingenium sæpe magis onerante quam informante, perpurgatas, atque ad Leges sanæ artis Criticæ (facultatis ad verum solidumque de rebus omnibus ferendum judicium inprimis accommodatæ) ita exactas, ut nihil, quod a Logica exspectari possit, ad universæ sapientiæ studium rite instituendum (quoad generalia saltem principia) desiderari sim passus, a facilioribus ad difficiliora identidem progrediendo. Sed & regulas ipsas Logicæ Theoreticæ communes exemplis, ubicunque fieri commode potuit, ex Theologia, maxime Polemica' depromptis sic illustrare sum conatus, ut vere exinde pateat, eam, uti artium

& facultatum cæterarum, ita & Theologiæ addiſcendæ inſtrumentum famulamque exiſtere. Quoniam porro Philoſophia Neoterica apud non nullos (inter Philoſophiam Neotericam Catholicorum & Acatholicorum non diſtinguentes) acerbius, quam par eſt, vapulat, utriusque Philoſophiæ Peripateticæ & Mechanicæ principia ad Logicam ſpectantia, earumque definitiones tantum nominales, uti vocant, clare & breviter attigiſſe contentus, cætera Metaphyſicæ Phyſicæque reſervo, quam utramque (ſi benigni concedant ſuperi, ſuperioresque) ſuo tempore pariter ſic pertractabo, ut innocuum Mechaniſmum pro ſenſu reali & Phyſico aſſumendo, nec tamen conceptus Metaphyſicos pro ſenſu Metaphyſico ac ideali aſpernando, & fidei ſalvandæ, & rationis ſenſuumque ſano conceptui abunde ſatisfacturum me ſpondeam. Hoc unum Tyrones adhuc monitos eſſe velim, ut Diſſertationes Logicæ Theoreticæ cum diſſertationibus Logicæ practicæ promiſcue ſic legant, ut priores cum poſterioribus legendo abſolvant; has enim cum illis ex toto eſſe connexas concatenatasque legentibus patebit, ſimulque

per

per priores ingenium ipsorum; per posteriores autem judicium firmabitur; cum per Logicam practicam in tota parte secunda nil aliud fere nisi artem criticam intelligam, cujus usus hoc sœculo sane maximus ac utilissimus existit. Igitur tu Lector Benevole auditis rationibus hisce primum hunc ingenii mei partum, in quo edendo manum obstetricantem me habuisse gratus confiteor plurium Doctissimorum (quos semper cum reverentia nomino) rei philosophicæ scriptorum, pro commodo tyronum, queis unice hoc opus, ut dixi, qualecunque consecro, æqui bonique consule; & si quid rectum in eo invenis, DEO bonorum omnium largitori maximo adscribe; si quid vero ineptum, erroneum ac immaturum deprehendas, mihi ignosce, qui, cum homo sim, nihil a me humani alienum esse puto. Vale!



CONSPECTUS TOTIUS LIBRI.

PARS I. THEORETICA.

Sive de Natura, & Characteribus Operationum Mentis.

DISSERTATIO I.

De simplici Mentis apprehensione.

DISSERTATIO II.

De Judicio, & propositionibus.

)(5 SECTIO


DISSERTATIO III.

De Discursu, & Syllogismis.

Sectio

DISSERTATIO IV.

De Methodo.



PARS

PARS II. PRACTICA.

SIVE DE USU ARTIS LOGICO-CRITICÆ.

DISSERTATIO I.

De diversis animi morbis, seu erroribus, eorumque remediis.

DISSERTATIO II.

De criterio veritatis, & arte critica.

DISSERTATIO III.

De recto usu Argumentationum.

Art.

DISSERTATIO IV.

De Methodo.

Sectio



PRO-



PROLEGOMENA
UNIVERSÆ
PHILOSOPHIÆ.



I.

TRiplex in genere datur rerum *cognitio*. 1. HISTORICA, qua ſimpliciter rem aliquam *eſſe factam* aut *fieri* cognoſcimus, diciturque propterea COGNITIO FACTORUM, AC RERUM EXISTENTIUM, ſimulque VULGARIS, quia Doctis cum VULGO communis eſt. 2. PHILOSOPHICA, qua etiam *cauſas* rei factæ aut exiſtentis percipimus. 3. MATHEMATICA, per quam rei exiſtentis *quantitas* ſive *menſura* nota nobis fit, atque perſpecta, e. g. exploſi forte tormenti bellici ſonum, atque immanem fragorem audiunt indocti æque ac docti,

Quid ſit cognitio hiſtorica?

Philoſophica?

Mathematica?

ideoque *cognitio historica* eſt, ſiquis vero ſupra plebem ſapiens *ſoni* illius, atque *fragoris* ex incenſi pulveris pyrii granulis *cauſas* reddere valet, is *cognitione* gaudet *Philoſophicâ*, qui denique accurate etiam determinare novit, quanta pulveris pyrii moles atque copia ad globum ferreum, ad quingentos aut mille paſſus provehendum ſit neceſſaria, huic *cognitionem* tribuimus *Mathematicam.*

Ad cognitionem Philoſophicam requiruntur ſenſus, & ratio.

II. In cognitione *hiſtorica* (quæ mere per *ſenſus* acquiritur, ideoque in ordine dignitatis omnium *infima* eſt) *fundatur* cognitio *philoſophica*; rei enim, quas omnino ignorat, cauſas reddere quis valet? non ſoli tamen ad cognitionem *philoſophicam* acquirendam ſatis ſunt SENSUS, etſi de cætero optime diſpoſiti, ſed RATIO vel maxime accedat oportet, qua *nexum* & *relationem cauſas inter & effectus* accurate perquirere, enodare, atque in apricum proferre poſſimus. In hunc finem loquitur facundiſſimus Romanorum Conſul TULLIUS. *Lib. I. de offic. Cap. V.*: *Ut quisque maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime, & celerrime poteſt & videre, & ex-*

& *explicare rationem, is prudentissimus & sapientissimus rite haberi solet.*

III. Philosophia igitur *objective*, hoc est *in se* præcise considerata, apte dici potest *cumulus veritatum ex ratione cognitarum de rebus sensibilibus aut etiam de entibus, a rebus sensibilibus, per mentem abstractis. Subjective* vero, seu respectu *subjectorum*, quibus inest, à citato Tullio *Lib. II. de finibus*, definitur: *rerum divinarum* (in quantum hæ scilicet *per rationem solam* cognosci possunt) & *humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia.* Hæc ipsa vero & Sapientiæ definitio est, Nempe conformiter etymologiæ nominis *Philosophiæ*, utpote quæ à græcis hisce vocabulis φίλοσ, *amicus, amator*, & σοφία *sapientia* derivata, quasi Amor Sapientiæ est (Pythagoras autem primus se non σοφὸν, id est *sapientem*, sed φιλόσοφον, hoc est, *sapientiæ amatorem* dici voluit) vel paucis: Philosophia *subjective* considerata dici potest *ea animæ dos atque facilitas, qua homo veritatum naturalium causas investigare, atque distincte perspicere valet.* (II)

Definitur Philosophia objective.

Subjective.

Origo Nominis.

Definitio Wolffii.

IV. Wolffius cum ſuis (nec incongrue) Philoſophiam nominat *ſcientiam poſſibilium, quatenus eſſe poſſunt*, ſive ejusmodi *habitum* atque *perfectionem*, per quam *ratio* reddi poteſt, *cur*, quæ *exiſtunt*, *ita* exiſtant, *nec aliter*, itemque ſcitur, *quomodo poſſibilis ſit*, ſive *quomodo fieri potuerit*, ut hoc aut illud ad *exiſtentiam* pervenerit, atque ut *hoc*, nec *alio modo* pervenerit, prout explicat Baumeisterus *in ſua Philoſ. definit. Num. IV.* qui propterea loco cit. dicit, *Philoſophiam* etiam appellari poſſe *ſcientiam rationis ſufficientis. Philoſophum* vero appellat eum, *qui rationem reddere poteſt eorum, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt*, nam nihil prorſus exiſtit, quod non *rationem* habeat *ſufficientem*, ex qua intelligi queat, & declarari, *cur* potius ſit, quam non ſit? *Cur* fiat potius, quam non fiat? *Cur* fiat hoc modo potius, quam alio, ſecus enim *eſſentiam* ſuam & *exiſtentiam* res illa *exiſtens* haberet ex *nihilo*, quod prorſus implicat.

Et Baumeiſteri.

Quid Philoſophus?

Objectum Philoſophiæ & præſtantia.

V. Inde haud obſcure cognoſcitur *Philoſophiæ amplitudo*, atque *præſtantia*; res enim omnes, quæ *rationem* humanam non tranſcendunt, ad illius obje-

objectum pertinent (III) *Terra* nimirum non minus, quam *Cœli* ac *Sidera*, in *Terra* autem plantæ æque, ac insecta, reptilia, & bruta perfecta, quin & aquæ ipsius, & telluris arcana, fossilia, Thesauri &c. *Cœlorum* vero tam infima, quam Media, supremaque Regio, venti nimirum, nives & grandines, calor & frigus, lux & sonus, fulgura quoque, tonitrua, ac fulmina, Sol & Luna cum cæteris planetis, aliisquæ scintillantibus Cœli facibus &c. Ex quarum contemplatione mentis nostræ capacitas ac perspicacia mirum quantum augetur, ac dilatatur, atque in ipsius DEI T. O. M. tanquam eorum omnium Auctoris & Fontis (quæ sane hominis in hac mortali vita *præstantissima* occupatio est) laudem & amorem animus illustratus assurgit.

VI. *Utilitas* porro tanta est, quanta maxima esse potest, ut singulas Philosophiæ partes accuratiore nonnihil mentis acie contemplanti Luce clarius innotescit: audiatur solummodo, quæ super hac re fuerit mens perspicacissimi non minus Philosophi, quam Oratoris omnium præstantissimi TULLII: *Philosophia*, inquit, *Lib. I.* Utilitas.

TT. QQ. omnium Mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, &, ut ego, inventum Deorum? hæc nos primum ad illorum cultum, deinde ad Jus hominum, quod in generis humani societate situm est, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudivit, eademque ab animo, tanquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videamus. Quare non immerito apud nonnullos hæc facultas quoque audit *scientia Felicitatis humanæ;* Philosophiæ enim (saltem quantum *in se*) *finis* nonnisi *bonus*, ac *optimus* est, ut egregie probat S. AUGUSTIN. *Lib. XIX. de Civ. DEI* dicens: *Nulla homini causa philosophandi est, nisi ut beatus sit, quod autem beatum facit, ipse est finis boni; nulla est igitur causa philosophandi, nisi finis boni.* Et hic quidem finis *ultimus* est, de alio vero magis *immediato* & *proximo* loquitur sæpe laudatus CICERO, dum ait: *Lib. I. de Offic. Cap. II.: Unicus finis est cognitio veritatis, qui alium habet, Pseudo-Philosophus est.* Hunc porro finem vel non intendunt, vel nunquam certe adipiscuntur, tum qui sola, & tam inani quam subtili, nimium à *ratione* remota *speculandi* libidine abrepti atque ireti-

Ac Finis.

Media ad hunc finem.

retiti, non nisi recondita verborum ænigmata, & mysteria, distinctæ notionis expertia proferre amant, tum etiam, qui omni omnino *speculatione* abjecta, nonnisi ad *machinas*, meráque *experimenta*, magis nonnunquam jucunda, quam utilia, hocce præsertim sæculo convertuntur, cum *utrumque* potius medium (*sensus* scilicet, & *Rationem*) ad veram acquirendam *cognitionem Philosophicam* apprime necessariam esse constet (II)

VII. Quoniam res ad Philosophiam spectantes *sensibus* & *ratione* nituntur (n. præc.) *ratio* vero sit illa singularis *Mentis humanæ* vis ac prærogativa, qua in esse suo tanquam *Spiritus* constituitur, apposite Philosophia ipsa (generice loquendo) in geminas partes præcipuas cum Cl. P. FORTUNATO *à Brixia* dispesci valet, quarum una PHILOSOPHIÆ MENTIS, altera PHILOSOPHIÆ SENSUUM Nomen gerat, ad quas partes aliæ omnes determinate referri possunt; nempe ad PHILOSOPHIAM MENTIS *Logica* & *Methaphysica*, quæ ad *intellectum*, una cum *Ethica*, quæ ad *voluntatem* MENTIS pertinet, PHILOSOPHIA

Philosophiæ divisio, In Philosophiam mentis, & sensuum.

vero SENSUUM *Physicam Experimentalem*, five ea omnia, quæ immediate in *sensus* incurrunt, nec per *mentis Ratiocinium* ab objectis fenfibilibus *abstrahi* petunt, comprehendere debet.

Item in Theoreticam, Et Practicam.

VIII. Sunt etiam, qui PHILOSOPHIAM dividunt in THEORETICAM & PRACTICAM: nempe in ampla materiarum Philofophicarum mole (V) nonnullas reperire eft veritates, quas *fcire*, five *fpeculari* tantum debemus, & alias, per quas *agere* quoque docemur, fi *felices* fieri concupifcimus (VI) *Prioris* ergo *generis* veritates illi Philofophiæ parti, quam THEORETICAM, feu SPECULATIVAM vocant, attribuunt, pofterioris autem generis veritates PRACTICÆ adjudicant. Ad *Theoreticam* nempe referunt *Logicam*, *Methaphyficam*, *Phyficam*, & *Pnevmatologiam;* ad *Practiam* vero *Ethicam*, *Politicam*, & *Oeconomicam*, ac *Technologiam*, five *Mathefin applicatam:* hæc autem cum fine *Theoretica* fubfiftere non poffit, *Mathefin* quoque *puram* à *Philofophia* abeffe non poffe contendunt. Hanc divifionem etiam modo plerique fequuntur. Cæterum antequam ulterius progre-

grediar, juvat hic, more eorum qui noviſſime de rebus Philoſophicis ſcripſêre, *de Philoſophiæ ortu & progreſſu* breve quoddam *compendium* præmittere. Igitur

EPITOME
HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ.

IX. PHiloſophiæ Origo ipſi DEO, à quo *omne datum optimum*, & *omne donum perfectum Jac. I. v. XVII.* in acceptis referenda eſt, utpote primo Homini jam ab ipſo mundi exordio plene *infuſa*, quemadmodum S. Scriptura teſtatur *Eccl. XVII. v. III. & ſeq.* & infra pluribus declaratur *in Logica diſputatrice Exercitat. 2.* At Status ille Adami feliciſſimus ſatis exiguo duravit temporis ſpatio, omnesque Adæ Nepotes & culpæ ipſius primigeniæ hæredes, ignorantiæ craſſiſſimæ tenebris involuti, lucem hanc aſpicere modo jubentur, atque aſſiduo labore, & *in vultus ſui ſudore à Magiſtris & Præceptoribus* ſapientiam omnem *acquirere*, ut quotidiana experientia teſtatur, ac in *parvulis* recens natis abunde patet, utpote qui velut *tabula ra-*

Origo Philoſophiæ infuſæ DEus eſt,

Acquiſitæ vero origo Adæ nepotes.

ſa per ſedulam educationem quaſi poliri, primis notionibus velut coloribus imbui, quin ad ipſam quoque loquelam multa exercitatione induci debent. Tales porro *Magiſtri & duces* ex Sapientiſſima Dei miſerentis Providentia in Mundo nunquam defuêre, qui traditam ſibi à parentibus ſuis, & quaſi *per manus* ab Adamo uſque deductam doctrinam aliis communicarent. Sic Josephus narrat *Lib. I. Antiq. Judaic.* vel ab ipſis jam *Sethi* poſteris Cœlorum ordinem, ac ſyderum curſum obſervatum fuiſſe, *neve inventa ipſorum ex hominum notitia dilaberentur, duas ab iis excitatas eſſe columnas, alteram Lateritiam, alteram Lapideam, queis ſua inventa inculpſiſſent.* Licet autem multi iſtud tanquam fabulam explodant, dubitari tamen nequit, quin Hebræorum Patriarchæ, Duces ac Prophetæ *veritatum naturalium* optime ſibi Conſcii fuerint, ut Libri Moysis præprimis aperte loquntur, & de Salomone Scriptura Sacra his verbis, ab ipſo Domino Deo ad illum factis enunciat: *Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. III. Reg. v. XII.* Atque in ſpecie cognitionem *rerum na-*

naturalium tantam in eo fuisse facer textus narrat *cit. Lib. III Reg. Cap. IV. v. XXXIII. Ut disputaverit super lignis à cedro, quæ est in Libano, usque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete, & disseruerit de jumentis & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* Ideoque etiam non pauci scriptores tam antiqui quam novi in eam concedunt sententiam, quasi à Solis JUDÆIS, sive HEBRÆIS universæ sapientiæ studium in alias nationes & gentes profluxerit, uti videre est apud Cl. HUETIUM *in Evang. Demonstr.* quod tamen alii sic limitant dicentes, quod ab Hebræis in tantum scientiæ sint exortæ, quatenus *origine primi*, & post linguarum, in ædificatione Turris Babelicæ confusionem, ubivis divisi omnium gentium primævi duces ac Magistri effecti fuissent, licet & aliæ dein gentes ab iis procreatæ plurima proprio marte invenerint, atque inventis addiderint. Triplex autem in Historia Philosophica constitui meretur Epocha, scilicet

EPO-

EPOCHA I.

PHILOSOPHIA ANTIQUA.

X. Hæc communiter in BARBARICAM, & GRÆCANICAM ſive GRÆCAM dividi ſolet. *1ma* florebat inter *Barbaros* (hoc Nomine GRÆCI vocabant omnes à ſua Religione & patria extorres, ſicut JUDÆI omnes alios à ſuis Cæremoniis alienos GENTILES appellant) *2da* inter GRÆCOS, ſcientia Philoſophica præ omnibus nationibus eminentes, utpote qui primi *ordine Syſtematico* in ſingulas Philoſophiæ partes ſcripſêre, & in varias rurſum *ſectas* ſemetipſos *ſecuêre*, pro varietate ſcilicet *Magiſtrorum*, quos *ſectati* ſunt, ut Num. XII. dicetur.

Philoſophia Barbarica.

XI. In BARBARICA porro PHILOSOPHIA illuxerunt diverſi Sapientiæ Amatores, atque Veritatis ſcrutatores 1. Apud Judæos RABBINI. 2. Apud Babylonios & Aſſyrios CHALDÆI. 3. Apud Perſas MAGI (quales etiam fuiſſe SS. TRES REGES, Chriſti infantis Adoratores perhibetur) 4. Apud Indos BRACHMANES ſive GYMNOSOPHISTÆ, ſic dicti à Græcis vocabu-

bulis γυμνὸς *nudus* (eoquod *nudi* in ferventi ſabulo ſtantes ſolem tota die contemplari ſolerent) & σοφιστὴς, quod *artium Magiſtrum*, aut *ſapientiæ Profeſſorem* olim indicabat. 5. Apud Ægyptios HIEROPHANTÆ, dicti ab ἱερὸς, *Sacer*, *Divinus*, *Sanctus*, & φαίνω, *declaro*, *indico* vel *accendo* (eoquod plebi *ſacra* Myſteria oſtendere, & quaſi ſapientiæ lucem *accendere* ipſis ſolemne fuerit) 6. Apud Gallos DRUIDÆ, quod nomen vel à *Drudus*, hoc eſt, *fidelis*, aut à græca voce δρύον, *nemus* derivatur (quia nempe in *ſylvis* tantum Diis faciebant) 7. Denique apud Sinenſes CONFUCIUS, notum illud Philoſophi nomen, ubi tamen non pauci defendunt, quòd ipſemet jam Patriarcha NOE, ex Arca in Armeniæ montibus requieſcente, egreſſus in CHINAM, vel SINAM cum uxore ſua profectus, Liberis ibi de novo procreatis, Sinenſium primus parens & Monarcha (quem Chinenſes in ſua lingua *Fohi* appellant) extiterit, *ſcientiamque rerum naturalium* ampliſſimam eosdem edocuerit. Videantur WHISTON Anglus, & MAR-

TI-

TINIUS *in Histor. Sin.* apud Gottſched *in Compend. Histor. Philoſ. Sect. I. Cap. II.*

Græcanica.

XII. GRÆCI, Philoſophorum quondam Principes (X) in plurimas diviſi ſunt ſectas, è quibus præcipuas tantum indicabo. 1. DOGMATICI veritatem in rebus vix non omnibus adæquate ſeſe inveniſſe gloriabantur. Illorum Principes erant *Thales Mileſius*, à quo rurſum *Secta Jonica*, *Pythagoras*, à quo Secta *Italica*, *Parmenides*, à quo Secta *Eleatica* &c. ortum duxêre.

Dogmatici.

Academici.

2. ACADEMICI Nomen trahebant ab *Academia*, ſive à loco nemoroſo, in ſuburbio Athenarum ſito, quem nobilis vir quidam *Academus* Nomine Philoſophorum Exercitationibus conſecraſſe fertur. Iſti Philoſophi aſſenſum omnem cohibentes, nihil affirmabant omnino, atque à *Dogmaticis* per hoc diffidebant ex toto, dividebanturque iterum in *veteris*, *mediæ*, & *novæ* Academiæ Sectatores. Eorum duces nobiliſſimi fuerunt SOCRATES & PLATO, à quo etiam PLATONICI nominabantur, & *inquiſitores*, eoquod, licet ignotam dicerent eſſe veritatem, de ea tamen invenienda neutiquam deſperarent, ipſe porro *Socrates*

tes continuo in ore habuiſſe dicitur illud: *Hoc unum ſcio, me nihil ſcire.* Plato autem Socratis Diſcipulus (qui nobiliſſimo apud Athenienſes genere natus, paternos inter Avos complures Reges, inter Maternos vero SOLONEM illud Athenienſium decus numerabat) de DEO omnium optime cæpit ſcribere, unde & *divinus* eſt appellatus. Academiæ vero *mediæ* Auctor & Parens *Arceſilaus*, vel ut alii eum nominant, *Aruſicas*, cujuscunque etiam obviæ rei exiſtentiam negavit: e. g. neſcire ſe dixit, an ille: qui *actu* adipſum loquebatur, *vere* loqueretur & exiſteret, quapropter ejus Sectatores ACATALEPTICI erant nuncupati, ideſt, *dubitantes* ſive *titubantes* ac SCEPTICI à voce σκέψις, *deliberatio, diſceptatio*, quaſi perpetuo *deliberantes*, atque in utramque partem citra ullam mentis reſolutionem *diſceptantes*, ſicut adhuc hodie omnia negandi aut in dubium vocandi libido SCEPTICISMUS audit. Cæterum hæc philoſophandi methodus plerisque tandem Academicis omnino, & juſte quidem diſplicuit, hinc Caſtra ſuorum Præceptorum deſerentes, aufugerunt ad *Dogmaticos*, atque in tres alias præ-

cipue

cipue sciſſi ſunt Sectas, *Stoicorum* ſcilicet, *Epicureorum*, & *Peripateticorum.*

Stoici. XIII. 1. Stoici ſic dicti à nomine Στοὰ *porticus* (eoquod Zeno eorum parens docere Athenis ſolitus ſit ſtans ſub quadam *porticu*) inter alia docebant, *animum ita eſſe componendum, ut nulla re moveatur, nulloque agatur affectu amoris, gaudii, triſtitiæ &c.*: Ideoque tanta cum *pertinacia* ſuas propugnarunt ſententias, ut ferrum potius & mortem violentam ſuſtinuiſſent, quam de re, licet leviſſima, capta ſemel ſententia, latoque judicio receſſiſſent. In eos eleganter ludit Tullius *in oratione pro Murena.* Quare nos etiamnum homines tardos, duræ cervicis atque immobiles *Stoicos* appellare ſolemus.

Epicuræi. 2. Epicuræi nominis etymon traxêre ab *Epicuro* ſectæ iſtius parente, qui deliciarum amans plerumque in horto ſua Diſcipulis exponebat dogmata. Ipſe (ut multi contra multos aliter ſentientes opinantur) in *bona conſcientia* nullius culpæ ſibi conſcia *ſummam voluptatem*, atque adeo *veram* hominis *beatitudinem* collocabat, quam tamen ipſius doctrinam, forte non ſatis clare atque diſtincte pro-

propositam, sui postea Discipuli in sensu reprobo intelligentes, Corporis *obscœnam libidinem*, ac voluptatem pecoribus communem, summam hominis *felicitatem* reputabant, *Epicuri de grege porci* passim propterea appellati. 3. PERIPATETICI ita dicti à verbo περιπατέω, *obambulo*, *spatior*, (eoquod ipsorum Magister plerumque obambulans suos Discipulos erudiret, unde & locus scholæ ipsorum destinatus περίπατος, id est *obambulatio* dicebatur.) Parente gloriantur ARISTOTELE Stagyræ Thraciæ urbe nato ex clarissimo Medicorum Asclepiadico-Machaonico genere, & Platonis per viginti annos Discipulo. Erat is teste Timotheo Atheniensi *in L. de vitis.* Voce gracili, exilibusque cruribus, festivo tamen corporis cultu atque insigni veste ac annulo ornatus incessit, de cætero parco admodum utebatur cibo, parciore somno, à quo ne invitus præveniretur, globum è metallo conflatum de nocte legens, manu dextra protensâ sustentâsse fertur, ut ejusdem sibi forte per somnum è digitis elapsi, & ad pelvim ex illa ipsa materia conflatam, atque humi depo-

Peripatetici.

ſitam alliſi ſtrepitu excitatus, ſua ſtudia reaſſumeret, qua in re imitatorem eundem, quem Diſcipulum habuiſſe fertur Alexandrum M. Macedoniæ Regem & Aſiæ Domitorem. Morte ipſum violenta obiiſſe aſſerunt multi, negant alii, Chalcide eum obiiſſe plerique tenent, ſive ſumpto, ut non nullis placet, veneno, ſive (quod longe veriſimilius videtur aliis) cholicæ familiari morbo extinctus. Libri ab Ariſtotele ſcripti, quales Laertius ferme quadringentos enumerat, poſt illius obitum diu delitescentes, primum ſub Ciceronis tempora Romam allati paulatim è tenebris emerſêre; plures vero periêre.

Ariſtotelicæ Seclæ fata. XIV. Cæterum primis Eccleſiæ ſæculis ſola PLATONIS Philoſophia à Chriſtianis colebatur, eique coævi Eccleſiæ Patres potiſſimum adhærebant, nempe JUSTINUS M. CLEMENS Alex. ORIGENES, BASILIUS, GREGORIUS Naz. & maxime S. AUGUSTINUS. *Ariſtotelis* econtra ſecta tunc temporis ſummopere erat reprobata. Sic enim S. JUSTINUS M. integrum ſcripſit Librum, cui titulus: *Confutatio dogmatum Ariſtotelis*, S. GREGORIUS

RIUS Naz. ejus ſententias vocat *Captiones Sophiſticas*, *ac pravum Ariſtotelicæ artis artificium - - velut Ægyptiacas plagas*, & S. HIERONYMUS ejus dogmata appellat *verſutias*. Plures autem Patronos STAGYRITA nactus eſt poſt finem ſæculi VIII. per Arabes late in Africa & Hiſpania tunc dominantes, qui in publicis, quas ubique erigebant, ſcholis Libros Ariſtotelis Arabice redditos, legi juſſerunt, eosque quaſi jure belli in ſcholas intruſos AVICENNA Arabs, & poſt illum AVERROES Cordubenſis Hiſpanus Sœculo XII., ſuis comentariis obſcurarunt potius, quam illuſtrarunt. Ex Hiſpania in finitimam Galliam, Italiam, atque Germaniam transmigravit poſtea Ariſtotelis doctrina, & in Gallia quidem peſſime primo audiebat, utpote à ſynodo Pariſienſi ob plurimos errores damnata, ac Romæ quoque ab ipſo GREGORIO IX. P. M. anathematis fulmine percuſſa, quam tamen Viri poſtea ſummi (ut ſubtiles Arabum errores ex Ariſtotelis Philoſophia deprompros ſolidius refutarent) ſcriptis ſuis expurgare, & quodamodo Catholicam reddere cæperunt, e quibus erant præcipui PETRUS LOM-

BARDUS Episcopus Parisiensis MAGISTER SENTENTIARUM communiter appellatus, S. ALBERTUS M. Episcopus Ratisbonensis, S. THOMÆ Aquinatis Magister. ALEXANDER ALENSIS Minorita, ob doctrinæ suæ profunditatem DOCTOR IRREFRAGABILIS vocatus &c. Exinde ergo ortum sumpsit PHILOSOPHIA SCHOLASTICA, sic dicta, quoniam in plerisque scholis postea tradi cœpit. Igitur

Philosophia scholastica.

EPOCHA II.

PHILOSOPHIA MEDIA.

XV. HOc ævo sola & unica regnavit PHILOSOPHIA SCHOLASTICA, in sequentes iterum sectas (pro vario scilicet Aristotelem interpretandi modo) subdivisa. I. THOMISTÆ ducem venerantur S. THOMAM anno 1224 ex nobilissimo Comitum AQUINATUM sanguine progenitum, DOCTORIS ANGELICI glorioso Nomine decoratum, qui anno ætatis suæ decimo septimo Ordinem FF. Prædicatorum ingressus, in sanctitate non minus, quam scientiis

Thomistæ.

tiis ita profecit, ut Parisiensem, Romanam, Bononiensem, aliasque celeberrimas Academias lucidissimis doctrinæ suæ radiis mire illustrârit. Tandem à GREGORIO IX. P. M. ad Concilium Lugdunense II. evocatus in Monasterio *Fossæ novæ* S. Ordinis Cisterciensis, in quo divertit, morbo correptus in Cœlum evolavit anno ætatis suæ quinquagesimo.

XVI. II. SCOTISTÆ. Hi Patre gloriantur JOANNE DUNS SCOTO, qui eodem, quo DOCTOR ANGELICUS è vita decessit, natus est anno nempe 1274. Is admodum Juvenis Ordini FF. Minorum nomen dedit, atque in eo ope DEIPARÆ, cujus à puero tenerrimus Cultor extitit (quæque illius adhuc in puerili ætate existentis intellectum, antea penitus rudem cœlitus illustraverat) in scientiis ita profecit, ut in Theologia scholastica omnium sui ævi facile princeps, & in Jure Civili pariter ac Canonico versatissimus, Logices quoque, Physices, Metaphysices, Mathematicæ & Astronomiæ peritissimus evaserit, unde etiam, evocato ex Academia Oxoniensi ad Parisiensem Guiliel- Scotistæ.

mo Varroni ejusdem ibi Profeſſori, in Cathedram Theologicam à Superioribus ſuffectus eſt, quam tanta Nominis ſui gloria moderabatur, ut 30000. ſcholarium & ultra, ejus audiendi gratia Oxonium undique confluxiſſe perhibeantur. Mox anno 1304. Oxonio Pariſios accerſitus pro tuenda B. M. V. IMMACULATA CONCEPTIONE ſententiam illam contra adverſarios adeo defendit, per notum illud ſuum: DEUS POTUIT, DECUIT: ERGO FECIT, ut Pariſienſis Academia edito decreto, in hunc usque diem adhuc perſiſtente ſtatueret, ne quis, niſi præſtito jure jurando de hocce propugnando Myſterio ad ſacram Doctoratus Lauream admitteretur, ex eoque facto DOCTORIS SUBTILIS glorioſum Nomen eſt adeptus: Sed & lapidea quædam B. V. cujus opem ante pugnam illam de more ſupplex invocaverat, Statua ad illa Scoti verba: *Dignare me laudare te Virgo ſacrata, da mihi virtutem contra hoſtes tuos*, caput eidem inclinans monſtraverat, cujus ope poſtea triumphaverit. Bene igitur nonnemo ſequens Epigrama Scoto, una cum Doctore Angelico in eadem icone depicto ſubſcribere potuit:

Tho-

Thomæ ſcripta *DEus*, *Scotique Maria* probavit:
Ergo de *Christo* ſcripſit uterque *bene*.

Tandem an. 1308 à Generali Miniſtro Pariſiis Coloniam abire juſſus, ibique cum ingenti totius Cleri & populi eidem obviam procedentis jubilo exceptus, non multo poſt in morbum lapſus, eodem anno non minori cum ſanctitatis quam Doctrinæ fama in octava omnium ſanctorum è vivis abiit, ibidem in choro apud FF. Minores Conventuales honorifico Mauſolæo decoratus, cui præter alia, ſequentia inſcripta leguntur Carmina vetuſta:

Clauditur hic rivus, fons Eccleſiæ, via, vivus
Doctor Juſtitiæ, ſtudii flos, arca Sophiæ.
Ingenio ſcandens, Scripturæque abdita pandens,
Dux fuit hic Cleri, Clauſtri Lux, & Tuba veri. &c.

Cæterum *fabella eſt* (inquit Cl. P. DESING in *ſuo compendio erudit. fol.* 147.) *quæ mentitur, illum deliquio animi forte oppreſſum, atque à ſuis præmature tumulo mandatum coactum fuiſſe in ipſo fere-*

tro suamet membra depascere. Crassissimam hanc calumniam, diu post Scoti obitum ad odium tanto Doctori conciliandum excogitatam, & a nonnullis nimium credulis latius propagatam, fuse refutat Wadding. *Tom. III. Annal. in vita Scoti.* Inter alia denique Scoti, ejusque Doctrinæ encomia (quæ videre est ex diversis scriptoribus deprompta apud P. Mastrium Scoti interpretem omniū præcipuum in principio suæ Philosophiæ) non postrema hæc sunt. 1. Teste Joanne Possevino S. J. *In apparatu Sacro Tom. II. Absque ullo erroris nævo Libri Scoti in œcumenicis Conciliis inviolati permanserunt, cum tamen plurima excellentium Virorum volumina in publicis Conciliis multis censuris & correctionibus subjecta fuerint.* 2. S. Congregatio Cardinalium anno circiter 1610 præcepit Librorum Censoribus, ut, *quidquid* Scoti *esse constaret, intactum, inviolatumque admitteretur*, ut notat Wadding. Hinc etiam usque ad hoc tempus celebriores orbis Catholici Universitates in tanti Doctoris venerationem non paucas ejus Doctrinæ destinarunt Cathedras, videlicet *Bononiensis, Patavina, Romana, Perusina,*

na, *Papiensis*, *Pisana*, & *Ferrariensis* in ITALIA. *Complutensis*, & *Salmanticensis* in HISPANIA. *Conimbricensis* in LUSITANIA. *Viennensis*, & præcipue, *Pariensis* in GALLIA &c.

XVII. III. NOMINALES pro parente suo habuerunt GUILIELMUM OCKAMUM, itidem ex ordine Minorum, natione Anglum, & Scoti Discipulum, Prærogativa DOCTORIS SINGULARIS ET INVINCIBILIS quondam decoratum, qui floruit sub Ludovico Bavaro, Capuæ anno 1350 extinctus. *Nominales* autem dicebantur, quia nimium vocibus ac *Nominibus* tribuebant, eaque pro Logicæ *objecto* statuebant. Erant præterea *ex ordine nostro* SERAPHICO cira illa tempora Doctores alii, insigni doctrina non in *Philosophia* solum, sed & aliis præsertim *Theologicis* Disciplinis conspicui, inter quos præcipui numerabantur. 1. ALEXANDER ALENSIS (de quo supra Num. XIV.) Is, ut noster Reverendiss. ac Ven. DEI Servus ANTONIUS LUCCI scribit. Rat. Histor. *Cap. VIII.* primus Theologiam in eam formam ac methodum, sub qua hodiedum reperitur, diggessit, cujus summa à 70. Theologis, pro ejusdem exa-

Nominales.

Alii Doctores ex Ordine FF.Minorum.

mine ab INNOCENTIO IV. P. M. delectis approbata, & ab ALEXANDRO IV. universis Academiis Europæ proposita est. 2. S. BONAVENTURA propter octo prodigiosa volumina sua, lumine, & ardore plena DOCTOR SERAPHICUS appellatus, & inter sanctos Ecclesiæ DOCTORES a SIXTO V. P. M. S. Ord. nostri antea Ministro Generali cooptatus, assignata ejus Doctrinæ speciali Romæ Cathedra in Collegio, quod ab ejus Nomine hodiedum *Collegium S. Bonaventuræ* dicitur. De eo adhuc vivente passim dici solebat, quod *nullus pulchrior*, *nullus doctior*, *nullus sanctior* esset. Fuit præterea Condiscipulus, vel saltem, ut alii volunt, coævus & intimus amicus DOCTORIS ANGELICI S. THOMÆ AQUIN. 3. PETRUS AUREOLUS teste Sixto Senensi omnium scientiarum notitia clarissimus, & DOCTOR FACUNDUS appellatus. 4. FRANCISCUS MAYRONIS, ob ingenii vivacitatem & facilitatem cognominatus DOCTOR ILLUMINATUS. 5. NICOLAUS DE LYRA, sive LYRANUS, ex Judæo factus Christianus, & postea Minorita, Græcis, Hebraicisque Litteris apprime eruditus hoc sibi à toto orbe notum elogium prome-

meruit: *Si Lyra non lirasset, totus mundus delirasset &c.* videatur WADDING. *de script. Ord. Min.*

XVIII. IV. SCHOLASTICI RECENTIORES. Ita vocabantur quondam RR. PP. Inclytæ S. J. qui sæculo XVI. & seq. præter innumera rei Christianæ & Litterariæ præstita commoda, etiam in Philosophia rem communem ut plurimum promovere, dum ipsi *Eclecticam* quamdam, *Scholasticam* tamen, ac inter *Thomistas* & *Scotistas* mediam disputandi, ac Aristotelem interpretandi rationem sunt amplexi. Authores eorum præcipui sunt Cl. PP. SUAREZIUS, VASQUEZIUS, TOLETUS cum mille aliis. Quænam vero hodie illorum philosophandi ratio sit, ex Libris passim obviis abunde liquet, ut sunt v. g. Cl. P. HAUSER, MANGOLD, ZANCHI &c. quorum laudibus aliquid addere supervacaneum puto. **Recentiores.**

XIX. V. CHYMICA SEU ALCHYMISTICA PHILOSOPHIA initium quoque suum ARABUM ætati adscribit, cujus Author fuisse scribitur famosus ille MERCURIUS TRISMEGI- **Chymici.**

GI-

GISTUS; propugnatores vero præcipui censentur RAYMUNDUS LULLUS ex tertio Ordine S. P. N. FRANC. ARNALDUS VILLANOVANUS, & omnium maxime THEOPHRASTUS PARACELSUS Einsidlensis Helvetus, cum suo Discipulo ADAMO BODENSTEIN, HELMONTIUS item & alii, qui suis inventis Philosophiam præsertim MECHANICAM plurimum promoverunt, & quasi instituerunt.

EPOCHA III.

PHILOSOPHIA NOVA.

Novæ Philosophiæ Parentes.

XX. Hæc suam originem *Angliæ* præprimis & *Italiæ* debet Galliæque, quas provincias & regna non segniter subsecuta est GERMANIA nostra. Fundamenta nempe jecêre FRANCISCUS BACONUS DE VERULAMIO *Anglus* ante ducentos retro, quo hæc scribo, annos, nempe anno 1560, & GALILÆUS DE GALILÆIS *Pisanus Italus*, tribus post ipsum annis mundo natus, qui rejectis *subtilitatibus* minus utilibus per *experientias* philosophari cæperunt, queis tertium quidam annumerant ROBER-

TUM

TUM BOYLE pariter *Anglum*, queis tandem plurimi alii in *Gallia*, *Germania*, *Belgio* &c. accessere. Hi vulgato nomine *Empirici*, hoc est, EXPERIMENTALES PHILOSOPHI nuncupantur, eorumque Philosophia dici solet MECHANICA, ipsi vero hujusmodi Philosophi in quatuor rursum classes divisi sunt. 1. *Gassendistarum.* 2. *Cartesianorum.* 3. *Newtonianorum*; & 4. *Eclecticorum Recentiorum.*

XXI. I. GASSENDISTARUM Dux atque Auctor fuit PETRUS GASSENDUS *Gallus*, Diniensis Ecclesiæ Præpositus, regiusque in Academia Parisiensi Matheseos Professor, qui jugi Scholastici impatiens, *Epicuri* & *Democriti Physicam* ut vocant *corpuscularium* ab impiis dogmatis purgatam, denuo e tenebris in lucem orbi litterato reduxit, Parisiis anno 1655. defunctus. Gassendistæ.

XXII. II. CARTESIANI nomen trahunt a Renato CARTESIO Domino *de Perron* nobili Gallo, qui quatuor post natum Gassendum annis natus, abdicata militia, quam in Germania & Hungaria aliquantum secutus Cartesiani.

fue-

fuerat, in Hollandia *Philosophicis* suis *Meditationibus* (uti nominat) vacans, Holmiam ad Christinam Suecorum Reginam instruendam evocatus, multoque ab illa in honore habitus, ibidem supremum diem clausit anno 1650.

Newtoniani. XXIII. III. NEWTONIANOS edocuit ISAACUS NEWTONUS Anglus ingeniorum sui temporis phœnix, præsertim in Mathesi, ex qua non pauca eaque utilissima in Philosophiam traduxit, sectatoresque ex doctissimis sæculi nostri Philosophis innumeros habuit. Ejus encomia & summa in rem litterariam merita longius describuntur in *histor. Academiæ Regiæ Parisinæ ad annum* 1727, quo fatis concessit.

Eclectici. XXIV. IV. ECLECTICI sic dicti à verbo ἐκλειχω *delingo*, *lambo*, qui quasi flores omnium Philosophiæ sectarum *lingentes* sive *eligentes* (cui etiam congruit nomen εκλεκτὸσ *delectus*) quæ in Cartesio, Gassendo, & priscis etiam Philosophis optima ac certissima sibi videntur, *eligunt* (unde quoque *Eclectici* seu *Electivi* vocantur) & propriis animadversionibus, inventionibusque aucta, in systema ordina-

na-

natum diggerunt, nec quærunt, *quid* quisque dixerit aut scripserit, sed *quam bene?* In hanc classem referendi sunt hodie plerique Philosophi, qui castra Peripatetica deseruêre. Ut v. g. *Hugenius Clarckius*, *Purchotius*, *Gravesandius*, *Muschenbroëckius*, *Leubnitius*, *Wolfius*, *Corsinus*, & ex Ordine Seraphico Cl. P. *Ferrari* ex Ordine FF. Min. Conventual. nec non Cl. P. *Fortunat. à Brix.* ex Ord. FF. Min. Ref. quocum primo in limine Philosophiæ palam profiteri audeo: *Ego Scoti doctrinam sequor, non quidem cœco impetu in singula ejus placita irruens, sed rationum illarum momentis ductus, quibus constituta ipsius confirmantur, paratus etiam aliter opinari, ubi veritas exposcat. In præf. Philos.* nempe conformiter ELENCHO PHILOSOPHICO à nostro Reverendiss. P. M. Generali CAROLO ANTONIO CALVI nuper edito, in quo jubet, *ut Philosophia quidem Aristotelica, purgata à scholasticorum quorundam exoticis vitiis, & Scoti lucubrationibus ditata retineatur, tum ob scholæ illius antiquissimæ & solidissimæ dignitatem, tum ob discipulorum profectum, quos in nullius magis, quam Aristotelis, Scotique Philosophia exerceri, & ad Theologiam*

Quæ nostra sit Philosophia?

logiam institui fructuosius posse affirmat: addit vero, *celebriora Recentiorum placita, si rationi & experientiæ consona sint, neutiquam prætermittenda, sed vel amplexanda, vel expendenda juxta cujusque voluntatem, si in utramque partem disceptari libere possit.* Et hæc de Philosophiæ ortu atque progressu in compendio dicta sufficiant. Qui magis particularia scire amat, adeat Auctores fusius de *Historia Philosophica* tractantes, ut sunt Cl. Ant. Gen. *Elem. Metaph. Tom. I.* Cl. P. Fort. à Brix. *Prolegom. in Physic.* Jacobus Bruckerus *in Histor. Crit.* Gottsched *in Comp. Histor. Phil. Germanice scripto &c.*

PROLEGOMENA LOGICÆ.

Logicæ Etymologia. XXV. LOGICA à græca voce Λόγοσ *ratio*, *disceptatio*, item *conditio* ac *sermo* nomen trahens (unde etiam *facultas* RATIONALIS, DIALECTICA seu *disceptatoria*, atque ab Aristotele ORGANUM seu *conditio* aut *Instrumentum scientiarum*, ac denique facultas *mente sermocinandi* dicitur.) Ab

Et definitio. auctore *Artis cogitandi* definitur *Ars bene utendi ratione in rerum cognitione acquirenda tam ad sui ipsius, quam aliorum*

rum institutionem. Nempe quoniam *Philosophia objective* considerata est *cumulus veritatum ex ratione cognitarum* &c. (III) *Ratio* autem humana per originale peccatum nimium fuit *obscurata* (IX) indiget arte quadam, seu facultate, per quam ad veritates rite cognoscendas aptior reddatur, & quasi manu ducatur, id quod unice per *Logicam artificialem* fieri debet, quæ propterea quoque *veritatis Magistra, Pharus intellectûs, humanarum cognitionum norma, Disciplina Disciplinarum, & Ars Artium* appellari consuevit. Nec incongrue in allata definitione Cl. Auctor addidit: *Tam ad sui ipsius, quam aliorum institutionem,* docere enim debet hæc ipsa facultas, quomodo parvuli notionum expertes imbuendi sint primis litterarum Elementis ac veris doctrinæ coloribus (N. C.) in quem finem etiam Cl. Ant. Gen. *Logicam* eam denominat *artem, in qua instruuntur Tyrones recte ratiocinari, & aliorum cognitiones rite intelligere, ut in scientiis, sibi, & generi humano utilibus rite proficere queant.* Nos denique appellamus Facultatem Universæ Sapientiæ Studium Rite Instituendi. Ille namque omnium optime *philosophatur*, qui cæteris ac-

curatius *rationem reddere potest eorum, quæ sunt vel esse possunt.* (IV) Hoc autem debet fieri per *Logicam*, utpote solam veritatis naturalis *Magistram*, ut mox dictum est, & per decursum continuo magis patebit.

Logicæ artificialis origo. XXVI. Profluxit autem hæc Logica *artificialis* à *naturali* (quæ dici potest, *dispositio à natura homini à DEO indita, utendi ratione in rerum cognitione acquirenda*) per varias successive *reflexiones*, & *vitiorum* in loquendo *observationes*, primi scilicet homines v. g. in *definiendo* aut *argumentando* didicerunt, se nunc bene, nnnc male procedere; hinc orta est *admiratio*, & (ut fert adagium vetustum: *Propter admirari cæperunt homines philosophari*) ex hac admiratione exarsit studium inquirendi causam, cur non *semper* æqualiter bonus ac *verus* sit sermo e. g. cur *homo* minus exacte definiatur, esse *animal implume*, *bipes*, exactissime vero per τὸ *animal rationale* &c. detectaque semel ac iterum erroris caussa ex circumstantiis pluribus utut *particularibus*, *constanter* tamen, ac *uniformiter* concurrentibus, eruerunt regulam *universalem* & infallibilem bene *definiendi*.

Ita

Ita quoque à notioribus ad difficiliora progressi, pari modo processerunt in Logica *discursiva* &c. unde etiam *in sano sensu* defendi valet illud paradoxum, quod passim affirmatur, *scientias* nempe *ex ignorantia esse natas*, nam *ignorantia* Mater est *admirationis*, *admiratio inquisitionis*, *inquisitio* denique *scientiarium.*

XXVII. LOGICES præcepta primus omnium in unum distincte collegisse, & scriptis edidisse fertur ZENO ELEATES, & post illum SOCRATES, dein PLATO, EUCLIDES MEGARENSIS, & alii, CHRYSIPPUS maxime Zenonis Discipulus. Nullus tamen melius de *Logica* inter antiquos meritus est ARISTOTELE, utpote qui 17. omnino Libris de ipsa scriptis, mire eandem declaravit: Quorum primus *Categoriæ* inscribitur, *2dus* & *3tius Peri-hermenias*, sive *de interpretatione*. Hos sequuntur libri quatuor *Analyticorum*, octo *Topicorum*, omnium præstantissimi, in quibus *media argumentandi* in quavis re pertractat, postremum tandem locum occupant duo libri *Elenchorum*, ad *fallacias*, & *Sophismata* detegenda. Plura de Logicæ

Veteres Logices scriptores.

fine, *objecto*, & *necessitate* videatur in *Log. disputatrice.*

Logicæ divisio.

XXVIII. Quia LOGICA est *ars bene utendi ratione* (XXV) RATIO autem, prout hic sumitur, est ea *mentis vis*, *qua homo rationalis tum res apprehendere*, *tum etiam de iis judicare*, *ac discurrere valet*, necessario in Logica *regulæ* sunt statuendæ, ut in his omnibus mens *ordinate*, ac citra erroris periculum procedat. *Ordinate* autem in iis nequit procedere, nisi insuper bonam *Methodum* servet, per quam varias *ideas*, *judicia*, & *Ratiocinia*, quæ de uno eodemque subjecto fiunt, eo *ordine* disponantur, qui illi explicando maxime idoneus est: Ex his ergo sequitur logicam in 4. partes dividendam esse, quarum 1*ma simplicem apprehensionem* sive ideas. 2*da Judicium* sive propositiones. 3*tia Discursum* sive Ratiocinationem. 4*ta* Denique *Methodum* pertractet. Quoniam item regulas istas non tantum *scire*, sed & ad *praxin* dirigere, iisque mediantibus veritatem tum ipsi *invenire*, tum ab aliis quoque inventam *dijudicare* debemus, si *sapientiæ amantes* sumus (XXV) etiam Logica universa à me dividitur:

In 4 partes.

1. In

1\. In Theoreticam seu *speculativam*, aut si mavis *docentem*, in qua prædictarum mentis operationum *naturam & Characteres*, 2. in Practicam sive *utentem*, in qua certis legibus tum rectum earundem *Usum*, tum maxime potiora & magis generalia universæ Artis Criticæ principia, hocce præsertim ævo inprimis *utilia* declarabo (est autem Critica *Ars ferendi judicii de factis Historiam concernentibus, de operibus ingenio partis, de eorumque variis Lectionibus obviis, de sensu, stylo & auctoribus*) unde & huic opusculo nomen Logicæ Criticæ non frustra indidi. Utrumque vero pro viribus ita præstare conabor, ut *superfluis* quæstionibus amandatis, *subtilioribus* ad *Logicam disputatricem* aut *Metaphysicam* rejectis, quibusdam vero quasi summis labiis degustatis, in prosequendis *utilioribus* & magis (præsertim ad *Theologiam*) *necessariis* totus futurus sim. Quare à *Sophisticis* illis *formis* & *argutationibus* V V. Logicorum abstinebo, *in quibus* (ut ait Cl. Ant. Genuensis in *prolegom. Log.* §. *XXVII.*) *nihil est boni succi, & damni plurimum ad mentem obscurandam, omnemque sapientiæ gustum*

Item in Theoreticam.

Et practicam.

Seu Criticam.

obtundendum. Nec tamen negaverim, iis temporibus, in quibus tota hominum ſcientia erat vigilatio, utilem illam artem fuiſſe, nunc vero in tanta artium & ſcientiarum luce adhuc à plerisque retineri, id vero eſſe ajo, inventis frugibus glandibus veſci. Hæc ille. Jam auſpice DEO omnis *ſapientiæ fonte*, ac favente DEIPARA *ſapientiæ* ſede, ad promiſſum adimplendum feſtino.



LO-

LOGICÆ
PARS I.
THEORETICA.

SIVE

DE NATURA ET CHARACTERIBUS OPERATIONUM MENTIS.

DISSERTATIO I.

DE SIMPLICI MENTIS APPREHENSIONE

SIVE

DE IDEIS AC TERMINIS, EORUMQUE PROPRIETATIBUS.

SECTIO I.

QUID, ET QUOTUPLICIS GENERIS SINT IDEÆ?

XXIX. IDEA vox græca (latine *originalis rei species*) *vulgo* dicitur id *omne*, *quod animæ est præsens*, *dum aliquid percipit aut cognoscit*. In scholis dicebatur olim, modo *terminus mentalis*, modo *verbum mentis*, modo *species im-* vel *expressa*, modo etiam **Ideæ definitio.** **Vulgaris.**

conceptus formalis aut objectivus, *intentio prima aut secunda &c.* e. g. Percipis *cœlum* aut *terram*, *solem*, *ens*, *parentes tuos absentes aut præsentes*? Eorum omnium *ideas tenes.* Porro cum *perceptio* animæ varia sit pro *objectorum*, *modique percipiendi* diversitate, *Idea*
Propria. *proprie* a Philosophis hodie definitur, quod sit *rei*, *quatenus hæc* INTELLIGIBILIS *est*, *in mente facta repræsentatio*, *citra affirmationem aut negationem.* In quo sensu differt a *sensatione* & *imaginatione*, quarum adminiculo res tantum *sensibiles*, & à *conscientia* sive *sensu intimo*, per quem *existentiam animæ affectionum*, utputa, *gaudii*, *tristitiæ &c.* tantum cognoscimus, cum econtra per *ideam intelligibilem* ipsas rerum *essentias*, *proprietates &c.* nobis in mente sistamus, & *notas* faciamus (unde & *notio* dicitur) sicut & alias res quascunque, quatenus non per se ipsas intellectui nostro uniuntur, sed mediante illa, tanquam illarum rerum *imagine* nobis fiunt *intelligibiles* & cognoscibles, fere sicut flos v. g. ante speculum positus, pulcherrimam, simillimam, & perfectissimam sui *imaginem* sive ideam in illo depingit, sic enim mens quoque percipiendo objectum, illius quam-

dam

dam in se *imaginem* efformat. Porro quatruplex est *Idearum Genus*. 1. Ut considerantur ex *sua origine*. 2. Ex *relatione ad mentem*. 3. Ex sua *natura* & constitutione. 4. Denique ex *relatione ad objecta*.

DIVISIO IDEARUM.

I.

EX PARTE ORIGINIS.

XXX. SI considerentur Ideæ secundum *fontem* illum, ex quo hauriuntur, sunt 1. ADVENTITIÆ, sic dictæ, quia ab objectis externis, ac *materialibus* seu *corporeis* ope *sensuum* nobis adveniunt. Ut sunt *odores*, *sapores*, *lux*, *sonus*, *calor*, *frigus*, aliaque omnia, quæ *sensuum* nostrorum organa feriunt. 2. FACTITIÆ, quas ipsa mens ex *adventitiis facit*, sive cudit, vel per *compositionem*, ut si v. g. ex ligno, lapide calce, &c. *Domus structuram* nobis repræsentamus. & quasi *componimus*. Vel per *ampliationem* seu *extensionem*, ut si v.g. ex homine *mediocris* staturæ *gigantem* concipimus. Vel denique per *similitudinem* & *proportionem*, ut cum ex

Ideæ Adventitiæ.

Factitiæ.

urbis cujusdam visæ v. g. *Ratisbonæ* idea; maginem nobis facimus *urbis alterius* nunquam visæ v. g. *Pragæ*, aut *Madriti*. 3. INNATÆ, *quas* ex mente Cartesii, Purchotii, aliorumque Philosophorum, *Deus homini ab ortu suo ad res incorporeas*, & *rerum essentias cognoscendas indidit.* Verum de hoc ultimo Idearum genere videatur infra in *Logica disputatrice.*

Innatæ.

Phantasticæ.

XXXI. *Scholion.* Ideæ tum *adventitiæ* tum *factitiæ* dicuntur etiam PHANTASTICÆ, seu *phantasmata*, & quidem in triplici sensu. 1. Si sint ideæ rerum *mere corporearum*, sicut sunt omnes ideæ *adventitiæ* (n. præc.) 2. Si res etiam *immateriales* adinstar rerum *corporearum* concipiuntur, ut v. g. *Angelus* sub specie *juvenis alati* &c. 3. Si a mente *fingantur*, quæ prorsus in rerum natura nec sunt, nec esse possunt, ut v. g. *Hircocervus*, *creatura infinita*, *alter Deus* &c. entia vero *à rebus physicis vere abstracta* e. g. *substantia*, *vivens*, *corpus* &c. proprie ad ideam *intelligibilem* spectant (XXIX)

II.

II.

EX RELATIONE AD MENTEM.

XXXII. IN ordine ad *mentem*, cui ideæ diverſimode repræſentari ſolent, alia datur 1. IDEA CLARA, & eſt illa, *quæ ſufficit ad rem perceptam ab aliis rebus diſtinguendam.* Sic v. g. ſi *equum a bove*, *alaudam a paſſere*, *rubrum ab albo*, *dulce ab amaro &c.* noveris diſtinguere, habebis de illis omnibus ideam *claram:* econtra 2. IDEA OBSCURA eſt, *quæ non eſt ſufficiens* ad res illas prædictas à ſe invicem diſcernendas, ut v. g. ſi aliquid *à longe* vides neſcius, an ſit *bos*, aut *equus &c.* 3. Idea DISTINCTA tunc habetur, *quando* non tantum una res ab altera diſcernitur, ſed etiam *notæ*, *& characteres aſſignari queunt*, *quibus res una differt ab altera* v. g. per quid *bos ab equo*, *dulce ab amaro &c.* diſtinguatur. 4. *Has notas* qui aſſignare neſcit, illi tantum idea tribuitur CONFUSA. Sic v. g. etſi ſciamus colorem *Cœruleum* differre *à purpureo*, quotus tamen quisque eſt, qui *notas*, quibus hic ab illo diſcernitur, poſſit ſingillatim enarrare? 5. Idea COMPLETA

Idea clara.

Obſcura.

Diſtincta.

Confuſa.

Completa

&

& distincta tunc fit, si notas sibi quis sistere, aut enumerare valeat, quæ sufficiunt ad rem repræsentatam *ubique* & *semper* agnoscendam, atque ab *omnibus* aliis distinguendam. 6. At si per notas recensitas res non *ubique* & *semper* ita discerni queat, dicitur idea sive notio INCOMPLETA. v.g. Si dicas: *Homo est animal rationale*, habes ideam *completam; incompletam* vero, si dicas: *Homo est animal, implume, bipes*, non enim *talis homo* differt v.g. *à Gallo Gallinaceo deplumato*, ut ostendisse dicitur Aristoteles Magistro suo Platoni. 7. Idea DISTINCTA denique etiam evadit ADÆQUATA, si quis omnes rei perceptæ convenientes *notas* atque *characteres* perfecte ita intelligit, ut per *alias* iterum æque claras atque distinctas *notas* explicare potens sit. v.g. Si quis non tantum hominem per τὸ *animal rationale* ab omni alio, quod non est *homo*, secernit, sed etiam insuper *distincte* declarare sciat, quid per τὸ *animal* aut per τὸ *rationale* intelligendum sit? 8. Sin minus: habebit tantum ideam INADÆQUATAM, utut de cætero *distinctam*. Penultima

Incompleta.

Adæquata.

Inadæquata.

sive

five *adæquata* Idearum formatio dicitur quoque Notionum Analysis, hoc est *idearum resolutio*, eoquod per eam *minimæ* quæque rei cognitæ *partes resolvantur* & examinentur, non secus ac *Anatomici* in dissecto ac resoluto corpore humano omnes illius arcanos recessus ac latebras perscrutantur. Ex his fluunt sequentia

XXXIII. Corollaria. I. Ad Ideam *claram* de re aliqua acquirendam requiruntur *sensus integri*. Nam cæcus v. g. nequit colores *clare* percipere. II. Eo *clarior* fit idea, quo *plura* rei ejusdem *attributa*, & perfectiones dignoscuntur. III. Eo *plura* autem attributa in re *distinguntur*, quo *plures* & perfectiores *sensus* adhibentur. Id teste S. Scriptura fecit S. Patriarcha Isaac, nam ad Filium suum Esau à Jacob dignoscendum adhibuit *auditum*, *tactum*, & *olfactum*, attamen, quia *visus*) sensus omnium præcipuus) non erat integer, ideam *omnimode claram* habere non potuit. IV. Ideæ solummodo *claræ* virum *doctum* non efficiunt, utpote quas cum *vulgo*, & cum *brutis* perfectis communes habet, sed debet conniti ad *distinctas*, *completas*, & *adæquatas* acquirendas. V. Idea

Regulæ discendi.

uni

uni v. g. *hebetioris* ingenii ſatis *obſcura*, poteſt alteri *perſpicaciori* eſſe oppido *clara*, atque etiam *diſtincta*, ut contingit v. g. in *geometriæ* ſtudio. VI. *Obſcuritatis* idearum cauſæ præcipuæ ſunt: *Præcipitantia Judicii* de re nondum ſatis intellecta, *defectus attentionis*, *Paſſiones inordinatæ mentis*, nimia *in percipiendo celeritas*, ſi nempe re una necdum probe menti impreſſa, *tranſitus* fiat ad alia *diſparata*, vel etiam illi materiæ *connexa* objecta &c. Sed plura de his *in Log. parte II. practica*. VII. Qui de re quapiam dicit ſe habere *diſtinctas Ideas*, debet poſſe *enarrare*, ſingillatim rei illius *notas* & *characteres*, ſecus tantum habebit ideas *confuſas*. VIII. *Optimam* rei aut objecti cujusdam *notitiam* tenet, qui notionum, illi objecto competentium, *analyſin* texere valet. IX. Hæc tamen de rebus *omnibus* nec *poteſt* nec *debet* inſtitui, tum ob *ſenſuum* noſtrorum *limitationem*, tum etiam *ob rei*, quandoque *evidentis*, & demonſtratione nulla indigentis *claritatem*.

III.

EX EARUM NATURA, ET CONSTITUTIONE.

XXXIV. PRæter Ideas *phantasticas* & *intelligibiles* (XXIX) in quas Ideæ ſub hac conſideratione etiam dividuntur, ſunt adhuc: 1. Ideæ *ſimplices*, quæ rem unam *ſimplicem*, aut compoſitam *per modum unius* repræſentant e. g. *ens*, *ſol*, *homo* &c. 2. Ideæ *compoſitæ*, quæ rem *cum aliquo attributo* exhibent ut *homo doctus*, aut ex quibus alias adhuc notiones ſive Ideas eruere licet, e. g. in Idea *hominis* (ſi non pro libitu meo rem tantum *unam* ſub hac Idea velim mihi repræſentare) adverto Ideam *animalis*, hoc eſt, Ideam rei *principio ſentiendi* præditæ: In Idea *animalis* denuo reperio Ideam *ſubſtantiæ*, in *ſubſtantia* denique Ideam *entis* ſimplicem. Similiter adhuc in eodem *homine* deprehendo Ideam *rationalitatis* ſeu *principii ratiocinandi* &c. Adeoque *homo ita conſideratus* ideam *compoſitam* mihi ingenerat. Tales Ideæ ſunt etiam: *Domus*, *exercitus*, *acervus lapidum*, & quæ-

Ideæ ſimplices.

Compoſitæ.

quæcunque repræsentant *res partibus constantes.* Sunt tamen, qui Ideam *simplicem* ita definiunt, quod sit *ea notio, quæ solis notis constat* (per *notas* vero intelligunt ea, quæ sunt rebus *intrinseca*, unde agnoscuntur, & a se invicem discernuntur) ut si *hominem* concipimus præcise tanquam *animal rationale. Notionem sive Ideam complexam* econtra vocant, quæ *præter notas* alia, sive rei *intrinseca*, sive *extrinseca* complectitur. e. g. Si *homo* consideratur non præcise ut *animal rationale*, sed etiam ut *doctus*, *pius*, *dives*, *magnus*, *pulcher* &c.

Associatæ. XXXV. *Corollaria.* I. Ad Ideas *compositas* referendæ sunt Ideæ, ut vocant *associatæ*, sive Ideæ *longioris alicujus demonstrationis* (per notionum *Analysin* (XXXII.) quæ *in se* considerataæ *separatæ* quidem sunt, sed menti tamen *simul* usque præsentes fiunt, ita, ut si excitetur una, alia quoque immediate præsto sit. II. Idea non ideo dicitur *composita*, quasi ipsa ex *partibus* constet (cum omnis *perceptio* sit *simplex entitas*) sed quia per suam *simplicem entitatem plura objecta* repræsentat, atque sub *una* notione *componit.*

III.

III. Licet Ideæ *ſimplices* apud omnes homines ſint *eædem*, Ideæ tamen *compoſitæ* & *aſſociatæ*, maxime, quæ à *phantaſia* vel *rationis arbitrio* proficiſcuntur, non apud omnes ſunt *eædem*; nam diverſi homines, cum habeant *diverſæ capacitatis* mentes (XXXIII. V.) easdem res ex *diverſis aſpectibus* contemplari poſſunt ob varias, eas cognoſcendi *internas*, aut *externas* occaſiones & *cauſas* (Num. cit. VI.)

IV.

EX RELATIONE AD OBJECTA.

XXXVI. SUb hoc reſpectu 1. aliæ ſunt ideæ *ſubſtantiarum*, aliæ *accidentium*, ſive *modorum*, & aliæ *relationum*, quarum naturas & characteres delineare ad *Metaphyſicam* ſpectat. 2. Aliæ rurſus dantur ideæ *veræ*, ſcilicet eæ, quæ ſuo objecto vere ſunt *conformes*, ſeu quæ objectum repræſentant, *ut eſt*, aliæ *falſæ*, quæ objecto ſuo à parte rei *non correſpondent*. Verum de his videatur *in Log. diſputatrice*. 3. Ideæ *ſingulares* ſunt, quæ repræſentant objectum **Idea vera & falſa.** **Idea ſingularis.**

unum aliquod *determinatum* in individuo e. g. *Petrus*, *Paulus*, vel *hic homo*. 4. Ideæ *particulares*, quæ rem quidem *unam*, attamen *indeterminatam* indicant e. g. *aliquis homo*. 5. Ideæ denique *communes*, seu *universales* rem, quæ *secundum naturam suam* de *pluribus* affirmari potest, repræsentant. e. g. *Homo*, *brutum*, *arbor*, *flos*. &c.

Particularis.

Universalis.

XXXVII. *Scholia*. *I*. Ideæ *singulares* cognoscuntur, tum ex *nomine* e. g. *Cajus*, *Titius*, tum ex *demonstratione* sive pronomine demonstrativo *hic*, *hæc*, *hoc*, e. g. *hic homo*, *hæc arbor* &c. tum etiam ex *hypothesi* seu *suppositione* e. g. *Christi proditor* (Judas) *Princeps Apostolorum* (Petrus) *Mellifluus Doctor* (S. Bernardus) *Doctor Seraphicus*, aut *subtilis* (*S. Bonaventura* & *Scotus*) &c. *II*. *Idea universalis* triplex assignatur a Scotistis, nempe 1. *in causando* sive *operando*, & dicitur ab illis unum *aptum ad causanda* sive producenda *multa*, imo *omnia*, & hæc idea soli Deo competit, qui propterea appellatur *causa universalis*. 2. *In essendo*, sive UNIVERSALE METAPHYSICUM nominant *unum aptum ad inexistendum in multis*. Sic natura humana,

Ideas singulares cognoscendi ratio.

Universale in causando.

In essendo.

ea-

eadem specie, quæ est in Petro, *vere* & *a parte rei inexistit* in Paulo juxta Scotum, 3. *in repræsentando*, sive UNIVERSALE LOGICUM, quod est *unum aptum ad repræsentanda*, vel potius *significanda multa*, sive etiam quod est aptum, ut *prædicetur* vel *dicatur de multis*, suntque nomina *secundæ intentionis*, ut vocant, quibus intellectus *universale Metaphysicum enuntiat.* v.g. *Genus*, *species &c.* de quibus *in sect. seq.* Nempe hi termini: *genus*, *differentia*, *species &c.* si præcise ut *termini* considerentur, dicuntur *universale Logicum.* Si vero secundum sua *substrata*, id est, secundum id, quod *a parte rei* per eos vere *enuntiatur* (non tamen ut *res*, sed ut *realitas*, seu *conceptus objectivus &c.*) à Scotistis vocantur *universale Metaphysicum.* De quo *in Metaphysica.* *III.* In idea universali spectari debent I. EXTENSIO. 2. COMPREHENSIO. Ad *secundam* eæ pertinent *notæ*, quarum una deficiente, ipsa deficiat necesse est, sive sunt *prædicata* rei *essentialia.* Sic v.g. ad *hominis comprehensionem physice* a Scotistis spectare dicitur *anima* & *corpus*, *metaphysice* autem *animalitas* & *rationalitas.*

In repræsentando.

Comprehensio.

tas. Ad *primam* pertinent *inferiora*, ad quæ repræsentanda idea universalis se *extendit* v. g. ad *extensionem* ejusdem *hominis* spectant *Petrus*, *Paulus*, *Andreas*, *Titius*, *Cajus*, & omnia alia *individua*, quæ sub hoc respectu *inferiora* vocantur.

Et extensio.

Ideæ universales fiunt per abstractionem.

XXXVIII. *Corollaria. I.* Ideæ *singulares*, cum sint de rebus *actu* & *determinate existentibus* (nil enim præter *singularia* physice *existit*, ut apud omnes in confesso est) formantur ope *sensuum*: Ideæ vero *universales* (cum *extra singularia* actu *non existant*, uti itidem omnes concedunt) fiunt tantum per *abstractionem*, seu *præcisionem* mentis (*abstrahimus* autem, cum unum sine altero, cui illud realiter *identificatum* est, concipimus & quasi ab eo *præscindimus*) v. g. Ideam *Ratisbonæ sensu* (per *visum* scilicet) acquirimus, quia est urbs *singularis*, & in individuo *existens*: at ut ideam *universalem urbis* in genere nobis formemus, *sensus* non sufficit (cum *genus* aut *species extra singularia* non *existant*) sed opus est, ut *plures* civitates *in individuo* inter se in mente conferamus e. g. *Augustam*, *Herbipolim*,

Con-

Constantiam, *Uberlingam*, *Argentoratum &c.* easque *proprietates*, in quibus prædictæ urbes *singulares perpetuo* conveniunt, *seorsim* consideremus, indeque nomen *Urbis* genericum *à singularibus* abstrahamus. *II.* Porro *abstractio* seu *præcisio* à Scotistis duplex rursum assignatur. 1. *Formalis* seu ex parte *intellectûs*, quando præcise *intellectus* noster aliquid ab altero præscindit, seu abstrahit, quod tamen *à parte rei* tam *realiter* quam *formaliter*, sive *ex toto* conjunctum est v. g. si quis *hominem* tanquam *definitum* abstrahit ab *animali rationali* tanquam illius *definitione*, aut *ensem à gladio &c.* 2. *Objectiva* seu ex parte *objecti*, aut *rei*, in qua concipitur unum sine altero, quorum quidem neutrum *se solo existere* potest, unum tamen *à parte rei aliam* habet *realitatem* seu *conceptum objectivum*, quam alterum, talis juxta Scotistas est præcisio *animalitatis* seu *principii sentiendi*, *à rationalitate*, seu *principio ratiocinandi*. Sed plura de hoc *in Metaphysica*.

Præcisio formalis.

Et objectiva.

XXXIX. Ex *relatione ad objecta* dantur adhuc aliæ ideæ. Nempe 1. In-

Idea intuitiva.

TUITIVA, qua rem in individuo *existentem* in se ipsa attingimus, atque etiam *intuemur*, ut v. g. *florem praesentem.* 2. ABSTRACTIVA (de qua diximus n. praec.) ut v. g. *flos* in genere. 3. DIRECTA, quae repraesentat objectum ipsum *primo* in se v. g. *arbor.* 4. REFLEXA, quae tendit in illam ipsam notionem *directam* v. g. explorando ac in mente *ruminando*, an sit conformis rei repraesentatae? 5. ABSOLUTA, quae rem menti objicit *sine connexione* cum aliquo altero v.g. *Mensa, liber.* 6. RELATIVA quae *cum connexione aliqua* objectum indicat e. g. *Pater, Filius, Servus, Dominus,* non enim adaequate *Pater ut Pater* cognosci valet, quin simul *connexio* sive idea *filii* ingeneretur &c.

Abstractiva. Directa. Reflexa. Absoluta & relativa.

SECTIO II.

DE DIVISIONE IDEARUM UNIVERSALIUM JUXTA PORPHYRIUM, SIVE DE QUINQUE PRAEDICABILIBUS.

Porphyrius Auctor praedicabilium.

XL. PORPHYRIUS natione Judaeus, postmodum Christianus, & denuo Apostata, secta Platonicus, atque

que Origenis condiscipulus, in gratiam adolescentis cujusdam Romani, nomine CHRYSOARII, sæculo Christi tertio scripsit εἰσαγωγὴν, sive brevem quamdam *introductionem* ad Aristotelis *Categorias* (de quibus in sect. IV.) in qua supplere, vel potius prævie explicare voluit scitu necessaria, quæ in ὀργάνῳ, sive *Logica* Aristotelis deesse videbantur. Statuit vero ibi quinque idearum universalium species, quæ in scholis dicuntur *quinque prædicabilia*, *à prædicando* (quia *modum* exhibent, quo attributa seu prædicata pluribus communia de aliqua re possunt *prædicari*) & sunt 1. *Genus*. 2. *Differentia*. 3. *species*. 4. *Proprium*. 5. *Accidens*.

XLI. GENUS à Prophyrio dicitur *attributum universale, quod multis speciebus convenit, ad quæstionem factam, quid res sit? tanquam pars essentiæ communior.* e. g. *animal* convenit *homini* & *bruto* tanquam *diversis speciebus* ad quæstionem factam, *quid res sit?* estque *pars essentiæ* humanæ & belluinæ *communior*, & prædicatur de illis, ut ajunt, *in quid incomplete*. Scilicet *in* Genus.

quid, sive ut *substantivum*, *incomplete*, quia ut *pars*. Ab aliis *genus*, prout spectatur *in rebus*, dicitur *multitudo specierum*, *quæ habent aliquid commune secundum essentiam*. Vel adhuc brevius: *Similitudo specierum.* Sic *animal* in *rebus* est *homo*, *leo*, *equus* &c. adeoque *genus* continet *sub se* species, & est *totum* aliquod *potentiale* respectu illarum, quod à Latinis vocatur *omne* (quia per τὸ *omnis* enuntiatur) *species* vero dicuntur partes *subjectivæ* generis sive *inferiora*.

Totum potentiale.

Partes subjectivæ.

XLII. Est autem genus, *magis* vel *minus generale* pro varietate *extensionis* (XXXVII. III.) unde & triplex genus communiter statuitur. 1. *Supremum*, quod nullum aliud habet genus supra se, ut *substantia* in arbore Porphyrii (sect. seq.) 2. *subalternum*, quod est *genus* respectu *inferioris*, & *species* respectu *superioris*, ut *corpus* vel *vivens* in eadem arbore; nam *vivens* v. g. respectu *animalis* est *genus*, & respectu *corporis* est *species*. 3. *Infimum*, sub quo *genus* aliud non reperitur, sed sola *species* ut *animal*, sub quo immediate ponitur *homo* tanquam *species*.

Genus supremum.

Subalternum.

Et infimum.

XLIII.

XLIII. Differentia dici solet *attributum pluribus conveniens sub eodem genere positis tanquam pars essentiæ specialior:* vel est *attributum essentiale & primarium, quo una species ab alia sejungitur*, sive *quod respondetur ad quæstionem factam, quale est quid essentialiter?* e. g. si quæritur *quid sit homo?* respondetur, ipsum esse *animal* (XLI) quod est ipsius *genus.* Deinde si quæratur: *Quale* sit *animal?* respondetur, esse *rationale*, quæ est *differentia*, & enuntiatur per *adjectivum*, à quo *restringitur* & *determinatur τὸ animal*, unde etiam in scholis *genus* dicitur *determinabile*, & *differentia* denominatur *determinativa*, seu *determinans.* Differentia.

XLIV. *Scholia I.* Differentia *generatim* quidem est *omne id, quo unum differt ab alio, in specie* autem, sive *speciatim* triplex est. 1. *Essentialis*, quæ etiam *specifica* dicitur, & de hac loquitur allata definitio (n. præc.) 2. *propria*, & appellatur *proprium*, de quo mox (XLVII.) 3. *accidentalis*, quæ spectat ad *accidens* (XLVIII.) *II.* Differentia *essentialis* rursum duplex est. 1. *Divisiva generis*, quæ nempe cum alia differentia opposita *di-* Differentia divisiva.

vidit genus e.g. *rationale* & *irrationale* dividunt *animal; corporeum* vero ac *incorporeum* dividunt *substantiam* in arbore Porphyrii (sect. seq.) 2. *Constitutiva cum genere*, quæ scilicet cum *genere*, quod dividit *constituit speciem* e.g. differentia *rationale* cum genere *animal* constituit *hominem* tanquam *speciem &c.* (fig. 1.)

Et constitutiva.

Species.

XLV. Species est *attributum, quod multis individuis sive singularibus convenit, ad quæstionem factam, quid res sit? tanquam tota rei essentia*: sive *quod de pluribus individuis enuntiari valet in quid complete*, hoc est, *quoad totam essentiam*. Sic prædicatur τὸ *homo* de *Petro*, *Paulo*, *Andrea*, & cæteris singularibus; quia si quæratur, *quid sit Petrus*? respondetur, quod sit *homo*, & ex hoc substantivo *tota Petri essentia* intelligitur. Hinc *species* secundum id, quod datur *in rebus*, st *multitudo singularium, quorum essentia est eadem;* vel brevius: Est *similitudo individuorum*. Sic enim, licet Petrus, Paulus &c. in multis à se invicem differant, in hoc tamen *à parte rei* perpetuo conveniunt, quod sint *homines*, adeoque per hoc constituunt

speciem

speciem humanam, conceptus vero iste seu vox: *species* (tanquam terminus *logicus*, sive ut vocant, *secundæ intentionis*) repræsentans naturam omnibus singularibus comunem, etiam juxta Scotistas fit solum *per intellectum præscindentem* (XXXVIII.) Attamen ejus *substratum* (sive id quod sub illa voce vere latet, quoad suam *realitatem*, seu *conceptum objectivum &c.*) dari etiam *nemine cogitante* contendunt (XXXVII. II.) dum in sua Metaphysica docent, *naturam communem dari à parte rei*.

Datur à parte rei quoad substratum terminorum logicorum.

INDIVIDUUM seu SINGULARE in scholis dicitur, *quod dividi non potest in plura talia, quale ipsum est.* e. g. *Petrus* non potest dividi in plures *Petros*, licet dividi possit in plures *partes*, & per hoc volunt differre *individuum* ab *indivisibili*, quod ultimum nec in *partes* dividi potest. Ab aliis *individuum* dicitur, *quidquid sub sensus cadit, sive externos, sive internos aut imaginationem* (XXXVIII.) ab aliis, *quod non habet sui simile*, vel denique *ens omnimode determinatum*: *determinationes* vero illæ, quibus unum individuum saltem *externe* ab altero discernitur, sunt sequentes: *For-*

Individuum.

Individuationis principium externum.

Forma, figura, locus, tempus, stirps, Patria, Nomen.

Et internum.

Dixi: *Saltem externe* seu *physice* &c. nam Scotistæ in sua Metaphysica aliam adhuc admittunt *determinationem intrinsecam* (*hecceitatem* vocant) naturæ communi superadditam, per quam eadem *intrinsece* fiat *hæc*, seu *singularis*, cum *de se* sit *universalis*.

Species constituitur ex genere & differentia.

XLVI. *Corollaria.* I. Species *genere* & *differentia* continetur, sive, quod idem est, *differentia addita generi constituit speciem.* e. g. *Rationale* additum *animali* constituit *hominem.* Unde *species* quoque bene definitur, quod sit *prædicatum genere & differentia constans, pluribusque conveniens tanquam tota rei essentia.* II. Species eo fere modo, quo *genus* (XLII) dividitur in *supremam*, *subalternam*, & *infimam.* 1ma *est*, quæ generi *supremo* (*substantiæ*) immediate subjicitur, & solum *respectu illius* est *species*, respectu autem cæterorum omnium verum *genus* constituit, ut *corpus.* 2da dicitur ea, quæ *genus* est respectu *inferioris*, & *species* respectu duorum aut plurium generum *superiorum*, ut *vivens*, vel *animal.*

Species suprema,

Subalterna,

3tia

3*tia* denique *atoma* (à voce ἄτομος *individuus*) seu *minima species* est, quæ sub se nullam aliam continet *speciem*, sed *sola individua* ut *homo*, qui continet *Petrum*, *Paulum* &c. Duæ porro *priores* species appellantur etiam *species subjicibiles*, & pertinent ad *genus* (XLII) & sola *postrema* peculiare universale, quod dicitur *species*, constituit, estque totum *potentiale* respectu *individuorum*, eoquod *sub se* habeat *individua* tanquam *partes subjectivas* (XLI) quodlibet autem *individuum* denominatur *totum actuale*, id est: tale, quod *actu* omnes *in se* partes habet, ut v. g. *Petrus* habet *in se corpus* & *animam*. III. Illa, quæ ad constituendam *speciem* concurrunt, in scholis dicuntur *essentialia*, item *forma rei*, *esse rei*, sive uno verbo *quidditas*, sine qua scilicet nulla habetur *comprehensio* (XXXVII. III.) & qua posita *ponitur*, & qua sublata *tollitur* quævis res.

Et infima.

Totum potentiale.

Partes subjectivæ.

Totum actuale.

Essentialia rei.

XLVII. Proprium 4 modis dicitur apud Porphyrium. 1. Quod convenit certæ alicui speciei *soli*, sed non *omni*, id est, non omnibus illius speciei individuis. e. g. *Esse Philosophum* competit *soli homini*, non vero *omni*.

Proprium.

2. Vice

2. Vice versa, quod convenit *omni*, sed *non soli* certæ speciei. Sic *omni* homini proprium est, *duos habere oculos & pedes*, at *non soli*, nam etiam *avibus* id convenit. 3. Quod *omni* & *soli* speciei commune est, sed *non semper*. e. g. *Omni* & *soli* homini competit *ridere* & *sermocinari*, non tamen homo *semper* actu *ridet* aut *sermocinatur*. 4. Denique quod *omni* & *soli* speciei convenit, & *semper*. Sic *posse ridere*, *aut posse ratiocinari*, *posse sermocinari &c.* homo *proprium* habet. Et in hoc ultimo sensu proprium definitur esse *attributum universale secundarium* (*genus* & *differentia* sunt *attributa primaria*) *quod prædicatur de aliquo*, *tanquam immediate fluens ex ipsius essentia*, *& necessario competens illi speciei*, *sub qua ipsum continetur*, *omni*, *& soli*, *& semper*.

Proprietas quarto modo. Diciturque propterea etiam *proprietas quarto modo*. Talis in homine proprietas est *capacitas ad scientias*, utpote quæ *ex illius essentia immediate fluit*, & *omni*, *solique* homini *continuo* competit.

Accidens. XLVIII. Accidens est *prædicatum universale secundarium*, *commune pluribus subjectis*, *quibus tantum contin-*

genter

genter inest, vel ut loquitur Porphyrius, *est id, quod adest vel abest sine subjecti, quod afficit, & cui inhæret, corruptione.* e. g. *Albedo*, vel *actualis doctrina*, aut *pulchritudo &c.* in *homine.*

Accidens dividitur 1. in *separabile*, quod vel *actu* separatur, vel saltem separari *potest* à suo subjecto, ut *albedo à muro.* 2. In *inseparabile*, quod non ita separari potest. e. g. *Nigredo à corvo.* 3. *Extrinsecum*, quod rem tantum *extrinsecus denominat*, & vocatur *denominatio externa.* Sic v. g. *murus* denominatur *visus* ab hominis *visione*, quæ est muro *extrinseca.* 4. *Intrinsecum*, quod *in ipsa re*, vel subjecto recipitur, ut *intellectio*, & *volitio* respectu *animæ*, aut *quantitas*, *motus*, *quies*, *figura &c.* respectu *corporis*, ut Philosophi moderni loquntur.

Separabile. Inseparabile. Extrinsecum. Intrinsecum.

XLIX. *Scholia.* I. Quandoque, si duæ *substantiæ* simul concipiantur, una etiam concipi potest tanquam *accidens.* e. g. Si concipitur *homo vestitus*, tanquam quid compositum ex *homine* & *vestibus*, licet de se *vestes substantiæ* sint, hic tamen respectu *hominis* solummodo ad *quintum universale* pertinent. II. *Accidens*

Substantia potest quandoque dici accidens.

Accidens inseparabile differt à proprio.

cidens inseparabile differt à *proprio* in hoc, quod *proprium* possit *convertibiliter* prædicari cum *specie*, non verò *Accidens inseparabile*. Sic bene dicitur, *omnis homo est scientiarum capax*, & vice versa: *Omne scientiarum capax est homo*. Ast non valet. *Omne nigrum est corvus*, licet vere dici queat: *omnis corvus est niger*.

SECTIO III.

DE ARBORE PORPHYRIANA ET CARTESIANA.

Quid sit arbor Porphyriana?

L. PORPHYRIUS (XL) clarum, ac memoriæ opportunum specimen Discipulo suo CHRYSOARIO eorum exhibiturus, quæ de *genere*, *specie*, & *differentia* ipsum edocuerat, in sua ISAGOGE sequentem Arborem Statuit, (Fig. I.) in qua 1. ab aliquo *individuo* scilicet *Paulo* (quod individuum *substantia prima* ab eo dicitur) tanquam ab Arboris *radice* ascendere licet ad *speciem* (*Homo*) ab hac ad genus *infimum* (*animal*) *subalternum* (*vivens*, *corpus*) ac tandem ad genus *summum*: *substantia*: quæ *substantia secunda* à Porphyrio

Substantia prima.

Substantia secunda.







phy
ſunt
bra
re, (
ſpeci
anim.
alte
rep
mi
mea
Ari
inda
corp
phyſ
tant
bilit
ne a
dire.
bor
ut
cæt
quc
co;
id,
nu
tu

I
defi
gum

phyrio vocatur) 2. à *latere* positæ sunt *differentiæ* (XLIII) tanquam membra & *partes totius*, quæ ex uno latere, cum suo *genere constituunt* totum seu *speciem*, v. g. *rationale* cum suo genere *animal*, conficit speciem *homo &c.* Ex altero autem latere *negant speciem*, cui repugnant. e. g. *Irrationale* negat *hominem*, cui *repugnat*. 3. Quæ sunt in *media* linea, dicuntur *directe* posita in Arbore ista, & quæ *ab utroque latere*, *indirecte*, *partes* denique vel *physicæ*, ut *corpus* & *anima* in *homine*, vel *metaphysicæ*, ut *animalitas* & *rationalitas &c.*, tantum *reductive* ad Arborem prædicabilium spectant, scilicet nonnisi *ratione alterius*, quod in ea *directe* vel *indirecte* ponitur, unde *corpus* hic in Arbore non sumitur ut *pars hominis*, sed ut *totum potentiale* sive *genus* (XLI) cæterum *directa prædicatio* est, si illud, quod *latius* patet, *prædicatur*, ut si dico: *homo est animal*. *Indirecta* vero si id, quod latius est, *subjicitur*, & *minus late* patens in loco *prædicati* ponitur: e. g. *Aliquod animal est homo*.

Prædicatio Directa, & indirecta.

LI. Inservit autem hæc Arbor tum *definitioni*, tum *divisioni*, tum etiam *argumentationi* faciendæ. Nam 1. Si *ge-*

Usus arboris Porphyrianæ.

neri in linea *media* posito, v. g. *animal* conjungitur *differentia*, *ab uno latere posita* (*rationale*) prodit *definitio hominis*, nempe: *homo est animal rationale*. Item *animal est vivens sensitivum &c.*

Ad definiendum.

2. Si *genus* in suas differentias *ab utroque latere positas*, dividatur, adest *divisio* v. g. *Substantiæ* in *corpoream*, & *incorpoream*; *corporis* in *animatum* & *inanimatum &c.* 3. *Argumentatio* procedit, si de *individuo* seu *substantia prima*, scilicet *Paulo*, prædicentur tum *genera omnia*, supra ejus *speciem* posita, usque ad *genus supremum*, seu *substantiam secundam*; tum horum quoque generum *differentiæ constitutivæ*; *repugnantes* vero de eo negentur e. g. *Paulus est homo*: *ergo est rationalis*: *ergo est sensitivus*: *ergo est animatus*: *ergo est corporeus*. Postmodum *à contrario* poterit inferri: *Plato est homo*: *ergo non est irrationalis*: *ergo non est insensitivus &c.*

Dividendum.

Et argumentandum.

Crisis Recentiorum in arborem Porphyrianam.

LII. Displicet nihilominus Arbor Porphyrii Philosophis Recentioribus, non solum, quia ille ut ethnicus, cum Platone admisit δαίμονασ *DEos*, *Lares* sive *Spiritus*, quos ab *homine* per differentiam: *immortalis*: distinxit, hominique *spiritum mortalem* attribuit (in

quo

quo utique contra veræ fidei principia gravissime erravit, nec ab ullo unquam Christiano Philosopho in hac parte assensum tulit) sed etiam aliis, & quidem tribus potissimum de causis. 1. Quia (ut modo illa arbor passim depicta videtur) in ea nec ponitur *Deus*, nec alii *Spiritus* quicunque. 2. Quoniam τὸ *Homo* ponitur ibi tantum sub genere *animal*, cùm tamen etiam ratione *animæ* (tanquam *partis nobilioris*) deberet poni *sub Spiritu*. 3. Denique quia *in altera linea collaterali*, ponuntur meræ *differentiæ negativæ*, per quas nulla rerum species (quarum quælibet ens est *positivum*) constitui potest. Ast *Respondent Peripatetici* ad 1*mum*, DEUM *sub nullo genere* contineri, cum non habeat *conditiones requisitas* ad hoc, ut inter *prædicabilia* referri possit, quæ juxta ipsos tantum ejusmodi entia esse debent, de quibus verificetur istud Hexametrum,

Responsiones. Peripateticorum. 1

Entia per sese, finita, realia, tota.

DEUS ergo (inquiunt) cum non sit ens *finitum*, nequit *arborem Porphyrianam* ingredi. Alios vero *Spiritus* asserunt poni in Arbore per differentiam collateralem *incorporea*.


Ad 2dum admittunt, quod Porphyrius non intenderit dare *plenariam divisionem substantiæ*, sed tantum *ideam doctrinæ*, Discipulo suo de *genere*, *specie*, ac *differentia*, traditæ.

Ad 3tium dicunt, differentias illas esse tantum *negativas secundum voces*, secundum *rem* vero esse *positivas*, cum sint *negationes inseparabiles*, sicut v. g. *negatio irrationalitatis* in *homine*, est aliquid *positivum*, scilicet ipsa *rationalitas*, cum duplex negatio sit formalis affirmatio.

Arbor Cartesiana.

Recentiores vero istas Peripateticorum responsiones, præsertim *primam* & *secundam*, putantes esse *arbitrarias*, & infantiæ *præjudiciis* nimium addictas, Duce *Cartesio*, ejusque sectatore *Purchotio*, aliam statuunt arborem fig. II. (quæ ab aliis propterea etiam *Cartesiana*, ab aliis vero *Purchotiana* dicitur) in eaque poni asserunt *Coordinationem generum & specierum omnium*, *quæ sub genere supremo entis continentur*, & consequenter ea, quæ in arbore Porphyriana desunt, ibi adæquate suppleri.

Atta-



E 3 *disci,*

De

I
vu
P. I
nea
qu
me
pri
poji
pof
nu
rib
coa
corp
cia,
ut r
gen

Ca
na.

DI

L.

ru
pa
bis
loc

Attamen in hac quoque Arbore nævum reperit Cl. P. Fort. a Brix. Log. P. I. n. LXVIII. ubi negat plane idoneam esse *substantiæ* divisionem, eo quod *corpus* in *vivens* & *non vivens* immediate dividatur, illud enim (inquit) primo dividendum est in *simplex* & *compositum*, & tunc primum corpus *compositum* in *vivens* & *non vivens*, cum nullum sit corpus *vivens*, quod ex pluribus *natura diversis* intrinsecus non coalescat. Adde, quod *prima* etiam *corporum principia* debeant esse *simplicia*, ne detur processus in infinitum: ut modo passim in *Cosmologia*, & *Physica generali* docetur.

SECTIO IV.

DE PRÆDICAMENTIS, SEU CATEGORIIS VV. PHILOSOPHORUM.

LIII. PRÆDICAMENTA (græce κατηγορίαι) sunt *variæ rerum classes*, *ad quas unaquæque res in particulari*, *quæ mente concipi aut verbis exprimi valet*, *tanquam ad proprium locum referri*, *atque per hoc ordinate ad-* Prædicamenta.

difci, ac diftincte prædicari valet. Ea differunt à *prædicabilibus* per hoc, quod *prædicamenta* exprimant *ipfa* fubftantiæ fingularis *attributa* omnia, *quæ* enunciari queunt, *prædicabilia* vero *modum* tantum, *quo* attributa enuntiantur (XL) Archita Tarentinus antiquiffimus Philofophus, omnium primus decem ftatuiffe dicitur ejusmodi claffes five *prædicamenta*, quem numerum non modo Ariftoteles, fed etiam alii omnes poft ipfum Philofophi antiquiores recepêre. Sunt autem fequentia 1. *Subftantia.* 2 *Quantitas.* 3. *Relatio.* 4. *Qualitas.* 5. *Actio.* 6 *Paffio.* 7. *Ubi.* 8. *Quando.* 9. *Situs.* 10. *Habitus*, quæ pro memoriæ adjumento per exempla (vel faltem *figna*) declarantur ifthoc noto difticho:

Subftantia. quantitas. relatio. qualitas.
Arbor fex fervos ardore

actio. paffio.
refrigerat uftos.

ubi. quando. fitus. habitus.
Ruri cras ftabo, cum tunicatus ero.

LIV.

LIV. *Corollarium.* Si dicta decem prædicamenta bene animo perlustrentur, dici potest, quod *duæ* tantùm principaliores sint *prædicamentorum classes*, scilicet *substantia* & *accidens*. Nam vel res aliqua *per se ipsam independenter ab alia* existit, & erit *substantia*, vel *alteri inhæret*, *atque ab eo sustentatur*, & erit *accidens* (XLVIII) quod in novem denuo classes subdividitur. Hoc nempe *accidens* 1. vel ita *afficit* substantiam, ut fiat corpus aliquod *impenetrabile*, id *extendendo*, & *palpabile reddendo*, & erit *quantitas*. 2. Vel significat *ordinem ad aliud*, & est *relatio*. 3. Vel *accidentali quadam perfectione ornat*, & erit *qualitas*. 4. Vel substantiam *operari* notat, & est *actio*. 5. Aut illam *pati*, & *passio* nominatur. 6. Vel substantiam *in loco* esse ostendit, & erit *ubi*. 7. Vel *ad tempus* eam refert, & est *quando*. 8. Aut *ordinem vel dispositionem partium* in ipsa substantia repræsentat, & erit *situs*. 9. Vel denique *indumentum* corpori applicatum, & *habitus* vocatur. De singulis genuinas *Peripateticorum*, tum etiam ex parte, *Neotericorum* definitiones afferre juvat. Igitur

Propriè sunt tantum duo.

Substantia. LV. SUBSTANTIA in scholis dicitur *ens per se existens*, id est, *non inhærens* alteri. Tale ens v. g. est *DEus*, *Angelus*, *Lapis &c.* illi opponitur ACCIDENS, quod solum existit *in alio*, eique *inhæret*: ut v. g. *doctrina* in homine (XLVIII) *substantia* semper prædicatur *in recto* seu casu *nominativo*, *accidens* vero in *obliquo* (seu cæteris casibus extra Nominativum) e. g. *Hoc ens est DEus*, *est Angelus*, *est lapis &c.* econtra male diceretur: *hic homo est doctrina*, sed dici debet: *hic homo*, *seu hoc ens est habens doctrinam &c.* & per hoc *substantia* ab *accidente* facile discerni potest. Alia porro est *substantia spiritualis*, ut *DEus*, *Angelus &c.* alia *corporea*, ut *homo*, *brutum &c.* Ulterior *substantiæ divisio* videri potest in arbore *Cartesiana* (fig. II.) quid vero *substantia prima* sit aut *secunda*, dictum est (L)

Putat Cl. P. Fort. à Brix. per *substantiam* hic non intelligi à *Peripato ens per se existens*, sed *specificam naturam*, sive *essentiam* individui substantialis, utpote cujus attributa in hac prædicamentorum serie recenseantur & explicentur. *Prædicamentalem* itaque *sub*-

stan-

stantiam ipse definit Log. p. I. Sect. VI. N. LXXIV. esse *id, quod respondetur quærenti, quid essentialiter sit res quævis individua, seu quid sit illud subjectum nobis ignotum, in quo sunt affectiones & proprietates nobis notæ?* Atque ex eo quidem capite istam definitionem ponit, quia *essentia* rei cujuscunque (ut in Metaphysica docetur) est *primum*, quod de re quæritur, omniumque rei attributorum *subjectum, principium, atque origo.*

Substantia rursum aliter à Recentioribus definitur Philosophis, nempe à Wolfio: *Subjectum perdurabile & modificabile*: à Leibnitio vero dicitur *ens, quod principium suarum mutationum* (id est *accidentium*) *in se continet.* Et quadrat certe hæc definitio pro substantiis *creatis*, non vero pro *DEO* sive substantia *increata* (utpote qui nullum in se *accidens* proprie dictum continet) sic v. g. *granum tritici* est *substantia*, quia si mittatur in terram, in prima sui *mutatione accidentali*, ex eo fiet *spica*, hæc per molendini rotas in gyrum actas, secundo *mutabitur* in *farinam*, tum ex farina in *panem*, ex pane ab homine in ventrem demisso, in *Chylum*, ex

chylo in *sanguinem* vel *carnem*, ex carne in *vermes*, ex *vermibus* in pulverem sive *terram* &c. continua *vicissitudine* abibit.

Substantiæ proprietates. Sex substaniæ proprietates Aristoteles recenset, quarum duæ præcipuæ memorandæ sunt 1. *quod substantiæ nihil sit contrarium*, *quatenus substantia est*: Sic *aquæ* v. g. *ignis* non est *ex se* contrarius, sed ob sua *accidentia*, nempe ob *calorem*, *siccitatem* &c. per quæ dignoscitur substantia, *qualis* sit, ideoque ejusmodi *accidentia* in scholis *qualitates* vocantur. 2. *Quod substantia non recipiat magis aut minus*. Sic v. g. unus *homo*, non est *magis homo* quam alter, ex *sua substantia*, licet differant duo homines inter se ob varia *accidentia*, & diversas *determinationes externas* (XLV.)

Quãtitas. LVI. QUANTITAS (inter omnia *accidentia* primum) definiri in scholis solet: *Accidens absolutum*, *faciens*, *ut una substantia cum altera pariter quanta in eundem locum penetrari nequeat*. Aliam vero *quantitatis* definitionem affert Cl. P. Fort. à Brix. dicens, quod ea in genere sit *tale attributum*, *penes quod* *duo*,

duo, si inter se mutuo comparentur, æqualia vel inæqualia dici solent. Cui *quoad sensum* consonat quoque ista Purchotii, quod sit *mensura*, seu *Modus magnitudinis*, & Wolfii, qui illam vocat *discrimen internum similium*, hoc est, *quo similia, salva similitudine, intrinsece differre possunt.*

Plures assignantur *quantitatis* species 1. quantitas *perfectionis*, quæ consistit *in serie Perfectionum majorum vel minorum, enti competentium*, in quo sensu vel ipse DEUS dicitur *quantus* (nempe eminenter) & omnia entia *perfectionem* habentia. 2. Quantitas *virtutis*, sive *major*, *minorve extensio activæ potentiæ*, ut si dicimus, solis *vim magis influere* in sublunaria, quam alterius cujusque sideris aut planetæ, adeoque ipsius *virtutem*, seu *potentiam* activam, esse *magis quantam*, quam aliorum Astrorum. 3. Quantitas *molis* sive *magnitudinis*, nimirum *entitativa corporum extensio*. 4. Quantitas *discreta* sive *numerica*, vel *multitudinis*, cujus partes sunt *multæ*, id est, quæ à se mutuo *sejunctæ* re ipsa sunt, vel ut sejunctæ spectantur, quales sunt *numeri Arithmetici*. 5. Denique quantitas *continua* est, cujus partes sunt *continuæ*, sive *conjunctæ*. Quantitatis species.

&c. Eaque rursus vel est *successiva* vel *permanens*. 6. *Successiva* dicitur, cujus partes non actu *simul* adsunt, sed *in perpetuo* fluxu *successivo* consistunt, ut se habent variæ *motuum* & *temporum* species v. g. *Annus*, *Mensis*, *Dies*, *Hora* &c. *motus* tamen à quibusdam ad *qualitatem* potius, quam *quantitatem* reducitur, eoquod & ipse suam habeat *quantitatem*, ut *in Physica* docetur. 7. *Quantitas permanens* illa vocatur, cujus omnes partes *simul* existunt, ita, ut *tripliciter mensurari* queant, scilicet vel secundum *longitudinem* tantum (quæ dimensio *linea* appellatur) vel secundum *longitudinem* & *latitudinem* simul (quæ *superficies*) vel secundum *longitudinem*, *latitudinem*, ac *profunditatem* (quæ *soliditas* sive *corpus solidum* dicitur) de qua mensura triplici agunt Geometræ, non quod ulla *sit longitudo sine latitudine*, vel *longitudo* & *latitudo* sine *profunditate*, sed quod *spectari* possit *longitudo* unius corporis seorsim ab ipsius *latitudine*, vel *longitudo* & *latitudo* sine *profunditate*. Et talem quantitatem *permanentem* ac *triplicem dimensionem* naturaliter habent omnia corpora sub *tactum* cadentia v. g. *Mensa*, *Liber*, *Arbor*, &c.

Tres

Tres sunt *quantitatis proprietates* juxta Aristotelem. 1. *Non habere contrarium*, nam quantitas non est contraria alteri quantitati, ut *substantia*, non est contraria alteri *substantiæ, ratione sui* (LV) sed tantum *ratione suarum qualitatum.* 2. *Non recipere magis & minus;* etenim quantitas una non est *magis* aut *minus quantitas* quam altera, licet esse possit *major* vel *minor* quantitas. 3. Res tandem per *quantitatem* dicuntur *æquales* vel *inæquales.* Sic v. g. lignum *bipalmare* alteri ligno itidem *bipalmari* dicitur *æquale in longitudine*, econtra si alterum sit *tripalmare*; tunc illud prius huic dicitur *inæquale*; Quantitatis proprietates.

LVII. Qualitas (ut est *secundum accidens prædicamentale*) in scholis definitur, quod sit *forma accidentalis, denominans rem, qualis sit.* Adeoque *secundum qualitatem* res denominantur *quales*, seu potius *tales*, aut *tales.* Porro *qualitas* alia est *spiritualis*, ut *gratia sanctificans*, & *Character sacramentalis*: Hæc spectat ad *Theologos.* Alia est *corporea*, quæ rursum ab Aristotele dividitur in quatuor species bimembres, suntque 1. *habitus*, & *dispositio.* 2. *Potentia naturalis*, & *impotentia.* 3. *Patibilis* Qualitas.

bilis qualitas; & *passio*. 4. *Forma* & *figura*. Agamus de his, in quantum hic necesse est.

Qualitatis quatuor species.

Habitus est *operandi facilitas, ipsi potentiæ operanti superaddita, atque à subjecto, cui inest, non facile mobilis*. Unde illud axioma: *habitus est altera natura*. Ut sunt v. g. *habitus saltandi, ludendi, argumentandi &c.* Si autem habitus nondum sit *firmiter radicatus*, *dispositio* tantum nominatur. De cætero omnis omnino habitus, modo descriptus, *naturaliter* acquiritur tantum *per actus frequentatos*: dantur autem & *habitus supernaturales*, qui à solo Deo *infunduntur*, & per quos non tantum *faciliter*, sed etiam *simpliciter, ad hoc* vel *illo modo agendum* apti reddimur, ut sunt habitus *Fidei, Spei*, & *Charitatis &c.* Sine quibus nemo *meritorie* operari valet, ut loquuntur *Theologi*.

Potentia naturalis est *aptitudo*, vel, ut alii loquuntur, *vis à natura rebus indita ad agendum* seu *aliquid producendum* (& in hoc sensu dicitur *potentia activa*) aut ad *patiendum*, seu aliquid *recipiendum* (sicque vocatur *potentia passiva*) si autem illa *vis* & *aptitudo* sit

pror-

prorsus *infirma*, appellatur *impotentia* seu *infirmitas.* Porro *activæ* potentiæ *actus*, est ipsemet *effectus; passivæ* vero *actus*, est *forma* denominans passum, seu est id, *quod recipitur.* Sic v. g. intellectus tanquam *potentia activa*, producit *intellectionem* pro *actu* suo, si autem considere-tur ut potentia *passiva*, sive *recipiens*, tunc eandem illam *intellectionem* in se *recipit* velut *formam*, per quam *denominatur intelligens.* *Qualitates patibiles*, seu potius *sensibiles* sunt, quæ *sensu* percipiuntur, & quidem aliæ sunt *in ipsis sensibus*, ab objecto diffusæ, ut v. g. *sonus*, *color*, *odor &c.* Aliæ sunt *in ipsis objectis*, & efficiunt impressiones in sensus e. g. *durities*, *scabrities*, *viscositas &c.* Si ejusmodi qualitates cito transeunt, vocantur *passiones*, ut v. g. *rubedo* in vultu erubescentis.

Figura est *terminus quantitatis*, *ultra quam non extenditur quantitas*, ut v. g. *Rotunditas in globo*, *figura quadrata*, *Elliptica &c.*

Forma hic sumitur pro ea *dispositione partium*, *quæ subjecto de se*, *& ex natura competit.* e. g. *Pyramis igni*, *sphæra*

aquæ

aquæ &c. Ut Peripatetici loquuntur. Vel *forma* etiam appellari poteſt, *apta diſpoſitio lineamentorum corpori competentium.*

LVIII. *Scholion. Qualitas corporea* à Schola *Subtili* plerumque definitur, quodſit *tale accidens, ratione cujus ſubjectum poteſt intendi vel remitti.* Tunc autē *intendi* dicitur ſubjectum aliquod, cum aliqua qualitas *plures* & *plures gradus* ſubjecto communicat, non autem per hoc intelligunt Scotiſtæ, quaſi ipſa *qualitas in abſtracto* intendatur, ſed quia per qualitates *ſubjectum* dicitur intendi, *plures gradus accipiendo.* Sic. v. g. unus gradus *Caloris* non eſt magis calor, quam alius (nam *eſſentiæ* rerum ſunt *indiviſibiles*) ſed unum aliquod ſubjectum habens plures gradus caloris quam aliud, dicitur *magis calidum. Remitti* vero dicitur ſubjectum, dum *ceſſant* gradus caloris. Hæc porro *intenſio* & *remiſſio*, non eſt juxta alios ipſa *qualitatis eſſentia*, ſed *prima* tantum *proprietas*: *altera* eſt, quod ſecundum qualitatem res aliqua dicatur alteri *ſimilis*, vel *diſſimilis.* e. g. Duo muri *albi* propter *albedinem*, quæ in ſcholis dicitur *qualitas*, vocantur *ſimiles*,

Qualitatis proprietates.

3*tia* proprietas eſt, quod *qualitas habeat contrarium.* Sic enim v. g. *virtus* contraria eſt *vitio*, & *nigredo albedini*, ſecundum eosdem ſcholaſticos. Volunt tamen nonnulli, hanc eſſe potius *proprietatem tertio modo* (XLVII) dicendam.

LIX. Relatio eſt *ordo*, *ſeu reſpectus unius ad aliud.* Sic v. g. *Pater* refertur ad *Filium*, *Servus* ad *Dominum &c.* quoniam vero nullum eſt *ens*, neque *modus entis*, in quo non ſit, aut eſſe poſſit aliquis *ordo*, vel *reſpectus* ad aliquid aliud, hinc præclare monent Cl. Purchotius, & Auctor *artis cogitandi*, relationem eſſe potius terminum *tranſcendentalem*, quam *categoricum*. Peripatetici vero diſtinguunt inter relationem *tranſcendentalem*, quam & ipſi vocant *inſeparabilem* (ut eſt relatio *creaturæ ad creatorem*) & inter relationem *prædicamentalem*, quam appellant *ſeparabilem*, eamque poſtremam rurſus dividunt in *intrinſecus*, & *extrinſecus advenientem*: *illa* nullam *conditionem* requirit, ut reſultet; ſic duo muri albi, ubicunque exiſtunt; ſine alio addito ad ſe referuntur, ſive *relationem ſimilitudinis* dicunt. *Hæc* autem, ſcilicet

Relatio.

Tranſcendentalis.

Prædicamentalis.

Intrinſecus, &

F ex-

Extrinsecus adveniens. *extrinsecus adveniens*, approximationem, tanquam *conditionem* requirit. Ut *ignis* non dicit *ordinem ad combustionem domus*, nisi ad eam *approximetur*.

Relativa sunt simul. *Relativa* in scholis dicuntur *esse simul natura & cognitione*, hoc est, ex duobus, relationem ad se dicentibus, unum *ut relativum* cognosci nequit, quin etiam alterum eo ipso intelligatur. e. g. Pater, *ut pater* nullatenus à nobis cognosci valet, nisi etiam *filius* (per cujus generationem fit *pater*) sui ideam nobis ingeneret.

Fundamentum Relationis, terminus, & ratio fundandi. Cæterum in omni relatione tria concurrere debent. 1. *Fundamentum*, scilicet id, quod refertur, v. g. *Pater*. 2. *Terminus ad quem* illud prius refertur, v. g. *filius*. & 3. *Ratio fundandi*, sive illa ratio, *propter quam* unum refertur ad aliud, v. g. *actio generativa*. Mutua plurium habitudo dicitur etiam *correlatio*, ac *Pater*, & *Filius* dicuntur *correlata*.

Actio. LX. Actio est *relatio extrinsecus adveniens, per quam causa denominatur actu agens*. Et dicitur *relatio extrinsecus adveniens*, quia subjectum, circa quod

quod fit *actio*, debet *approximari* agenti. Passio vero eſt, *qua ſubjectum denominatur actu patiens, ſive actionem aliquam recipiens.* e. g. *Calefactio* reſpectu ignis *agentis*, ſeu *calefacientis* dicitur *actio*, reſpectu autem *manus*, calefactionem *recipientis*, ſive ut *recepta* in manu calefacta, *paſſio* vocatur. Unde dari nequit *actio*, quin ſimul detur *paſſio*, cum ſint *correlata*. Et licet in *diverſis* prædicamentis ab Ariſtotele collocentur, ſolo tamen *concipiendi modo*, non autem *à parte rei* inter ſe diſtinguntur. Alia etiam in ſcholis dicitur actio *immanens*, alia *tranſiens*. *Prima* eſt, quæ *nihil producit extra ipſum agens*, ut *viſio*, *cognitio*. *Secunda*, quæ *efficit aliquid extra agens*, ut *calefactio*, aut *illuminatio ignis*. Paſſio.

Actio porro Neotericis eſt illud *conamen*, *quod adhibetur ad æquilibrium tollendum*: *paſſio* autem illud, *cujus momentum ſive potentia ſuperatur*. Ut in *Mechanica* docetur.

LXI. *Scholia*. I. *Actio* in Scholis quandoque ſumitur quoque, vel pro *actu ſecundo*, id eſt, pro *actuali exercitio agentis*. Vel pro *potentia*, & tunc

vocatur *actus primus*, vel denique pro *perfectione*, prout *anima* dicitur *actus corporis*, id est, *ejus perfectio.* II. Quid sit *potentia activa* & *passiva*, dictum est (LVII) III. Ad hoc prædicamentum reducuntur vulgo omnes *causæ agentes*, quarum *effectus* idem sunt, ac τὸ *passum*, dicuntque *correlationem*, sive *relationem reciprocam* ad illas: Attamen *proprie* loquendo, per *actionem* à Scholasticis intelligitur non tam actio *productiva*, qua v. g. ignis calorem *producit*, quam *transmutativa*, qua e. g. aqua *frigida* per *ignem mutatur* in *calidam*, ubi *aqua* in rigore est τὸ *passum*, & *ignis* est *agens*, *calefactio* autem dicitur *actio*, *calor* demum *ratio*, *sub qua* ignis agit.

Ubi. Quando. LXII. Ubi sive *Locatio*, est *relatio rei locatæ ad locum*. Quando sive *duratio*, est *relatio rei durantis ad tempus*, vel, ut alii loquuntur, est *ipsa existendi perseverantia*. Situs. Situs est *dispositio & ordo partium corporis in loco*, secundum quem Habitus. aliquis v.g. dicitur *stare*, *sedere &c.* Habitus denique est relatio corporis ad vestes, & ornamenta, quibus induitur. Vel potius est *corpus quoddam alteri corpori circumpositum*, ut *toga*,

pal-

pallium &c. Inde *habitus* inter *accidentia physica* proprie censendus non est, sed inter *substantias* (LV) licet *accidentalis* dici possit respectu *hominis*, ad cujus *essentiam* non pertinet (XLIX. 1.) ad *habitum* ex aliqua Etymologia in Scholis quoque referuntur omnes *formæ*, à quibus materia perficitur, & quasi *ornatur*, ac in certa specie constituitur e. g. *Albedo* dicitur se habere per modum *habitus* in muro, quem vestit.

LXIII. *Scholion.* Atque hæ sunt famosæ illæ Aristotelis κατηγορίαι, sive *prædicamenta*, in quibus explicandis bona VV. Logicorum pars occupata erat, *quæ* tamen (ut inquit Cl. Ant. Gen. Log. cap. IV. §. VI.) *Nullum alium habent usum, quam Sophistice disserendi, assuefaciuntque adolescentes ad inania vocabula pro sincera sententia acceptanda.* Verum an hoc judicium æqua rationis lance trutinatum sit? Doctioribus decidendum relinquo. Hisce porro prædicamentis Aristoteles in suo *organo* præmisit sic dicta *Ante-Prædicamenta*, ac post *categorias* subjunxit *Post-Prædicamenta*, uti in Scholis vocantur.

Cl. Ant. Gen. de prædicamentis judicium.

Ante-Prædicamenta.

LXIV. Per Ante - Prædicamenta indicantur quædam *prænotiones*, quas ad meliorem suarum categoriarum intelligentiam necessarias judicavit Aristoteles, suntque explicationes nominum *univocorum*, *æquivocorum* & *Analogorum*. De quibus in Sect. VII. (LXXXIII.)

LXV. Cæterum inter ipsa prædicamenta intercedunt quædam quasi *communes affectiones*, dum nempe aliquando unum est altero *prius* aut *posterius*, aut *simul* cum eo: Inde ordo *prioris* & *posterioris*, atque illa *connexio*, qua aliqua sunt *simul*, Post - Prædicamenta dicuntur.

Post-Prædicamenta.

Potest autem unum altero *prius* aut *posterius* existere multiplici ex ratione.

Prioritas multiplex.

1. *Duratione* seu *tempore*, sic *adolescens* est *prior*, quam *puer*, & hic respectu illius est *posterior*. 2. *Ordine*, sic *unitas* præcedit *binarium*, & *miles* gregarius suo Duce *posterior* est. 3. *Causalitate*, quo sensu omnis *causa efficiens* suum *effectum* præcedit, & hæc etiam vocatur *prioritas in quo*. 4. *Natura*, quando unum prius altero *intelligitur*, ita scilicet, ut ab illo altero non depen-

deat;

deat; bene vero hoc alterum absque primo exiſtere non poſſit, quamquam ambo ſint *ſimul quoad Tempus.* Sic *illuminatio* dicitur *natura* poſterior, quam *lumen*, & *veſtigium* poſterius *imprimente.* 5. *Honore.* Sic *Dominus* antecedit *Famulum*, *Rex aulicum* &c. unde notum hoc diſtichon.

Tempore, natura, prius ordine, dic & honore,
Cauſaque cauſato dicitur eſſe prior.

Hiſce addunt adhuc Theologi 6. *Prioritatem originis*, ſeu *à quo*, per quam explicant, quomodo Pater divinus ſit *prior* Filio Divino. Sic etiam à Scotiſtis ſalvatur in DEO prioritas *principii primi*, reſpectu *actionum humanarum*, ſtante licet ipſius *concurſu ſimultaneo*, quo agit cum Creaturis. De quo in *Theologia* tam *naturali*, quam *revelata.*

Tribus pariter modis duo *ſimul* eſſe dicuntur. 1. *Tempore*, ſcilicet ea, quæ ſimul *eodem tempore* in rerum natura ſunt poſita. Sic *duo gemelli* vulgo *ſimul* eſſe cenſentur. 2. *Natura ſimul* ſunt illa, quæ ita exiſtunt, ut uno eo- Simultas triplex.

rum posito alterum quoque necessario ponatur: Sic dicuntur esse simul *duo similia*, sive *correlata* (LIX) 3. *Divisione*, suntque ea, quæ idem *genus dividunt*, ut *homo*, & *brutum*, si ad *animal* referantur juxta arborem Cartesii (fig. II.) In Scholis triplex hæc *simultas* sequentibus versibus declaratur:

Tempore crede simul, quorum generatio nunc est,
Quæ convertuntur, dicimus esse simul,
Suntque simul species, genus unum distribuentes.

SECTIO V.

DE CATEGORIIS RECENTIORUM.

Categoriæ Recentiorum.

LXVI. Eadem *prædicamenta* Recentiores constituunt, quæ volunt *rerum omnium* esse *principia*, atque his versibus comprehendunt:

Mens, Mensura, quies, motus, positura, figura,
Sunt cum materia *cunctarum exordia rerum.*

Sic

Sic enim argumentantur: Quidquid in rerum natura existit, vel est Ens, sive Substantia, aut Res (nam hos tres terminos passim pro synonymis habent) vel est Modus, seu *affectio entis.* Igitur in duo tantum *suprema genera* totam categoriarum seriem dividunt, nempe in *seriem entium*, seu *substantiarum*, & in *seriem modorum*, sive *accidentium*, atque in hoc cum Peripateticis quodammodo conveniunt. (LIV.) Sunt duæ,

LXVII. Ad *seriem* porro *entium* referunt *substantias omnes*, tam *spirituales* (per τὸ Mens) quam etiam *corporeas*, ac *materiales* (per τὸ Materia, in illis versibus indicatas) easque ulterius dividunt, ut in *Arbore Cartesiana* videre est. (Fig. II.) Series entium,

LXVIII. Per *modos*, Recentiores fere idem intelligunt, quod Peripatetici per sua *accidentia.* (XLVIII. & LVI. LVII. &c.) Eos tamen nullo modo, nequidem *superna virtute* a subjectis, quæ afficiunt, determinant, variant, ac *modificant*, abesse posse contendunt, secus ac Scholasti- Et series Modorum.

ci de *accidentibus absolutis* docent. *Modi* primo dividuntur in *spirituales*, qui ad substantiam pure *spiritualem* pertinent, ut sunt *intellectio*, *volitio*, *recordatio*, quibus *anima* varie modificatur; & in *materiales*, qui rem *corpoream*, aut *sensus* variant, ac modificant. Atque hi iterum dividuntur in quinque alios, quos vocant *primarios*, suntque sequentes.

Modi primarii.

I. Mensura sive *magnitudo*, quæ est *certa* ac *determinata corporis extensio*, eamque Neoterici Peripateticorum *quantitati* opponunt (LVI.)

II. Quies est permanentia corporis in quodam loco, & quidem *positiva*, ut quidam volunt.

III. Motus, (intellige *localis*, nam alium isti non agnoscunt) est *translatio corporis* ex *uno loco in alium.*

IV. Positura, sive Situs, est *partium in quovis corpore, atque minimarum particularum intima dispositio, textura, & connexio*, quam *configurationem* appellant, & qua variata corpus ipsum *substantialiter* variari dicunt, ut v. g. cum

cum ex *farina* & *aqua* fit *massa*, ex hac vero per novam introductam *configurationem* fit *panis*.

V. FIGURA est *extensio*, *secundum plures dimensiones undique terminata*, vel secundum alios, est *exterior tantum partium dispositio*, qua variata corpus *substantialiter* non mutatur (& per hoc à *configuratione* distinguitur) ut v. g. cum mensa lapidea, aut lignea, ex *quadrata* fit rotunda. Et per hos 5 Modos conantur isti Philosophi omnes *mutationes corporum naturalium* explicare in sua *Physica*.

LXIX. Alii cum Cl Corsino *quietem* ex numero modorum illorum omittunt, *figuram* quoque duplicem (*externam* nempe & *internam*, seu *configurationem*) pro *una* sumunt, versumque ex illis duobus (LXVI) unum sic reddunt.

Mens, Corpus, Motus, nexus,
mensura, figura.

Ubi per *nexum* ab ipsis intelligitur ordo rerum pulcherrimus, ipsa catena rerum hoc in mundo spectabilis, ac vicissitudo continua, qua unum sicut in

Nexus, & Mechanismus.

in Theatro pulcherime succedit alteri, sive, ut communiter loqui amant, est ipse MECHANISMUS, seu *artificiosa DEI conditoris machina, in qua jugi serie una quasi rota dependet ab altera, & una impellit alteram,* sicque *generationes, corruptiones,* ac omnes rerum *vicissitudines* non tantum *analogice,* & *per assimilationem,* sed etiam *vere* ac *realiter;* à se explicari posse putant.

Modi secundarii. LXX. Præter modos illos *primarios* (LXVIII) numerant adhuc Neoterici 5 alios, quos vocant *secundarios,* seu *derivatos* à primariis, juxta numerum scilicet *sensuum* corporis animati, quos isti efficiunt, & sunt 1. LUX & COLOR, qui *visum,* 2. SONUS qui *auditum,* 3. SAPOR, qui *gustum,* 4. ODOR, qui *odoratum* afficit, 5. denique QUALITATES TACTILES, cujusmodi sunt *calor, frigus, siccitas, humiditas, durities, mollities, fluiditas &c.* quæ sub *tactum* cadunt. De quibus omnibus & singulis *jucunde* ac *utiliter Physica* agit.

Antiquorum, & Recentiorum duæ viæ. LXXI. *Scholion.* Hæc, quæ in ista, & præcedenti Sectione, de *Prædicamentis* dicta sunt, Philosophiæ tyroni contem-

temnenda minime ſunt, ſed accurate potius memoriæ mandanda, eoquod in iis, magna ex parte, lateant duæ illæ viæ, per quas *in utraque Phyſica* Veteres, ac Recentiores Philoſophi in diverſas, planeque oppoſitas abeunt ſententias: quinam vero præ aliis ibi feriant punctum, atque ſic currant, ut reportent bravium? Judicent æqui veritatis arbitri.

SECTIO VI.

DE IDEARUM SIGNIS, SEU VOCIBUS.

LXXII. Cum humanæ mentis *Cogitationes* ac *Ideæ*, ut ſunt *in ſe*, intus ac *in mente* lateant (XXIX) aliqua *re ſenſibili* eas *palam* fieri neceſſe eſt, ad hoc autem præſtandum, uti omnibus notum eſt, Vox principem locum tenet: ergo ſicut *Logicæ munus* eſt latentes humanæ mentis operationes dirigere, *bonumque* exinde *rationis uſum* edocere (XXV) ita ad eam quoque pertinet de *Vocibus*; quibus cogitationes ipſæ *palam* fiunt, ſcitu neceſſaria pertractare.

LXXIII.

Signum. LXXIII. Signum a S. Aug. L. II. de Doctr. Christ. C. I. definitur, *id quod præter sui speciem, quam ingerit sensibus, facit nos venire in cognitionem alterius*, sic v. g. *fumus* est *signum latentis ignis*, & *gemitus tristitiæ*, quia 1 *fumi*, aut *gemitus ideam* oculorum auriumve ministerio in mente percipimus, 2. & *præter* illorum *ideas* etiam in cognitionem *ignis* aut *tristitiæ* venimus. *Aliud* porro signum vocatur I. *naturale*, quod scilicet *naturaliter* aliquid significat, ut v. g. *respiratio vitam*, *aurora solis ortum*, *fumus ignem* &c.

Multiplex. II. aliud *arbitrarium*, vel *ad placitum*, quod *ex arbitrio*, sive libera tantummodo hominum *institutione* significat; sic *hedera* vini vendibilis, & *voces* seu vocabula *rerum* signa sunt. III Aliud dicitur *materiale*, quod *sub sensus* cadit, IV. aliud *spirituale*, quod est prorsus *insensibile*, ut est *character sacramentalis*, V. aliud *speculativum*, quod rem mere *significat*. VI. Aliud *practicum*, quod rem, quam significat, etiam *efficit*. VII. Aliud *demonstrativum*, quod rem *præsentem*, & manu demonstrandam, VIII. aliud *prognosticum*, quod rem *futuram*, IX. Aliud denique *rememorativum*, quod rem *præteritam* significat.

ficat. Sic eadem v. g. *novæ legis Sacramenta* sunt signa *speculativa*, & *rememorativa* passionis Dominicæ, item sunt signa *practica*, & *demonstrativa* gratiæ sanctificantis, ac denique *prognostica* gloriæ. X. Sunt insuper in scholis alia adhuc *signa* usitata, videlicet *universalia*, *particularia*, *affirmantia*, & *negantia*, suntque termini *omnis*, *nullus*, *aliquis* &c. de quibus suo loco.

LXXIV. *Corollaria.* I. Quodlibet *signum duas* habere *Ideas* debet, unam *sui ipsius*, alteram *rei significatæ*. II. Inter *signum*, & *rem significatam* dari necesse est aliquam *proportionem*, seu *connexionem*, & quidem *naturalem*, si signum sit *naturale*; aut saltem communiter *notum*, si sit *arbitrarium*. Jam

LXXV. Vox In Genere definitur, *sonus ex animalis ore prodiens, & per appulsionem aeris, e pulmonibus in fauces incurrentis, formatus;* Sumpta autem pro *vocabulo*, seu *dictione* definiri potest: *Signum articulatum ore humano expressum, & ad exprimendas animi cogitationes institutum.* Dicitur 1. *Signum*, vel *sonus articulatus*, id est per syllabas, tanquam *per articulos* distinctus, in quo dif- Vox.

differt a *gemitu*, & belluarum confusis vocibus, v. g. *rugitu* leonis, *latratu* canis &c. 2. Ad *exprimendas*, propter quod humana vox a psittacorum, aliarumque avium vocibus secernitur, ut ait TULLIUS *Lib. I. de Orat. Cap. VIII.* Cæterum præcipuæ ex dictionibus seu *vocibus*, in *Logica* æque ac *Grammatica*, censentur *Nomen*, & *Verbum.*

Nomen.

LXXVI. NOMEN est *vox instituta ad exprimendas ideas*, *idearumve objecta*. Vel, ut aliis placet, est *substitutio ideæ*.

Aristotelica definitio nominis.

Illa vero Aristotelica *nominis* definitio, quod sit *vox significativa ad placitum*, *sine tempore*, *cujus nulla pars separata significat*, *finita* & *recta*, hodie passim rejicitur, & 1. quidem, quia est nimis *verbosa*. 2. Quia non convenit *omni* nomini, nam etiam *participia* sunt vera *nomina* (scilicet *adjectiva*) & tamen non significant *sine tempore*. 3. Quia non convenit *soli* nomini, nam etiam *particulæ* v. g. *bene*, *male* &c. *sine tempore* significant, & tamen non sunt *nomina*. 4. Quia non tantum nomina *finita* (quæ carent præfixa particula *non*) & *recta* (quæ efferuntur in casu *Nominativo*) sed etiam *infinita* (quæ ha-

habent præfixam particulam *non*) ut *non homo*, *non mensa &c.* ac *obliqua* (quæ efferuntur *in aliis casibus* præter *Nominativum*) ut *hominis*, *homini*, *hominem &c.* vera sunt *nomina Grammaticalia*, quæ in *casus* inflecti debent, cur non & *Logica*?

LXXVII. Verbum est *vox*, *ad exprimendum de ideis Judicium primario instituta.* Ab Aristotele *Lib. Perih. Cap. III.* definitur: *Vox ex instituto significans cum tempore, cujus nulla pars significat separata, finita, & recta, & est semper eorum; quæ de altero dicuntur, nota.* Sed etiam contra hanc definitionem facit 1. quod non conveniat *soli* verbo, nam etiam *participia* significant *cum tempore*, & tamen non sunt proprie *verba*, *sed adjectiva.* 2. Quod non conveniat *omni* verbo, eoquod excludat verba *obliqua* (quæ non sunt *recta*, seu in *prima* persona) & *infinita* (habentia adjunctam particulam *non*) 3. Quod superfluæ sint illæ voces, *& est semper eorum &c.* nam etiam *copula* (seu terminus est in propositione) est *talis nota*; item *particulæ*, rem determinantes, vel explicantes, aut limitantes, sicut & *nomina obliqua*, quæ tamen

Verbum.

Quid sit juxta Aristotelem?

men non sunt *verba*. Alii etiam, cum auctore ARTIS COGITANDI, *Parte II. Cap. II.* VERBUM definiunt, quod sit *vox significans affirmationem*, quæ definitio *in re* consentit cum prima.

Sermo.

LXXVIII. Ex bene ordinata vocum associatione nascitur *sermo*, qui vel *familiaris* est, aut civilis, vel *philosophicus*, aut doctrinalis, utrumque duo vel maxime corrumpunt vitia, 1. *obscuritas*, ex imperfectione vocabulorum. 2. *Confusio*, ex earundem ambiguitate, aut *æquivocatione*, uti vocant, profecta. Unde sequentes observentur canones oportet.

Regulæ circa Vocabula rite adhibenda, ac intelligenda.

I. Nulla in *loquendo*, aut *scribendo* adhibenda est vox *inanis*, aut *a communi usu remota*, *vaga* item aut *æquivoca*, aut si ejusmodi voces vitari omnino non possint (eoquod plures sint *res*, quam *verba*) earum vis atque potestas accurate *definiatur*, ne in ambiguo fluctuet mens legentis, vel audientis.

II. Voces *propriæ* præhabendæ sunt *translatis*, nisi istæ (ut sæpe nunc contingit) sint *clariores*, atque *usitatiores*, aut

aut ubi etiam *propriæ* haberi non possunt.

III. Si *antiquorum* vocabula legantur, iis promiscue *Recentiorum notiones* tribui non debent, nam e. g. *species*, *qualitas*, *forma substantialis &c. alium* longe *sensum* modo habent, quam olim; & *idem* vocabulum apud *diversos* populos, *diversum* quoque *sensum* faciebat e. g. *Musicus*, & *Poeta*, vetustis *Romanis* malesonans, & infamis erat, econtra *Græcis* in honore fuit. Igitur

IV. In Verbis alicujus scriptoris interpretandis attendantur *usus*, *tempus*, *ætas*, *mores*, *Religio*, & *intentio* scribentis, unacum *subjecta materia;* nam male v. g. alicujus erroris argueretur S. BASILIUS, quod non admiserit vocem CONSUBSTANTIALIS, quia in *Oriente*, illo tempore, hæc vox non ad *naturam*, sed ad *personam* referebatur, & S. Scriptura male explicaretur, si quædam vocabula, de *DEO* quid narrantia, v. g. *irasci*, *ambulare &c.* in sensu *humano* acciperentur. Plures Regulæ *legendi* & *interpretandi* libros, tam *sacros*, quam *profanos* vide in LOG. PARTE PRACTICA.

SECTIO VII.

DE TERMINO, EJUSQUE DIVISIONE MULTIPLICI.

LXXIX. SI *Idea* in mente concepta, voce per aliquod *nomen* (LXXVI.) palam profertur, tunc istud *nomen* voce prolatum, & *in se* considératum, *signum* vel *substitutio Ideæ* (n. c.) ut consideratum vero *in ordine ad aliquam propositionem*, TERMINUS dicitur: & quidem in omni propositione, v. g. hac: *DEUS est omnipotens*, terminus
Subjectū. *primus* inchoans (*DEUS*) SUBJECTUM, hoc est, *de quo* aliquid dicitur, & terminus claudens sive *ultimus*
Prædicatum. (*omnipotens*) PRÆDICATUM, hoc est, *quod* de aliquo dicitur, appellatur, τὸ
Copula. *est* autem idem sonat ac COPULA, eoquod *copulet*, seu connectat *prædicatum* cum *subjecto*; unde etiam terminus à quibusdam definitur, *extre-*
Termini definitio, *mum propositionis*, vel *id*, *ex quo constituitur propositio*, *tanquam ex subjecto, & prædicato.*

Ac Etymologia. LXXX. *Scholion.* Appellationem seu Etymologiam nominis *Termini* Cl. P. HAUSER *Log. P. I.* §. *XCIV.* inde deri-

derivat, quod veteres Logici, quando volebant syllogismos oculis palam exponere, consueverint in pulvere, vel triangulum, vel figuram, tribus semicirculis constantem depingere, ejusque extremitatibus, seu *terminis* apponere litteras, quibus propositionum singularum partes designarent, atque exinde factum esse ait, ut etiam voces, litteris illis in figurarum *terminis* designatæ, *termini* appellarentur. Cæterum quia *variæ* dantur ideæ (quarum *substitutiones* sunt *termini*) item quia variæ quoque fieri possunt *propositiones* (ut in DISSERT. II. patebit) hinc varii etiam dantur *termini*, quorum aliqui, ex supradata idearum divisione (XXX. XXXI. &c.) facile intelliguntur, & alii suis locis commodius explicabuntur, reliqui autem hic declarantur. Terminorum divisio.

LXXXI. Terminus CATEGOREMATICUS est, qui significat aliquid *per se*, id est, *se solo* e. g. *DEUS*, *homo*, *arbor &c.* SYNCATEGOREMATICUS econtra, qui nil *per se*, sed tantum *cum aliquo alio addito* indicat, ut *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *hic*, *iste*, *qui*, *unus*, *duo*, usque ad *centum*, *casus* item *obliqui*, Categorematicus. Syncategorematicus.

& *adverbia*, quæ omnia *se solis* non possunt esse *subjectum*, nec *prædicatum*, in sensu *formali*, sed sunt potius CONTERMINI.

Categoricus. LXXXII. Terminus CATEGORICUS significat rem in *serie prædicabilium*, seu *arbore Porphyriana* (L.) *distincte*, aut *reductive* positam, e. g. *animal*, *corpus* &c. **Transcendentalis.** TRANSCENDENTALIS vero omnibus omnino rebus convenit, atque adeo *arborem* illam (n. c.) plane *transcendit*. Suntque ista 6 vocabula: *Res*, *ens*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *unum*, barbara illa voce REUBAU contenta.

Univocus. LXXXIII. UNIVOCUS (quem alii *universalem*, & Cl. PURCHOTIUS *synonymum* appellat) est *qui eandem significationem habet in multis*, ut *animal*, *homo*, *substantia* &c. diciturque propterea *universalis in significando*, sicut idea *in repræsentando* (XXXVI. 5.) porro termini ejusmodi *univoci* in scholis UNIVOCA UNIVOCANTIA, *res* autem *ipsæ*, his terminis enunciatæ, UNIVOCA UNIVOCATA appellantur.

Æquivocus. Terminus ÆQUIVOCUS, seu *homonymus* est, *qui diversam significationem habet*

bet in multis, ſive, ut alii loqui amant, *qui ſecundum nomen convenit multis*, *ſecundum rationem vero*, & *naturam per nomen importatam*, *diſconvenit*. Talis eſt v. g. Terminus *canis* reſpectu *ſideris*, quod *canis* dicitur, & reſpectu *animalis domeſtici*. *Termini* iſti pariter *æquivoca æquivocantia*, & *res* ſubintellectæ, *æquivoca æquivocata* à Scholaſticis vocantur.

Terminus Analogus, græce idem eſt ac *proportionalis*, qui nempe *partim idem*, *partim diverſum ſignificat in multis*, hinc vulgo Analoga dicuntur ea, *quibus nomen eſt commune*, *ratio vero per nomen importata*, *eſt partim eadem*, *partim diverſa*. Analogus.

Dicitur autem aliquid *alteri eſſe partim idem*, *partim diverſum*. 1. *Si idem diverſo modo* pluribus convenit. 2. Aut ſi *diverſa res eodem modo* pluribus convenit. 1*mo modo* vocatur Analogia Attributionis, ſic *animal* dicitur *ſanum*, *color ſanus*, *ambulatio ſana*; nam τὸ *animal*, refertur *ad ſanitatem*, tanquam *ad ſubjectum*, in quo *recipitur* ſanitas, *color* tanquam *indicium*, & *ambulatio* tanquam *cauſa*, & *adminiculum ſanitatis*. 2*do modo* appellatur Analogia attributionis.

Proportionis. ANALOGIA PROPORTIONIS: e. g. *Pes hominis* eandem habet relationem ad hominem, ac *pes fcamni* ad fcamnum, & *pes montis*, vel *pontis* ad *montem*, aut *pontem*. His addunt *Scotiftæ* ANALOGIAM INÆQUALITATIS, feu illam, quæ habet idem nomen, & eandem naturam, *perfectiori* tamen *modo* participatam, ut τὸ *animal perfectius* participatur ab *homine*, quam *bruto*, item ratio *entis* refpectu DEI, & *creaturæ*, *fubftantiæ* & *accidentis*: propterea docent in fua Metaphyfica, *ens* effe *univocum* DEO & creaturæ, *cum quadam tamen analogia inæqualitatis*.

Et inæqualitatis.

Terminus concretus. LXXXIV. Terminus CONCRETUS eft, *qui fignificat fubjectum, unacum fua forma*, e. g. *Album* fignificat *murum*, unacum *albedine*. ABSTRACTUS econtra *denotat folam formam, absque fubjecto*, v. g *Albedo*.

Abftractus.

Terminus *concretus*, fi indicet formam *fubftantialem* in fubjecto, dicitur *concretum fubftantiale*, fi vero *accidentalem*, vocatur *concretum accidentale*. Omnia porro concreta vocantur etiam *denominativa*, eoquod *fubjectum* per formam *denominetur tale, vel tale*) fic enim v. g. Per *albedinem* paries *denominatur albus*) & hæc infuper *forma* de-

denominans potest esse vel *in*-vel *extra* subjectum, si 1*mum*, dicitur denominatio *intrinseca*. e. g. *murus albus*. Si 2*dum*, appellatur denominatio *extrinseca*, ut si dico: *murus est visus*, aut *cognitus*; nam *visio*, vel *cognitio* non est *in* muro, sed *extra* illum, in *oculo*, vel *intellectu*. *Primi generis* concreta proprie dicuntur *physica*, 2*di generis Logica*, quamquam & in alio sensu sumatur concretum *physicum*, scilicet ut indicat formam, quæ tantum *per unionem*, & *separabiliter* inexistit subjecto, prout in dato exemplo *albedo*, tanquam *forma physica*, inest muro, & sic opponitur *concreto metaphysico*, in quo forma per *realem identitatem*, sive *inseparabiliter*, est in suo *subjecto*, uti ab *animalitate* homo constituitur *animal*.

Hæc denique concreta possunt sumi vel MATERIALITER, seu *specificative*, vel FORMALITER, aut *reduplicative*, in *priore sensu* accipitur concretum, si illud, quod prædicatur, concreto conveniat solum ratione *subjecti*, & non *ratione formæ*, ut si dico: *Logicus cantat*, id est: *illud subjectum*, *quod possidet artem logicam*, *cantat*,

Quid in concreto sit materiale, & specificativum?

Item quid sit formale, & reduplicativum?

tat, ita nimirum, ut *Logica* non sit ratio, cur ille *cantet*, in *2do* autem *sensu* sumitur, si *ratione formæ* concretum tribuatur subjecto. e. g. Si dico: *Logicus perite syllogizat*, *Logica* enim, tanquam *habitus*, aut *forma artificialis*, est *causa perite syllogizandi.* Concretum *reduplicative* sumptum solet enunciari per particulas: *qua*, *quatenus &c.* Ast hæ solummodo tunc sensum faciunt *stricte* REDUPLICATIVUM. 1. Quando prædicatum est *de essentia* subjecti, quod reduplicatur, aut saltem de ejus *integritate.* 2. Quando id, quod reduplicatur, est *causa*, vel *radix prædicati*: econtra sensum mere SPECIFICATIVUM faciunt illæ particulæ. 1. Quando prædicatum non convenit subjecto *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*, 2. Quando prædicatum subjecto quidem convenit *simpliciter*, attamen *accidentaliter.* 3. Quando denotatur solum, *non repugnantia* prædicati cum subjecto, aut *conditio.* Sic ex illo *Prov.* 24. SEPTIES IN DIE CADET JUSTUS, vere infertur hæc propositio: *justus qua justus, peccare potest*, & facit hunc sensum: *non repugnat*, justum peccare *leviter*, aut *venialiter*, etiam stante & manente in eo

Quando adsit sensus reduplicativus? Et quando specificativus?

eo gratia sanctificante, - seu *Justitia.* Item si dico: *bonum, qua cognitum, amatur*, sensus est, quod *cognitio boni* sit CONDITIO, ad amorem requisita, sola vero *bonitas objecti* sit *ratio formalis amoris.*

LXXXV. *Scholia.* I. Concreta *secundum se* sumpta, & *extra propositionem*, subjectum dicunt *in recto*, formam *in obliquo*; *intra propositionem* vero illud *in recto* important, quod *immediate* per copulam cum altero propositionis termino nectitur, sive quod *expresse* affirmare quis intendit de subjecto, tanquam ipsi *identificatum*; illud vero *in obliquo* importatur, quod quidem ex parte unius termini *concipitur*, at non affirmatur immediate, neque *nectitur* alteri termino per copulam, sed respectu illius solum se habet instar adjuncti. II. Hinc concreta *specificative* accepta *regulariter* subjectum *in recto*, formam *in obliquo* important. Intellige de *concretis accidentalibus*; nam in *substantialibus*, tam creatis quam increatis (quæ *naturam* simul cum *persona* involvunt) juxta præcedentem regulam generalem (I) illud *in recto* venit, quod est Regulæ utiles de concretis.

ra-

ratio formalis, cur prædicatum conveniat subjecto. Ita cum dico: *homo est peccator* (ubi τὸ *homo* dicit simul *naturam*, & *subsistentiam*, seu *personam humanam*) prædicatum hoc PECCATOR, potius convenit *supposito* sive *personæ*, quam *naturæ* humanæ, quia (ut axioma Philosophicum habet) *Actiones sunt suppositorum*, & contraria LUTHERI expositio, scilicet quod *ipsa corrupta hominis natura* peccatum sit, à fide aliena est; econtra si dicis: *homo est mortalis*, aut: *homo constat corpore, & anima*, recte *natura* infertur *in recto*. III. Eadem ergo tenenda est regula *de concretis*, quæ fiunt *in divinis*; nam *subjectum* harum propositionum: *Deus est unus*, *immensus*, *omnipotens &c.* sic resolvi debet: *Natura Divina in tribus personalitatibus subsistens est una*, *immensa &c.* Hæc autem, propositio: *DEus est Trinus*, in hoc sensu accipienda est: *personalitates*, *habentes unam naturam divinam*, *sunt tres*, nam sicut *ratio formalis* UNITATIS, aliorumque *attributorum absolutorum*, est *divina natura*, ita à *Personalitatibus* habetur TRINITAS; & consequenter *pro ratione prædicati*, nunc *natura* nunc

Regulæ pro concretis increatis.

nunc *ſubſiſtentia*, ſive *perſonalitas* venit *in recto.* Similiter in concretis, ut vocant, THEANDRICIS (quæ ſcilicet concernunt CHRISTUM, ut *DEUM* ſimul & *hominem*) plerumque *ſuppoſitum* importatur *in recto*, ut v. g. in hac propoſitione: *DEUS eſt homo*, vel, *immortalis eſt mortalis*, ſenſus Catholicus hic eſt: *ſuppoſitum habens naturam divinam, vel immortalem, eſt ſuppoſitum, habens quoque naturam humanam, & mortalem*; nunquam vero *abſtracta* Concretorum de ſe invicem *in recto* prædicantur, ut ſi dicitur: *hic homo dives, eſt ſimul pius*, ſenſus non eſt, quaſi *ipſæ divitiæ ſint pietas illius*, ita quoque cum proportione de Chriſto hæc propoſitio; *DEUS eſt homo*, nequaquam interpretanda eſt, *Divinitatem Chriſti eſſe ejus humanitatem*; alias recte quoque deduceretur, *humanitatem Chriſti eſſe immenſam, omnipotentem &c.* Qui Error UBIQUISTARUM eſt. IV. Concretum *reduplicative* ſumptum, ut plurimum quidem *formam* deſignat, ſæpe tamen etiam id, quod per reduplicationem expreſſius affirmatur, tanquam *ratio*, propter quam prædicatum conveniat ſubjecto: ita ſi ex illo *Matth. XVIII. v. XIII.* infertur

Ac Theandricis.

hæc

hæc propositio : *Culpa peccati*, *ut agnita & expiata*, *placet Deo*, reduplicatio non afficit *subjectum*, seu ipsam *peccati culpam*, sed potius formam hujus concreti, ita ut sensus sit: *agnitio, & expiatio peccati placet DEO.* Sic pariter si enuntiatur, *Christus qua homo, est minor Patre, est passus, mortuus &c.* Reduplicatio afficit *naturam humanam*, ut *rationem formalem* hujuscemodi prædicatorum. V. In *exponendis* concretis, maxime de rebus *creatis*, *mens loquentis* non raro exquirenda est ; nam sæpe propositiones, *ex communi usu* non sunt satis determinatæ, ad aliquem *certum* sensum e. g. hæc propositio : *Sempronius est homo*, in triplici sensu vera est. 1. *Subsistentia terminans naturam Sempronii, est subsistentia terminans naturam humanam.* 2. *Subsistentia & natura Sempronii, sunt subsistentia & natura humana.* 3. *Natura Sempronii est natura humana.* Ultimus tamen sensus videtur magis proprius. VI. *Concreta accidentalia*, tam substantiva quam adjectiva, exprimi *in numero plurali* possunt, quando *recti* multiplicantur, *pro quibus supponunt*, sive, ut in Scholis passim dicitur, *concreta multiplicantur multiplicato*

cato recto, *etsi obliquus non multiplicetur*: sic v. g. Licet *tres* albedines ponantur in *uno*, eodemque subjecto, non erunt propterea *tria alba*, sed subjectum foret potius appellandum *ter album*, quia non multiplicatur id, pro quo subjectum supponit: econtra si *eadem* albedo in *tribus* poneretur subjectis, essent *tria alba*, ob rationem oppositam. Hæc de *termino concreto* modo dicta, utilissima sunt, præsertim ad Theologiam, in Tractatu de *Incarnatione*, ac de *DEO*, ubi de Idiomatum *communicatione &c.* agitur: imo hæc ipsa notitia ad multorum Hæreticorum, etiam nostræ ætatis fallacias diluendas, & apparentes saltem S. Scripturæ contradictiones, catholice solvendas, plurimum conducit.

LXXXVI. Ratione habitudinis, seu *comparationis unius Termini ad alium*, dicuntur alii IMPERTINENTES, qui sibi mutuo nec repugnant, nec legitime se se inferunt, tales sunt *pius*, & *doctus*. Alii e diverso dicuntur PERTINENTES, & quidem duplici modo. 1. *pertinentes sequelâ*, quorum alter alterum infert, qui & proprie *comparati* appellantur, & *convertibiles*, ut *animal*

Termini impertinentes.

Et pertinentes.

mal, & *sensitivus*, *homo*, & *rationalis* &c. 2. Pertinentes repugnantiâ sunt, quorum alter alteri repugnat, vel per solam *diversitatem naturalem*, quos *disparatos* vocant, ut *album*, & *dulce*.

Oppositi. Vel qui per *strictam oppositionem* sibi repugnant, unde etiam *termini oppositi* appellantur. *Oppositorum* rursum 4. sunt

Contrarii. species. 1. Alii sunt *contrarii*, qui se de eodem subjecto ratione formæ ex-

Privativi. cludunt, ut *calor*, & *frigus*. 2. *Privativi*, quorum unus significat *formam*, alter ejusdem *formæ absentiam* a subjecto *capaci*, ut homo *videns*, & *cæcus*, *Lux*,

Contradictorii. & *tenebræ*. 3. *Contradictorii*, quorum unus *formam*, alter ejus *negationem*

Relativi. significat, ut *doctus*, *non doctus*. 4. Denique *relativi*, qui se mutuo respiciunt, ita tamen, ut *utrumque* eidem *respectu ejusdem* convenire non possit, unde & *oppositio relativa*, qualis datur inter *Patrem*, & *Filium divinum*, arguit *distinctionem realem* inter *correlata*.

Terminus positivus. LXXXVII. Terminus POSITIVUS est, qui significat *aliquid reale*, seu qui dicit, *quid* res *sit*? e. g. *Leo*, *lapis* &c. vel qui saltem *veram entis realitatem* aut *modum* exprimit e. g. *Magnitudo*, *rotunditas*, *impenetrabilitas* &c.

NE-

Negativus vero indicat *absentiam realitatis* a subjecto, illius realitatis vel *capaci*, & tunc *privativus* est (n. præc.) vel *incapaci*, & *stricte negativus* est. e. g. *Cæcitas* respectu *lapidis*, qui visionis est *incapax*. Quoniam sæpe fit, ut termini *positivi* præferant speciem *negativorum*, & vicissim, inde attendendum est ad *notionem*, termino respondentem, an scilicet *positiva*; aut *negativa* sit? Sic v. g. hi termini: *infinitus*, *immensus* &c. secundum *Grammaticam* videntur *negativi*, ast *notio* illorum *positiva* facit, ut etiam ipsi pro terminis *positivis* habeantur. **Negativus.** **Quomodo sint discernendi?**

LXXXVIII. Terminus Finitus seu *finitans* est, qui significat, quid res determinate *sit*, ut *homo*, *arbor* &c. Infinitus vero, sive *infinitans*, solummodo dicit, quid res *non sit*, & cognoscitur ex particula Non, quam semper *immediate* sibi præfixam habet, ut: *non homo*, *non arbor*. Si autem particula Non afficiat tantum *copulam* (LXXIX) facit propositionem *negativam*, & non *infinitantem* e. g. *arbor non est homo* &c. **Finitus.** **Infinitus.** **Quomodo differat à negativo?**

LXXXIX. Terminus Primo Intentionalis (seu *prima intentio*) est, qui significat id, ad quod significandum **Terminus primo intentionalis.**

primo ab hominibus eft inftitutus, five *qui fenfum habet grammaticalem, & obvium.* E converfo terminus SECUNDO INTENTIONALIS(feu *fecunda intentio*) eft, qui fignificat id, ad quod fignificandum ab aliqua tantum facultate, quafi *fecundo* inftitutus eft, & confequenter qui non fignificat *res ipfas* fecundum fuum *effe reale*(quod per *fenfum gramaticalem, & obvium* exprimitur) fed tantum rerum *nomina*, quæ iis tribuuntur, ut *certo modo cognitis.* e. g. *animal*, eft terminus *primo intentionalis*, fi fumitur pro aliquo *fubjecto fenfitivo;* aft fi vocatur *genus*, aut *fpecies fubalterna* (XLVI.) vel *prædicatum* aut *fubjectum &c.* eft terminus *fecundæ intentionis*, hæc enim nomina τῷ *animal* tantum tribuuntur *mediante cognitione*, qua iftud confideratur, ut *conveniens* homini & bruto, &c. nam fic fubftat *cognitioni fpeciali*, nempe res plerumque *primo* cognofcimus, quales funt à parte rei *in fe*, & *tunc* primum illas fecundum logicæ regulas confideramus, quæ cognitio, quia priori *fupervenit*, *fecunda intentio* vocatur.

XC.

XC. *Scholion.* Omnino diversa sunt hæc duo: *terminus secundo intentionalis*, & *terminum sumi secundo intentionaliter*; potest enim fieri, ut terminus, qui *in se* est *secundo intentionalis*, non tamen *secundo intentionaliter* accipiatur. Unde attendendum est ad duas has regulas. 1. Si in propositione *affirmativa* prædicatum sit terminus *secundo intentionalis*, tunc subjectum, licet sit terminus *primo intentionalis*, sumitur tantum *secundo intentionaliter* e. g. *animal est genus*, τὸ *animal* sumitur *secundo intentionaliter*, etsi *in se* sit terminus *primo intentionalis* (LXXXIX) 2. Econtra si *prædicatum* sit terminus *primo intentionalis*, vel si æquivalet termino *primo intentionali* (quod fit, si terminus *secundo intentionalis* de alio itidem *secundo intentionali* affirmatur) tunc sumitur subjectum (quod alias esset terminus *secundo intentionalis*) *primo intentionaliter*. e. g. si dicitur: *genus est universale: subjectum est terminus incboans propositionem: species est universale, quod prædicatur de pluribus individuis, ut tota eorum essentia &c.* hi termini *secundo intentionales: genus, subjectum, species* sumuntur *primo intentionaliter*. Et hæc de terminorum varia acceptione abunde dicta sufficiant.

Differentia inter terminū secundo intentionalem, & sumi secundo intentionaliter.

XCI. Cæterum ex dictis patet, posse *unum*, *eundemque* terminum ad *diversas* classes reduci, prout is nempe diverso modo accipitur, sic v. g. idem terminus, HOMO, nunc vocatur *categorematicus* (LXXXI) nunc *categoricus* (LXXXII) *univocus* (LXXXIII) *concretus* (LXXXIV) *positivus* (LXXXVII) *finitus* (LXXXVIII) & *primo*, aut *2do intentionalis* (LXXXIX) sicut eadem v. g. plurium regnorum Domina, MARIA THERESIA, nunc dicitur invictissima Romanorum *Imperatrix*, nunc *Regina Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Croatiæ* &c. nunc *Archiducissa Austriæ*, aut *magna Ducissa Florentiæ* &c. &c.

SECTIO VIII.

DE PROPRIETATIBUS TERMINORUM.

Proprietates Terminorũ.

XCII. PRopietatis nomine hic non venit illa, supra (XLVII) definita, sed diversi tantum intelligun-tur *modi*, quibus *termini* in propositionibus variari, ac in diverso sensu accipi possunt: id, quod respectu *Verbi*, sive *Copulæ* (LXXIX) quinque modis con-

contingere valet, respectu vero *objecti*, cujus *signa* sunt termini (n. c.) *uno* præcipue modo. Primi igitur generis *proprietates*, seu *affectiones* sunt 1. *Status.* 2. *Ampliatio.* 3. *Restrictio*, seu *diminutio.* 4. *Alienatio.* 5. Et *appellatio*; ad ultimum vero *suppositio* spectat.

XCIII. STATUS est acceptio termini pro suo significato, ut existente *pro certo tempore*, per copulam importato. Ut *Petrus studet*, sumitur pro determinato tempore *præsenti*: *Judas peccavit*, pro præterito, vel *Anti-Christus peccabit*, pro *futuro* &c. huic opponitur AMPLIATIO, seu DISTRACTIO, quæ est extensio termini ad tempus, per copulam principalem non indicatum. e. g. *Justus graviter peccat*, vel: CÆCI VIDENT, CLAUDI AMBULANT. *Matth. XI.* in quibus propositionibus subjecta quasi *ampliantur* ad aliud tempus, ita ut sit sensus: *ille, qui fuit justus tempore* PRÆTERITO, *in tempore* PRÆSENTI, *se avertit à sua justitia per grave peccatum.* Item, *illi, qui fuerunt cæci, nunc vident* &c. Illa autem Christi verba: HOC EST CORPUS MEUM, pessime non solum contra sensum Ecclesiæ,

Status.

Ampliatio.

ſed etiam ſanæ Logicæ, à *ſtatu* ad ſenſum *ampliativum* Lutherus detorſit, quaſi nempe τὸ *eſt*, idem ſignificaret, ac *erit*, ut egregie probant THEOLOGI CATHOLICI.

Reſtrictrio ſeu Diminutio. XCIV. RESTRICTIO ſeu DIMINUTIO, eſt contractio termini, a *latiore* ad minorem, & *limitatam* ſignificationem e. g. *homo juſtus ſalvatur. Vir doctus honoratur &c.* ubi τὸ *juſtus*, aut *doctus*, reſtringit ſubjectum, ne poſſit in *tota* ſua *latitudine* accipi. Vel ſi dicitur: *æthiops eſt albus ſecundum dentes*, ex qua propoſitione, uti male inferrem: *ergo æthiops eſt totus albus*, ſic etiam Lutherus ex illo *Math. XXIV. v. XIII.* QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, HIC SALVUS ERIT, male infert: *Ergo* OMNIS, *qui credit in Chriſtum*, *ſalvabitur*, æque ac ſi dicerem: *omnis homo, voluntarii homicidii reus, eſt dignus rota, aut gladio*: *ergo etiam tu*, *quia* HOMO *es*, *dignus es rota;* non valet enim conſequentia a termino *reſtricto*, ad non reſtrictum ſeu *illimitatum.*

Alienatio. XCV. ALIENATIO eſt translatio vocis a propria & genuina ſua ſignificatione, ad impropriam ſeu *tropicam*, ac Metapho-

taphoricam. Sic *vites* dicuntur *lacrymari*, & *prata ridere*. De Christo quoque dicitur in S. Scriptura, quod sit *vitis*, *Leo*, *Petra*, *lapis angularis*, *Agnus DEI &c.* male autem ac prorsus erronee Calvinus illa Christi verba: Hoc Est Corpus Meum, in sensu *alienato* accepit, per τὸ Est idem intelligens, ac Significat, ut multis modis rursum probant DD. Catholici. Mala nempe est omnis illatio a sensu *proprio ad alienatum*, sic non valet e. g. *omnis homo est animal rationale: ergo etiam hic* Homo Pictus *est animal rationale.*

XCVI. Appellatio est species *restrictionis*, dum nempe significatio formalis unius termini adhibetur ad significatum alterius; e. g. dum *Plato* dicitur *magnus Philosophus*, τὸ *Magnus* (quod alias indicat *corporis magnitudinem*, seu hominem *proceræ staturæ*) Platoni tribuitur ob *excellentiam Doctrinæ*. Huc etiam pertinent termini quidam, uti vocantur, *familiares*, quibus in sermone quotidiano utimur, in lingua præsertim vernacula, ad exprimenda *superlativa*, vel ex *terminorum* propriorum *defectu*, vel ex *usu loquendi*, a teneris imbibito. Appellatio.

Cautela adhibenda circa novas voces effingendas.

XCVII. *Scholion*. Monendum hic, penes nos quidem existere, qua quamque rem voce appellare velimus (cum voces sint *signa conceptuum arbitraria*, & apud diversos etiam populos varia) *novas* tamen voces temere fingendas non esse, nisi in societate hominum rideri, explodique velimus; *Verba* enim valent, sicut *nummi*, nummi autem v. g. Persici, Indici, aut Lapponici apud nos minime valent, etsi apud illas nationes suum valorem habeant: sic etiam aliæ Provinciæ, ut alios nummos, ita alias voces postulant. Hinc *absurdos* vocat Baumeisterus *Log. P. I. C. II. §. LXIV.* eos, qui quondam omnes voces, quarum origo ex Romana, sive latina lingua profluxit, in lingua Germanica evitaturi, die Nase (Latine *nasum*) vocabant den Schnauber, die Ohren (aures) die Lufft-Sänger, das Fenster (*fenestram*) den Tageleuchter ꝛc. ad hanc classem forsan etiam reduci possunt quædam, noviter in Saxonia inventa grammaticæ Gottschedianæ vocabula. Nec minus perridiculi ex nostris Patriotis sunt ii, qui, ut eruditi videantur, sermoni vernaculo immiscent vel *Latinas*, vel *Gallicas*, vel *Italicas* voces; aut denique

qui

qui pro concione de rebus divinis ad populum loquentes, integras ſententias *Latinas*, *Græcas*, aut *Hebraicas*, ingenii oſtentandi cauſa, è memoria recitant, ignorantes, unicum loquendi *finem* eſſe, *ut alii nos intelligant.*

XCVIII. Ex uſu loquendi quotidiano certum habemus, quod terminus quandoque aliud *ſupponat*, quam *ſignificet*. e. g. in hac propoſitione: *homo furatur*, ſubjectum, HOMO, *ex ſe* equidem *ſupponit pro omnibus*, cum ſit terminus *univerſalis* (LXXVI. 5.) *unicum* tamen ex uſu loquendi individuum *ſignificat*. Inde Suppoſitio termini.

SUPPOSITIO definitur, quod ſit *poſitio*, *ſive ſubſtitutio termini pro re ſignificata*, & *ſupponere*, vel potius *ſupponi* (quæ dictio regulis Grammaticæ conformior eſſet) aliud non eſt, quam *uſurpari terminum pro ſuo ſignificato.* Hinc magnum eſt diſcrimen inter *ſignificationem*, & *ſuppoſitionem* terminorum; nam SIGNIFICATIO eſt *eſſentia* termini, cum ſit *ſignum* (LXXIX) & oritur ex *inſtitutione* vocis ad ſignificandum; SUPPOSITIO autem eſt *proprietas*, & *uſurpatio* vocis, ex inſtitutione *jam ſignificantis.* Per quid differat à ſignificatione?

Variæ suppositionum species.

XCIX. Suppositio, quæ inter omnes terminorum affectiones maxime attendenda est, varias divisiones ac subdivisiones continet. Nam

Suppositio materialis.

I. Alia est suppositio MATERIALIS, si nempe vox usurpetur *pro se ipsa*, seu *pro nuda*, ut ajunt, *voce:* e. g. si dico: *homo est vox bisyllaba.* Huic opponitur suppositio FORMALIS, quæ est *usurpatio* vocis pro *re*, ad quam significandam primario est instituta, sive est ipsa termini *significatio essentialis*, e. g. *homo est animal rationale*, vel, *homo est aliquid constans ex corpore & anima*, ubi vox *homo* sumitur pro eo, quod *essentialiter significat.*

Formalis.

Simplex. & Personalis.

II. Suppositio *formalis* rursum dividitur in SIMPLICEM, & PERSONALEM. 1*ma* est positio termini pro suo significato 2*do intentionaliter* (LXXXIX) accepto. 2*da* est ejusdem pro significato *primo intentionali* (n. c.) sumptio.

Communis. Singularis.

III. Suppositio *personalis* ulterius dividitur in *communem*, & *singularem.* COMMUNIS est usurpatio termini pro aliquo attributo universali (XL. &c.) SINGULARIS est acceptio pro *individuo* (XLV.)

(XLV.) ut v. g. *hic homo*, vel, *Petrus est doctus.*

IV. Suppositio *communis* & *singularis* quadrifariam iterum dividuntur. 1. In DISTRIBUTIVAM, quando terminus *communis* usurpatur pro *omnibus* suis inferioribus *singillatim* acceptis. e. g. *Omnis homo est animal rationale*: vel *nullus homo est lapis*: in 1ma quidem propositione *affirmativa* enumeratio fit per particulam ET, in 2da vero *negativa*, per particulam NEC, *integras* semper propositiones formando, hoc modo: *& Petrus est animal rationale, & Paulus est animal rationale &c.* aut: *nec Petrus est lapis, nec Paulus est lapis &c.* & hæc denuo suppositio *distributiva* potest considerari, vel ut COMPLETA, seu pro *singulis*, ut ajunt, *generum*, quando scilicet accipitur tam pro *individuis*, quam pro *speciebus* omnibus, sub genere contentis, sive secundum totam suam *extensionem* (XXXVII. 3.) e. g. *omne animal est sensitivum.* Vel ut INCOMPLETA seu *pro generibus singulorum*, si nempe pro omnibus quidem *generibus*, & *speciebus*, non autem *pro singulis individuis* supponit. e. g. *Omne animal fuit in Arca Noe*

Distributiva, Complete, Incomplete.

Noe, id est, *omnia genera*, & *species animalium*, non vero *omnia individua* v. g. *tuus canis*, vel *Alexandri Bucephalus*. Adeoque in hoc sensu terminus *universalis* suam patitur *limitationem*, & sumitur in sensu, ut vocant, *accommodo*, in quo etiam a Doctoribus Catholicis conformiter SCOTO (XVI) explicantur illa verba 1 *Cor. XV.* IN ADAM OMNES MORIUNTUR: *excepta scilicet* B. VIRGINE. 2. In COLLECTIVAM, quæ accipitur pro omnibus omnino inferioribus, non *singillatim*, sed *simul* & *semel* enumerandis e. g. *omnia elementa sunt* 4.; facit enim hunc sensum: & *aqua*, & *terra*, & *aer*, & *ignis* (*in simul* sumpta) *sunt* 4. non autem: & *aqua est* 4. & *terra est* 4. &c. atque per hoc differt a *distributiva*. 3. in DISJUNCTIVAM seu *determinatam*, & 4. in CONFUSAM seu *indeterminatam*, aut *disjunctam*, quæ ambæ significant *particularitatem*, non tamen utraque *eodem modo*; subjectum scilicet propositionis particularis tunc supponit *disjunctive*, quando prædicatum absolute verificatur in *pluribus*, vel *in aliquo saltem determinato*, id, quod ex eo cognoscere licet, si prædicetur terminus involvens ACTIONEM, aut EXERCI-

Sensus accomodus.

Collectiva.

Disjunctiva.

Confusa.

CITIUM, ut si dico: *aliquis Apostolus negavit Christum*: si vero prædicetur terminus involvens NECESSITATEM, vel *potentiam*, cui per *plures* causas æque *satis fieri* potest, in illo casu *subjectum* ejusmodi propositionis supponit *confuse*, seu *indeterminate*, ut sunt hæ propositiones: *Aliqua navis est necessaria ad transfretandum*, *aliquis equus est necessarius ad equitandum*, *aliqua gratia est necessaria ad superandam hanc tentationem*: in istis vero: *aliqua fides*, *aut aliquod Sacramentum est necessarium ad salutem*, *aliqua navis est necessaria ad navigandum* (ex supposito, quod *una* tantum apta adsit) subjectum supponit *determinate*, quia per ea *sola* illis *necessitatibus satis fieri* potest. Per quid differat disjunctiva a confusa.

In *suppositione disjunctiva integræ* pariter *propositiones*, pro verificando prædicato (per particulam VEL) enunciantur, sicut in *distributiva*. e. g. *vel Andreas negavit Christum*, *vel Joannes negavit Christum*, *vel Petrus*, &c. econtra in suppositione *confusa* (itidem per particulam VEL) multiplicari debent *soli termini*, & non *propositiones*: v. g. *Vel navis A*, *vel navis B*, *vel navis C*, &c. *est necessaria* &c. adeoque quoad hoc æquivalet suppositioni *collectivæ*.

C.

Ascensus & descensus Terminorũ,

C. *Scholion.* Quadruplici *Suppositioni*, ultimo recensitæ, respondet quadruplex *Ascensus*, & *descensus terminorum*, sic dictus, quia in propositionibus, ad præfatas suppositiones spectantibus, quasi *per gradus*, vel ab *inferioribus*, ad aliquem terminum *communem*, seu universalem *ascendere*, vel econtra à termino *communi* ad *individua descendere* solemus, & quidem juxta sequentes regulas.. I. In *ascensu distributivo*, seu *copulativo* (qui fit per particulam Et) *omnia inferiora* sic enumerari posse oportet, ut *de singulis* propositio verificetur. 2. In *ascensu* & *descensu collectivo* seu *copulato* omnia singularia, nullo dempto, sub *una* copula enumeranda sunt; suppositio enim *collectiva*, copulat tantum *subjecta* (& ideo quoque *copulata* dicitur) sed ita subjecta copulat, ut non nisi per *unicam* copulam necti prædicato possint. III. In *Ascensu disjunctivo* non necessario enumerari debent *omnia* singularia: at vero in *descensu omnia* recensenda sunt. Sic v. g. si dico: *Petus currit*, jam licet inferre ascendendo: *ergo aliquis homo currit:* at si dicitur: *aliquis homo currit*: ut subjectum de *uno*, vel de *pluribus* verificetur,

Quomodo in suppositionibus fieri debeat?

tur,

tur, oportet sic descendere: *ergo vel Petrus currit, vel Paulus currit &c.* Et ita porro per *singula* inferiora, nam si *unum unicum* prætermitterem, tunc propositio nullatenus esset *vera*, si illud *unicum* curreret. IV. Tam in *ascensu* quam in *descensu disjuncto*, omnia singularia *confuse*, & sub *una* copula enumeranda sunt, ut patet in allatis exemplis (n. præc.)

CI. *Corollar.* Ex dictis facile colligitur, quæ sint SUPPOSITIONUM REGULÆ, tam *generales*, quam *speciales*. Nempe REGULA GENERALIS hæc una est: *Terminus extra propositionem supponit juxta suam significationem; intra propositionem vero supponit juxta exigentiam tum prædicati, tum Signi* (LXXIII. 10.) *præfixi*, *tum ipsius connexionis prædicati cum subjecto.* REGULÆ autem SPECIALES sunt Regulæ suppositionum.

Pro SUBJECTO I. Subjectum propositionis UNIVERSALIS AFFIRMATIVÆ est in suppositione *distributiva*, si prædicatum de *omnibus* inferioribus *seorsim* sumptis affirmari potest. e. g. *Omnis homo est mortalis*: econtra in *collectiva*, si prædicatum Pro Subjecto.

non *de singulis*, sed tantum de *omnibus simul sumptis* affirmari potest, v. g. *Omnes Apostoli sunt duodecim.* II. Subjectum propositionis UNIVERSALIS NEGATIVÆ *distributive* supponit e. g. *Nullus canis est homo.* III. Subjectum PROPOSITIONIS PARTICULARIS tam *affirmantis*, quam *negantis*, *disjunctive*, vel disjunctim seu *confuse* supponit, prout *prædicatum*, aut propositionis *veritas* exigit (XCIX. 4.) IV. Subjectum *indefinitum* (sive quod indicat terminum *communem*, absque præfixo tamen *signo universali*) supponit *pro ratione prædicati*, ita ut, si prædicatum sit *contingens*, id est, si *actum*, aut *exercitium* exprimat, suppositio detur *disjunctiva*, si *necessitatem*, *indigentiam passivam &c.* Significet, suppositio sit *confusa* (n. c.) Si vero *genium nationis*, *indolem ætatis*, *rerum affectiones*, *naturam*, aut *populi cujusdam mores*, *& consuetudines* indicet, supponit etiam *distributive in sensu accomodo* (XCIX. 4.) quales sunt istæ propositiones: *juvenes sunt inconstantes*, *mulieres sunt garrulæ*, *senes avari*, *Græci mendaces &c.* In materia denique *necessaria*, seu *universali*, *dogmatica* & *legali*, semper supponit *distributive*,

etsi

etsi *leges* quandoque admittant *exceptionem.* Ita hæc propositio: ANIMA, QUÆ PECCAVERIT, MORIETUR. *Ezech.* 18. Quoad *subjectum distributive* supponit. Idem dicendum de propositionibus dogmaticis, in *materia fidei* aut *morum*, nisi materiæ substratæ ratio hanc *extensionem* respuat. v.g. si dico: *fides ad salutem est necessaria*, id quidem de *omni fide* neutiquam intelligi potest, aut debet, manet tamen hæc propositio, *quoad obliquum* saltem, *universalis*, nempe quod vera fides *omnibus* ad salutem sit necessaria. V. Subjectum propositionis *singularis* suo modo *distributive* supponit, nam hæc propositio: *Petrus currit*, facit in Scholis hunc sensum: *omne id, quod Petrus est, currit.*


Regulæ *speciales* pro PRÆDICATO sunt. I. In propositione *affirmativa* prædicatum ordinarie supponit *disjunctive*, saltem *in creatis.* e.g. *omnis homo est mortalis*, sensus est: *vel est mortalis hic, vel mortalis iste, vel ille &c.* Item: *aliquis homo est doctus*, facit hunc sensum: *vel est hic doctus, vel iste doctus, vel ille &c.* II. In propositione *negativa*, vel *infinitante* (LXXXVIII.) Prædica- **Pro Prædicato.**

dicatum supponit *distributive*. v. g. *Homo non est lapis*, vel, *est non lapis*: sensus est: *homo nec est lapis hic*, *nec iste*, *nec ille* &c.

Usus harum Regularum in argumentando.

CII. *Scholion.* Serviunt hæ Regulæ quam maxime in *argumentationibus*. Pro quibus statuitur *generalis* hæc regula: *Non valet consequentia ab una suppositione ad aliam diversam*, *quæ terminum*, *aut modum ejus significandi intrinsecus immutat*. Regulæ autem *particulares* sunt 1. non valet illatio a suppositione *materiali* ad *formalem*. 2. Nec a *simplici* ad *personalem*. 3. Nec a *distributiva accomoda* ad *absolutam*, aut a suppositione *pro generibus singulorum*, ad suppositionem *pro singulis generum*. 4. Nec a *disjunctiva* ad *distributivam*, aut a *disjuncta* ad *disjunctivam*. 5 Nec a *disjuncta* ad *distributivam affirmativam*; bene vero a *disjuncta* ad *distributivam negativam*. Quæ omnia in datis supra exemplis patent. 6. A sensu *distributivo* ad *collectivum* nulla est consequentia *formalis*; nam in ejusmodi argumentationibus *plus* infertur in consequente, quam in antecedente dictum fuit. Adeoque non valet: *Petrus est animal*, *Paulus est animal*

mal &c. ergo omnes homines sunt animal. Quia argumentatio *similis formæ*, etiam falsa fieri potest e. g. *Petrus habet unam animam, Paulus habet unam animam &c. ergo omnes homines, simul sumpti, habent unam tantum animam.* Item male concluderetur: *Potest homo, ordinario gratiæ auxilio adjutus, vitare hoc, & illud peccatum veniale: ergo toto vitæ suæ tempore poterit evitare omnia peccata venialia:* Quod est damnatum a Concilio Tridentino. *Sess. VI Can. XXIII.* Si ergo hæ & similes propositiones quandoque valent, illarum valor tantum habetur a *materia*, non autem *a forma*, Ut alibi dicetur. (CLXVII.) 7. Valet tamen illatio, a sensu *distributivo* ad *disjunctivum*, & ratio est, quia hic in illo velut *pars in toto* continetur: sic tenet illatio: *omnis homo currit: ergo etiam aliquis homo currit.*



SECTIO IX.

DE DEFINITIONE, TANQUAM PECULIARI *OBSCURITATIS* CIRCA IDEAS, ET TERMINOS REMEDIO.

Definitio spectat ad primam mentis operationem.

CIII. QUoniam tum IDEÆ (XXXII) tum etiam *termini*, qui sunt *idearum substitutiones* (LXXIX) possunt esse *obscuri*, hic opportune post *Ideas* & *terminos*, de *definitione*, tanquam peculiari *obscuritatis remedio* agendum est. Sunt quidem nonnulli, qui definitionem omnem ad 2dam *mentis operationem*, sive ad *propositiones* rejiciunt, ast alii numero multo plures, ad *simplicem apprehensionem* melius eam revocant, ideo potissimum, quia *definitionum* vis videtur magis contineri *terminis*, quam *propositionibus;* nam v. g. hi termini: *animal rationale*, exhibent utique, quidquid ad *hominem* vere *definiendum* spectat. Et sic de aliis quoque *definitionibus* pariformiter dicendum est.

CIV. Est autem DEFINITIO, *generice* sumpta, *oratio*, *quæ illud exponit & explicat*, *quod in re*, *vel in nomine obscurum est*. Vel ut alii dicunt: est *notio sive idea distincta* (XXXII. 3.) & *completa* (n. c. 5.) *sermone*, *aut oratione* (LXXVIII.) *expressa*. Ipse *terminus*, aut *res*, quæ definitur, dicitur *definitum*, & *terminus* quidem in scholis dicitur *definitum formale*, *res* vero *definitum objectivum*. Definitio quid sit? Definitũ formale, & objectivum.

CV. Quoniam aliud est cognoscere, quid *res* sit, aliud scire, quidnam determinato aliquo *vocabulo*, seu *nomine* intelligatur? Hinc duplex præcipue definitio datur, alia scilicet NOMINIS, alia REI. 1*ma* est, quæ explicat, sive determinat, quidnam *termino* hoc, seu *vocabulo* intelligatur, abstrahendo interim, quid sit ipsa *res*, illo *termino*, seu *vocabulo* enunciata? e. g. si dico, me per hanc vocem *Elaterium*, sive *Elasticitas*, intelligere *vim illam*, *qua corpus tensum*, *aut pressum se restituit*, nil interim determinate affirmando, *in quo* proprie *vis illa Elastica* consistat? 2da est, quæ *declarat*, *quid* RES *ipsa sit?* v. g. si dico: *homo est animal rationale*, vel, *Linea est longitudo*, *latitudinis expers &c.* Definitio nominis? Definitio rei.

SECTIO IX.

DE DEFINITIONE, TANQUAM PECULIARI *OBSCURITATIS* CIRCA IDEAS, ET TERMINOS REMEDIO.

Definitio spectat ad primam mentis operationem.

CIII. QUoniam tum IDEÆ (XXXII) tum etiam *termini*, qui sunt *idearum substitutiones* (LXXIX) possunt esse *obscuri*, hic opportune post *Ideas* & *terminos*, de *definitione*, tanquam peculiari *obscuritatis remedio* agendum est. Sunt quidem nonnulli, qui definitionem omnem ad 2*dam mentis operationem*, sive ad *propositiones* rejiciunt, ast alii numero multo plures, ad *simplicem apprehensionem* melius eam revocant, ideo potissimum, quia *definitionum* vis videtur magis contineri *terminis*, quam *propositionibus*; nam v. g. hi termini: *animal rationale*, exhibent utique, quidquid ad *hominem* vere *definiendum* spectat. Et sic de aliis quoque *definitionibus* pariformiter dicendum est.

CIV.

CIV. Est autem DEFINITIO, *generice* sumpta, *oratio*, *quæ illud exponit & explicat*, *quod in re*, *vel in nomine obscurum est.* Vel ut alii dicunt: est *notio sive idea distincta* (XXXII. 3.) & *completa* (n. c. 5.) *sermone, aut oratione* (LXXVIII.) *expressa.* Ipse *terminus*, aut *res*, quæ definitur, dicitur *definitum*; & *terminus* quidem in scholis dicitur *definitum formale*, *res* vero *definitum objectivum.* Definitio quid sit? Definitū formale, & objectivum.

CV. Quoniam aliud est cognoscere, quid *res* sit, aliud scire, quidnam determinato aliquo *vocabulo*, seu *nomine* intelligatur? Hinc duplex præcipue definitio datur, alia scilicet NOMINIS, alia REI. 1ma est, quæ explicat, sive determinat, quidnam *termino* hoc, seu *vocabulo* intelligatur, abstrahendo interim, quid sit ipsa *res*, illo *termino*, seu *vocabulo* enunciata? e. g. si dico, me per hanc vocem *Elaterium*, sive *Elasticitas*, intelligere *vim illam*, *qua corpus tensum, aut pressum se restituit*, nil interim determinate affirmando, *in quo* proprie *vis illa Elastica* consistat? 2da est, quæ *declarat*, *quid* RES *ipsa sit?* v. g. si dico: *homo est animal rationale*, vel, *Linea est longitudo, latitudinis expers &c.* Definitio nominis? Definitio rei.

In quo differant definitio nominis & rei?

CVI. *Corollarium.* Differt quam plurimum definitio *rei* a definitione *Nominis*, nam 1. *definitio rei* concipitur, ut præcise *rei* definitæ conformis, definitio *nominis* vero ut conformis *notioni*, quam definiens ipse hic & nunc per nomen aliquod significare constituit. 2. Definitio *rei* non potest esse nisi *una*, eademque apud omnes, sicut *una* est unius rei *natura*: ast definitio *nominis* potest esse *diversa* apud diversos, quia *per se* non exigit, ut *notæ* definiti *Characteristicæ* (seu *proprietates* 4to *modo*) attingantur, quales *à parte rei* dantur, sed sufficit, si illæ afferantur *notæ*, quas *mente* concepit definiens, quasque hic & nunc *communicare intendit*. Hinc 3. definitio *nominis* plerumque est ad *arbitrium* usurpantis, non item definitio *rei*, & de *illa* lis moveri neque debet, neque potest; *hæc* autem in controversiam adduci & potest, & aliquando debet.

Quid sit Etymologia?

CVII. *Scholion.* Definitio *nominis* non debet confundi cum *Etymologia;* hæc enim in *originem* tantum *vocis* inquirit, illa autem determinat, quid per *vocem*, quam usurpamus, *intelligere* velimus. Cæterum quantum Commo-

DI definitio *nominis* præstet, inde patet, quia inutiles altercationes, & lites de *nomine* resecat, facitque, ut in definitionibus disputantes conveniant: hoc si veteres accurate in suis controversiarum libris servâssent, controversiæ quam plurimæ, quæ in rebus, præsertim Philosophicis, ingeniorum, & quandoque etiam animorum scissiones fecerunt, aut exterminatæ fuissent, aut in exiguum relatæ numerum; inde enim factum, ut visi quandoque fuerint homines, integros dies furiose disputare, atque interim egregie ignorare, qua de re disputarent? Sic etiam Protestantes in statuendo *Sacramentorum numero*, ab orthodoxis æque, ac à se ipsis usque hodie adhuc dissentiunt, ideo vel maxime, quia in definitione *Sacramenti*, longissime discrepant; & Spinoza ex mala definitione *substantiæ* (utpote quam definiit *rem* A SE *subsistentem*) in PANTHEISMUM (sive errorem eorum, qui *DEUM* & *mundum* pro uno *eodemque* habent) incidit, ut testantur HEINECCIUS. *in Elem. Phil. Rat.* §. *XXX.* & Cl. ANT. GENUENS. *Elem. Met. P. I. C. II.* §. *XX.*

Utilitas definitionis nominalis.

Definitio essentialis.

CVIII. Definitio *realis* dividitur in Essentialem, & Accidentalem, seu *descriptivam*. 1ma est, quæ rei materiam explicat per ea, quæ *ipsam essentiam* constituunt, estque iterum vel Physica, si scilicet rei natura explicetur per partes *physicas*, id est, *realiter* inter se *distinctas*, e. g. si dico: *Homo est aliquid constitutum ex corpore & anima*; vel Metaphysica, quando naturæ explicatio fit per partes *metaphysicas*, seu per prædicata essentialia, *realiter* inter se *identificata*, *genus* & *differentiam* constituentia. e. g. dum dico: *Homo est animal rationale* (nam *animalitas*, & *rationalitas* juxta Scotistas sunt partes hominis *Metaphysicæ*, *realiter identificatæ*) 2da, seu Descriptiva est, quæ rem explicat per aliqua attributa *non essentialia*, sed vel per *proprietates*, vel per *principia extrinseca*, *accidentia*, & *causas*, vel per *genesin*, sive originem (unde & Genetica dicitur) ut. v. g. *homo est substantia*, *admirationis*, *risus*, & *loquelæ capax*. Vel, est *animal implume*, *bipes*, *erectum tollens ad sidera vultum*. Item *Eclypsis* Lunæ est, quæ *oritur per interpositionem terræ*, *solem inter & Lunam*. Aut: *commiseratio est tædium*, *ex alterius*

Accidentalis seu descriptiva & genetica.

terius infelicitate oriundum. Linea est longitudo, ex continuo punctorum fluxu orta. Circulus est, qui generatur, si linea recta circa punctum fixum rotetur &c.

CIX. *Scholion.* Non desunt, qui cum Tschirnhausen, Wolfio, Gottsched, & aliis contendunt, omnem definitionem realem (n. præc.) debere esse *geneticam*, hoc est, quæ distincte explicet *modum*, & *causas*, per quas definitum fieri, aut generari soleat; sed *graves rationes* in contrarium opponunt alii, & *usus* quoque perpetuus Doctorum eis aperte contradicit, utpote qui solum amant definitiones *succinctas*, & aversantur *longiores*, ut sunt ejusmodi *Geneticæ*, quæ rei potius *causas*, *partes*, & *accidentia*, quam ipsam rei *essentiam* complectuntur: nihilominus in definiendis *artefactis*, *meteoris*, aliisque *mixtis*, definitio *genetica* locum, & usum frequentem habet. Definitio genetica rejicitur.

CX. Cæterum Canones sive REGULÆ definitionis perfectæ sunt sequentes. I. *Definitio debet esse clarior definito*; alias enim non esset idea rei *distincta*, quod est contra (CIV.) Hinc Regulæ definiendi.

 ipsi

ipsi definitionis *Termini*, seu *definitum formale* (n. c.) si non sint satis perspicui, antea accurate explicari debent per *novam* definitionem. Sic Cicero *Paradox. V. c.* 1. LIBERTATEM definiens inquit: *quid est libertas? potestas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut vult? nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata, atque provisa est?* II. *Definitio constet genere proximo, & differentia ultima*, vel ut alii loquuntur, *primaria*, alias enim *definitio esset latior suo definito*, & consequenter res definita non posset DISTINGUI ab omnibus aliis rebus. Sic male diceretur: *verba sunt signa conceptuum*, sive *cogitationum*, quia multi, non tantum *verbis*, sed etiam *manibus*, aut *oculis*, SIGNA quædam *cogitationum* edunt. Item mala esset hæc definitio *hominis*: *homo est substantia mortalis*, quia τὸ SUBSTANTIA, est genus latissimum, & τὸ MORTALE, non est differentia *ultima*, atque *primaria*, per quam homo à *brutis*, & rebus *materialibus* differt. Si vero *genus proximum*, aut *differentia ultima* haberi nequeunt, licite ad *descriptiones* confugi potest, ita

ta-

tamen, ut quantum fieri poteſt, III. *Definitio ſemper conveniat omni, & ſoli definito:* id, quod continget, obſervata præcedenti regula, ſicque definitio *adæquabit* definitum, & cum eo, ut debet, *commutari* poterit, ita, ut definitio in locum definiti, *ſalva omni mutatione*, poſſit ſubſtitui, & econtra, dicendo. v. g. *homo eſt animal rationale*, & *animal rationale eſt homo.* Peccat autem hæc definitio: *homo eſt animal, implume bipes*, quia non valet: *animal implume bipes*, (v. g. Gallus Gallinaceus deplumatus) *eſt homo.* Item male definitur *amor*, ſi dicitur, *amor eſt affectus, quo aliorum felicitate delector*, nam *amor erga nos ipſos* in hac definitione non continetur.

CXI. *Corollaria.* I. Notæ igitur in definitione enumeratæ *aliis* rebus, præter rem definitam, convenire non debent; bene autem *omnibus* iis, vel *individuis*, vel *ſpeciebus*, quæ rei definitæ ambitu comprehenduntur, & per illas notas res definita debet ab omnibus aliis rebus *ſemper* & *ubique* diſcerni poſſe, prout requirit natura Ideæ *completæ* (XXXII. 5.) Qualis ut ſit *definitio* oportet (CIV.) II. Ea ergo, Aliæ adhuc Regulæ.

quæ

quæ rei definitæ non *constanter* insunt, sive *accidentia* (XLVIII.) in definitione poni non debent; male enim dicerem: *Homo est animal pulchrum, aut doctum.* III. Cavendum est in omni definitione, ne *idem per idem* explicetur, qua de causa recentiores Philosophi non approbant illam definitionem QUANTITATIS, qua Peripatetici dicunt, *quantitatem esse accidens, à quo res dicitur quanta?* nam hoc ipsum in quæstione est, *quid sit illud*, à quo res dicitur *quanta*? & hæc definitio dicitur *ambulare in Circulo*, quia id ipsum in definitionem ingreditur, quod definiri deberet, æque ac si dicerem: *Lex est decretum Superioris, obligans inferiorem;* ac dein *Superiorem* definirem, esse illum, *qui habet potestatem ferendi legem.* Terminus tamen *identicus* aliquando valet: si prius jam definitus sit *in concreto.* e. g. *Sapiens est vir eligens optimum*, ex quo dein vere addi potest: *igitur* SAPIENTIA *est virtus animæ, qua quis est* SAPIENS. IV. In definitione adhibendi minime sunt termini *metaphorici, ignoti, vagi,* & *ambigui*, nisi antea illi ipsi fuerint definiti (CX.) neque termini *negativi* per se loquendo

do usurpari debent (nisi qu vim *positivorum* habent, aut alii termini *positivi* omnino non suppetant) nam per ejusmodi definitionem *negativam* nemo venit in cognitionem, *quidnam* revera res sit? sed tantum, *quid non sit*? inde male definiretur *aurum* per hoc, quod *non sit arbor*, *aut cuprum* &c.

CXII. Circa Usum definitionum sequentes canones observandi sunt. I. *Usus definitionum non debet esse nimius*: *Philoristia*, sive excessus in definiendo antiquis vitio vertitur, qui ne olus quidem citra definitionem comedere volebant: at inutile prorsus est illa definire, quæ per se Ideas *claras* menti ingenerant, unde Democritus alios quondam Philosophos risu excepit, quod Homini definiendo adeo insudarent, dicens: *homo est id*, *quod nos ipsos esse novimus*. Quædam vero objecta ita sunt *obscura*, ut secundum naturam suam perfecte definiri nullatenus queant. e. g. *Leo* quidem definitur esse *animal rugibile*, *bos* vero *animal boabile*: at quis scit ipsam naturam τῦ *rugibilis*, aut τῦ *boabilis*? II. *Inter definitionem* Rei, & Nominis *accurate distinguendum est*, ne unus, v. g.

Regulæ circa usũ definitionum.

Philoristia quid sit?

eos-

eosdem terminos ufurpet pro definitione *nominis*, alter pro definitione *Rei* (CVI.) Definitiones enim *nominum* funt ad libitum quidem cujuslibet; dummodo alios moneat, fe id, & non aliud intelligere: at definitiones *rerum* non funt *arbitrariæ*, fed probe infpicienda eft rerum *natura*: Unde ad Logicum non fpectat condere definitiones ejusmodi, fed oportet illas cuivis facultati relinquere, illique fufficiat fcire *regulas* bene definiendi, factasque ab aliis definitiones *reales* examinandi. Hinc communis ufus in figendo *vocum* fenfu, quoad poteft, fervetur, & determinatus femel *vocis* alicujus fenfus non facile mutetur.

CXIII. *Scholion.* Cl. P. Fort. a Brix. *Log.* P 1. §. 140. negat, definitionem effe *modum fciendi* (five *medium acquirendi fcientiam*) ex eo, quia fcientiam, vel notitiam rei primum fequitur, atque ideo afferit, quod per eam *fcientia* obtineri non poffit; aft fere omnes pleno agmine in eo fibi contradicentes habet; definitio enim, etfi hoc modo *in mente definientis* fit notitia rei pofterior, ducit tamen alios *audientes*, *legentesve* in rei notitiam, facitque,

Definitio eft modus fciédi.

que, ut propofita quæftio folidis argumentis demonftrari queat.

SECTIO X.
DE
DIVISIONE, SEU ALTERO *CONFUSIONIS* CIRCA IDEAS, ET TERMINOS REMEDIO.

CXIV. DEfinitioni *Sect. præc.* explicatæ fubjungenda eft DIVISIO, quæ ab illa *quoad rem fignificatam* non differt, fed folum *quoad modum tendendi*, eft enim *divifio* novarum quafi *definitionum acervatio*, quibus Ideæ, feu nominis cujusdam *totalis* notæ *fpeciales* dilucidentur, ac proinde ipfius Ideæ totalis *confufio* tollatur. Proprie autem divifio dicitur *refolutio totius in partes fuas.* *Idea* porro feu *res*, quæ dividitur, appellatur *divifum*, ipfæ vero *partes*, in quas dividitur, dicuntur *membra dividentia*, quæ fi fuerint duo tantum, divifio vocatur *bimembris*, fi plura, *trimembris*, aut *quadrimembris &c.* Ac fi partes five membra in *novas* denuo partes refolvantur, dicitur *fubdivifio.* Quid fit divifio? Divifum, & membra dividentia.

CXV.

Divisio nominis & rei.

CXV. *Divisio* æque ac *definitio* (CV.) alia est NOMINIS, alia REI: 1ma explicat multifariam *vocis* seu TERMINI significationem, e. g. *Camelus* jam indicat *animal*, jam *funem nauticum*, in quo sensu accipi debet illud *Matth.* 19. *v.* 24. Item CANIS modo significat *animal latrabile*, modo *piscem*, modo *stellam*. 2da exponit seu distribuit REM aut significatum in suas partes. e. g. cum *Spiritus* dividitur in *creatum*, & *increatum*. Hæc iterum duplex est, pro diversitate scilicet *totius*, sive *rei*, quæ dividitur, nam aliud est totum *potentiale*, aliud totum *actuale*, atque ideo alia quoque est divisio *potentialis*, alia divisio *actualis*.

Quid totum actuale, & potentiale?

CXVI. TOTUM dicitur omne id, quod vel in se, vel *sub se*, alias res quaslibet complectitur. 1mum est totum *actuale*, (XLVI. 2.) 2dum *potentiale* (n. c.) *Divisio* ergo *potentialis* est distributio prædicati *universalis* in *differentias*, vel *species*, aut *individua*. Sic τὸ *animal* dividitur in *rationale*, & *irrationale*, in *hominem* & *brutum*, in *Petrum Paulum* &c. quæ vocantur partes *potentiales*, aut *subjective* (XLI) di-

divisio *actualis* est distributio rei in partes, ex quibus *actu* componitur. Hæc rursum triplex est, quia triplex etiam datur totum *actuale*, scilicet 1. *essentiale*, 2. *integrale*, 3. *accidentale*.

CXVII. TOTUM ESSENTIALE dicitur, quod ex partibus *essentialibus* (XLVI. 3.) coalescit, vel *physicis*, vel *metaphysicis* (CVIII.) unde quoque *divisio* ESSENTIALIS est distributio rei in suas *partes essentiales*, quæ si fuerint partes *physicæ*, divisio *essentialis physica*; si *metaphysicæ*, divisio *essentialis metaphysica* denominatur. TOTUM INTEGRALE est, cujus partes magis ad *integritatem*, quam ad *essentiam* spectant, &, si sint *ejusdem rationis*, ut v. g. plures aquæ guttæ, vocantur *homogeneæ*, si vero *diversæ rationis*, ut *tabulata*, *tectum*, *janua* &c. respectu domûs, *heterogeneæ* appellantur. Aliud item est totum *integrale physicum*, quod constat partibus integrantibus *physicis*. Sic *homo* constat *capite*, *collo*, *pectore*, *brachiis*, *pedibus* &c. aliud est *integrale morale*, cujus partes tantum *ex institutione*, aut *communi* hominum *æstimatione*, ad se invicem ordinantur, ut *respublica*, *exercitus* &c. aliud *instanta-* Essentialis.

taneum, cujus partes integrantes *simul* existunt, ut *corpus*, *domus* &c. aliud denique est *successivum*, ut supra de *quantitate* dictum est (LVI. 6.) Divisio igitur Integralis est distributio totius in partes suas *integrantes*. *Totum per accidens* est, quod ex aliquo subjecto & *accidente* (XLVIII.) consurgit, ut τὸ *album*, aut *doctum*, quæ *in recto* important *subjectum*, cui inhæret *forma accidentalis albedo*, aut *doctrina*, nec differunt à *concretis accidentalibus* (LXXXIV.) Divisio ergo Accidentalis est partitio totius accidentalis in *subjectum*, & *accidens*. Hæc divisio denuo triplex est, vel enim 1. dividitur *totum accidentale* per Subjecta, quibus inest illa forma, ut v. g. *albedo* alia est *muri*, alia *lactis*, aut *nivis*. Vel 2. *subjectum* dividitur per Accidentia. e. g. *Corpus* per figuram *quadratam*, aut *rotundam*. 3. Vel denique *ipsum totum accidentale* dispescitur in Accidentia, ut τὸ *album* in *dulce*, & *amarum*.

Integralis.

Accidentalis.

CXVIII. Præter *partes*, quæ constituunt *essentiam* rei, sive totius, dantur etiam varia, quæ ad *existentiam* rei concurrunt, vel ut *causa*, vel ut *conditio*,

Connotata quid sint?

ditio, aut *modus &c.* & *connotata extrinseca totius* nominantur. Sic se habet v. g. *DEus*, respectu rerum in mundo existentium; licet enim hæ ab illo essentialiter, tanquam a *Creatore*, & *Conservatore* dependeant, non tamen ipse est *pars* illarum *intrinseca*, sed *causa* tantum, atque *connotatum extrinsecum*: differunt ergo *connotata* a *partibus* in hoc, quod sine *illis* totum perfecte de reliquis, quæ *intrinsece* includit, simul sumptis prædicari valeat, non autem sine *istis*, hinc & divisio proprie in *partes*, non in *connotata* fieri debet, ut sit vera *divisio* (CXIV.)

CXIX. Regulæ bonæ divisionis sunt: I. *Divisio fiat in membra proxima, & immediata.* Sic EUROPAM v. g. divisurus male inciperet ab *Urbibus*, aut provinciis *particularibus*, BAVARIÆ v. g. aut SUEVIÆ, sed melius divideret primo TERRAM in *Regna. Provincias*, ac *Territoria &c.* Dein vero etiam AQUAS in *Oceanos*, *maria*, *lacus*, & *fluvios &c.* Juxta ordinem membrorum VIRGINIS SEDENTIS, quam Geographi EUROPÆ attribuunt, singula recensendo. Sic etiam *substantia* male divideretur in *hominem*, & Regulæ dividendi.

K 2 *bru-*

brutum, quia præcedunt alia membra proxima, immediate *substantiam* dividentia, ut videre est in arbore Porphyrii, aut Cartesii (Fig. I. & II.) II. *Divisio sit adæquata.* Hoc est, membra dividentia nec *plus*, nec *minus* complectantur, quam ipsum divisum, ita in præc. exemplo *Europa* male divideretur in *Germaniam*, *Helvetiam*, & *Galliam*, ac *Persiam.* Vel *homo* in *sensitivum*, & *rationalem.* III. *Membra dividentia inter se pugnent:* nec unum eorum debet alterum continere, sic falso dividerentur *homines*, in *pios*, & *doctos*, vel *animal* in *rationale*, *irrationale*, & *rugibile.* IV. *Nullum membrum dividens se solo adæquet totum*, alias enim non divisio totius *in partes*, sed repetita tantum *ejusdem totius* positio erit. V. *Divisio*, *ordinarie loquendo*, *fiat in membra non nimis multa*, nam ut præclare SENECA ait *Epist. LXXXIX. idem vitii habet nimia, quod nulla divisio, simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est.* Sæpe tamen *Analysis* (XXXII. 8.) per multos veluti gradus continuanda est, *ope subdivisionum* (CXIV.) quæ & ipsæ *citra necessitatem* multiplicandæ non sunt. Superstitiosa vero, ac plane ridicula vide-

detur illa RAMISTARUM (seu asseclarum PETRI RAMI.) regula, qua omnem divisionem Διχοτομίαν hoc est, *bimembrem* esse voluit; etenim non omne totum (quod juxta dicta *perfecte* distribui debet) *duabus* tantum partibus constat. VI. *Divisio fiat in membra positiva, si totum sit positivum*; sic male divideretur *homo*, in *musicũ*, & non *musicum*, ratio est eadem, quæ supra data est (CXI. 4.) VII. *Ordo in divisione servari debet.* Id sequitur ex Reg. I. Hinc in *toto potentiali* (XLVI. 2.) ita dividantur partes *subjectivæ* (XLI.) ut in prosecutione divisionis membra dividentia semper *arctius* & *arctius* coëant, donec tandem ad *individua*, solo numero distincta, in unoquoque divisionis membro perveniatur; pariter in divisione totius *integralis* inchoandum a *majoribus* partibus, tum majores in *minores* resolvantur, e. g. *Corpus* primo in partes *solidas*, & *fluidas*, dein iterum partes *solidæ* in *ossa*, *nervos* &c. dividantur.

CXX. *Scholion.* Quandoque *divisio* præmittenda est *definitioni*, & quidem tunc, si occurrit terminus *æquivocus*, qui prius rite dividendus est per divi-

sionem *nominis* (CXV.) antequam definiatur, *qualis* sit re ipsa. UTILITAS porro *divisionis* est maxima, nam 1. inde juvatur MEMORIA, utpote quæ ad *singularium* distinctam notitiam facilius pervenit, nec ob rerum *multitudinem* confusione involvitur. 2. INTELLECTUS quoque res tot ac tantas, quas *conjunctas* obscure tantum cognosceret, ut sejunctas clarius percipit. 3. Etiam *legentes* atque *discentes* ex bona *divisione* magis proficiunt, unde habetur illud: QVI BENE DISTINGUIT, BENE DOCET. Id quod præprimis elucet in omnibus scriptis tum *Asceticis*, tum *Polemicis* Cl. P. FRANCISCI NEUMAYR, S. J. qui jure propterea *Doctor Clarissimus*, ac *Solidissimus* appellari meretur: nec *dividendi* solum, sed & *definiendi* artificium, ex eruditissimis ipsius opusculis tyro quivis, præsertim *Religionis*, *solidæque pietatis* amans, abunde haurire poterit.

Utilitas divisionis.



DIS-

DISSERTATIO II.

DE JUDICIO, ET PROPOSITIONIBUS, EARUMQVE PROPRIETATIBUS.

SECTIO I.

QVID SIT JUDICIUM, ET PROPOSITIO IN GENERE?

CXXI. *Judicium*, ut eſt ſecunda mentis operatio, dici poteſt *actus intellectûs*, *immediate unum de alio enuntians*, habetque ſe proceſſus *judicii mentalis* vix non eodem modo, ſicut *judicium forenſe* inſtituitur; nam 1. *præſentantur* menti duæ ſaltem ideæ. 2. *Comparantur* invicem hæ ipſæ ideæ. 3. Mens percipit quamdam *habitudinem* convenientiæ, aut diſconvenientiæ in illarum objectis. 4. Mens tandem *decidit*, & quaſi ſententiam pronuntiat, *annuendo*, vel *abnuendo* perceptæ habitudini, quod eſt ipſum *affirmare*, aut *negare*, & conſequenter JUDICIUM INTERNUM nil aliud eſt, quam *ſententia*, *atque deciſio mentis*, *ſuper habitudine*, *quam in idearum ſuarum objectis agnoſcit*, in quantum vero iſtud judicium Judiciũ.

in *mente* factum, per voces *exterius* manifestatur, *Judicium verbis expressum*, sive PROPOSITIO in scholis nominari consuevit, vel ut vulgo definitur: *oratio* (LXXVIII.) *in qua unum de alio affirmando, vel negando immediate enuntiatur*, includitque in se *subjectum, prædicatum*, & *copulam* (LXXIX.)

Proposi-tio.

CXXII. *Corollaria.* I. Judicium non est sola animi PASSIO (LX.) qua mens subjecti & prædicati, eorumque connexionis species *passive* in se recipit, nihil omnino agendo, sed est vera ACTIO (n. c.) nam *conjungere* ideas convenientes, ac *sejungere* dissentientes, ut fit per *judicium affirmativum* & *negativum*, est vere *agere*, adeoque etiam intellectûs, *ut judicantis*, operatio est vera *actio*. II. Judicium non est mere *actus* VOLUNTATIS *approbantis, vel improbantis*, ut vult Cl. PURCHOTIUS; sicut enim duas actiones *voluntati* tribuimus, nempe *amare*, & *odisse*, ita & duplicem actionem *intellectui* comuniter assignamus, *affirmationem* nimirum & *negationem*: & sane qui *judicat* v. g. *bonum esse amandum*, propterea non semper per *voluntatem* illud prosequitur *amore*, neque etiam im-

Judicium est actio.

Et quidem intellectus non voluntatis.

immediate *aversatur*, adeoque alia est actio *intellectus*, ideas *conjungentis* per annutum, & alia est actio *voluntatis approbantis*, aut *amantis;* & consequenter ex eo, quod voluntas *imperet* assensum vel dissensum, male infertur, quod *judicium sit actus voluntatis*, cum solum inferri deberet: *ergo* IMPERIUM *assensus, vel judicii est actus voluntatis*, non autem *ipsum* JUDICIUM, quia mens, ut *volens*, inflectit se ipsam ut *intelligentem*, ad affirmationem & negationem propter con- vel disconvenientiam idearum. Dein si *intellectus* non est per se formaliter *activus*, sed ejus actio potius *voluntati* attribuenda est, ut docet idem Cl. PURCHOTIUS, quomodo in sensu, a Theologis recepto, salvabitur, quod *processionum* in divinis principium *formale quo*, ut ajunt, *proximum*, sit *intellectus* & *voluntas*? Nam si intellectus *activus* non est, quomodo principium formale FILIATIONIS esse poterit? Certe si *intellectus* ad *voluntatem* refunditur, tunc *idem* erit principium *filiationis*, & *spirationis passivæ*, sicque filius, ut VERBUM PATRIS, non procedet per *intellectum*, quod est contra omnes Theologos. III. Essentia judicii *physica*,

Judicium est simplex mētis actus.

sive *judicium formaliter sumptum*, ideas quidem *subjecti* & *prædicati*, tanquam duas apprehensiones requirit, non tamen ex iis COMPONITUR, sed est SIMPLEX mentis ACTUS, qui formaliter est ipsa AFFIRMATIO, & NEGATIO, *subjectum* autem & *prædicatum* tantum sunt id, *quod* affirmatur aut negatur, sive tantum in *esse materiali* considerantur illæ ideæ præsuppositæ, quas *formaliter* mens *unico actu* affirmando inter se jungit, vel negando separat. Indeque patet, quod revera in *intellectu* possint esse ideæ subjecti, & prædicati, *quin* intellectus *judicet*, seu *annuendo*, seu *abnuendo*, ita dum v. g. aliquis ex DAVIDIS psalterio profert hanc impii propositionem, dicentis in corde suo: *non est DEUS*, certe *in mente* habet terminos hujus propositionis blasphemæ, nec tamen ipsis *assensum* præbet, *judicium* ferendo, alias toties blasphemaret, quoties voce proferret.

Subjectū & prædicatum Formale ac objectivum.

CXXIII. *Scholia.* I. In *propositione* aliud est *subjectum & prædicatum formale*, aliud *objectivum*. Per *primum* designantur *termini*, per *secundum res ipsæ*. Sic

etiam

etiam *copula* alia eſt *principalis*, quæ ſtat in propoſitione *ſimplici*, *unum* tantum ſubjectum, & prædicatum habente. e. g. *DEus eſt juſtus.* Alia eſt *ſecundaria*, quæ ſtat in propoſitione *compoſita.* e. g. *DEum eſſe juſtum, de fide eſt.* Vel, *ſi DEus eſt juſtus, tunc ſcelerum vindex eſt.* *τὸ DEum eſſe juſtum*, & *τὸ ſi DEus eſt juſtus*, copulam continent *ſecundariam*: unde etiam alii *copulam principalem* vocant eam, quæ *totum ſubjectum* connectit cum *toto prædicato*, *ſecundariam* vero, quæ *vel ſolum partes* ſubjecti, vel ſolum *partes* prædicati inter ſe connectit. II. *Subjectum*, *prædicatum*, & *copula* non ſemper in propoſitione ponuntur *explicite*, ſive expreſſis terminis; nam quandoque omittitur, & ſubintelligitur *prædicatum*, ut ſi dico: *ego ſum*, quod facit implicite hunc ſenſum: *ego ſum exiſtens*, quandoque *ſubjectum* ſimul & *prædicatum*, *in verbo contenta*, intelliguntur, ut in illis JULII CÆSARIS verbis: *veni*, *vidi*, *vici*! nonnunquam etiam *integra verba* reticentur, ut in hoc TERENTII loco: *egone illam? quæ me? quæ non?* vel in illo

Copula principalis.

Secundaria.

Proposi-tio deter-tio adja-cente.

illo VIRGILII: *quos ego?* propositiones ergo illæ, in quibus uterque terminus una cum copula aperte ponitur, dicuntur de TERTIO ADJACENTE, quia scilicet *tribus* constant vocabulis, quorum *tertium*, nempe prædicatum, duobus prioribus *adjacet*, illa vero, quarum *subjectum*, vel *prædicatum latet*, de

De secũdo adjacente.

SECUNDO ADJACENTE, denique si tam *subjectum* quam *prædicatum* per *solum* verbum *exprimitur*, propofirio

De primo adjacente.

de PRIMO ADJACENTE dicitur, ut *amo*, *scribo*, *ambulo*. Facitque hunc sensum: *ego sum amans*, *scribens*, *ambulans*.

Verbum *sum* dupliciter in propositione accipitur, in vi copulæ, & in vi verbi tantũ.

III. Verbum SUM, quod in scholis passim vocatur *verbum substantivum*, eoquod *solam affirmationem* perfecte enuntiet, absque eo, ut *alium* insuper quemdam *sensum* superaddat (prout tamen fit per alia verba, quæ propterea *adjectiva* vocantur) interdum sumitur tantum in VI COPULÆ, & *substantive*, quando scilicet duntaxat *nexum* inter subjectum, & prædicatum significat, ut fit in propositionibus de *materia necessaria* v. g. *Homo est animal rationale*, vel *homo non est equus*, quæ veræ sunt, licet nullus homo existeret; prima enim facit hunc sensum, *quandocunque exstitit*, *existit*, *aut*

aut erit homo, *fuit*, *est*, *& erit animal rationale*, adeoque per *ampliationem* (XCIII.) accipitur: interdum autem sumitur solum in VI VERBI, & *adjective*, seu ut *prædicatum* (saltem *partiale*) nimirum in propositionibus *de materia contingenti*, ubi præter illum *nexum*, significat etiam *tempus*, & *existentiam* subjecti, & prædicati, pro *tempore* per copulam indicato, e. g. In hac propositione: *Petrus currit.* Ubi sensus est: *Petrus existit*, *& currit.* Sive *Petrus est existens*, *& currens.* IV. Etiam in propositione *negativa* datur copula; licet enim una res *negetur* de altera, atque ideo negetur nexus inter subjectum, & *prædicatum objectivum*, datur tamen (si de propositione *mentali* loquimur) nexus prædicati *formalis* cum subjecto *formali*, seu nexus utriusque termini, qui per verbum SUM in *unum judicium* quodamodo conjungitur. V. Quemadmodum ideæ per *nomina* (LXXVI.) Sic judicia per *verba*, tanquam per signa exprimuntur (LXXVII.) nam verba significant *affirmationem*, & additâ paticulâ NON, continent negationem.

Copula datur etiã in propositione negativa.

SE-

SECTIO II.

RECENSENTUR VARIÆ PROPOSITIONUM SPECIES.

CXXIV. IN qualibet propositione spectanda sunt 4. nempe 1. *Materia.* 2. *Forma.* 3. *Quantitas.* 4. *Qualitas.* Et ex hisce 4. tota propositionum divisio petitur.

Propositionum materia duplex.

MATERIA porro propositionis duplex est, *una*, *circa quam* fit, & sunt RES. ALTERA, *ex qua* fit, seu componitur, & sunt *termini.*

Forma.

FORMA vero *est debita terminorum in propositione connexio per verbum* EST, sive est ipsa *copula principalis*(CXXIII.) *aliquid affirmans*, *vel negans.* Et vocatur etiam *Qualitas* propositionum *essentialis.*

Quantitas.

QUANTITAS est *extensio*, *vel restrictio subjecti*, sive est id, quod respondetur ad quæstionem, *quanta* sit propositio ? verbo, est *universalitas* & *particularitas.*

QUA-

QUALITAS est *veritas aut falsitas propositionis*, quæ sequitur ejus *affirmationem*, aut *negationem*, & respondetur ad quæstionem, *qualis sit?* & dicitur qualitas *accidentalis*. Qualitas.

CXXV. Propositio RATIONE MATERIÆ *circa quam* I. alia est NECESSARIA, seu in *materia necessaria*, cujus prædicatum *essentialiter*, hoc est, ex *natura sua* inest subjecto, vel ut CL. Purchotius inquit, *cujus attributum in idea clara, & distincta subjecti continetur*, ut *homo est animal rationale*, vel *circulus est rotundus*. II. CONTINGENS, seu in *materia contingente* est, cujus prædicatum subjecto ita convenit, ut *posset* ab eo etiam *abesse*, sive, cujus termini possent non esse conjuncti, ut *aliquis homo est mathematicus*. III. POSSIBILIS, seu in MATERIA POSSIBILI est, cujus prædicatum subjecto *nec convenit actu*, *nec actu repugnat*, e.g. *Petrus cras morietur*, vel: *hic puer erit cum tempore Philosophus*. IV. IMPOSSIBILIS, sive in *materia impossibili* est, cujus prædicatum necessario *repugnat* subjecto, adeo ut ejus termini nunquam conjungi queant, e. g. *Creatura est infinita*, vel *circulus est* qua- Propositio necessaria. Contingens. Possibilis. Impossibilis.

quadratus: ejusmodi propositio dicitur quoque *incomprehensibilis*, si ejus *repugnantia* sit *manifesta*.

CXXVI. *Scholia.* I. Aliud est in *rigore*, propositionem esse NECESSARIAM, & aliud est ESSE in MATERIA NECESSARIA; nam v. g. Hæc propositio: *homo non est Leo*, est *necessaria*, id est, *necessario vera*, attamen non est in materia *necessaria*, sed in *materia impossibili*: econtra hæc propositio: *homo non est rationalis*, est *impossibilis*, sed in *materia necessaria*. II. In Theologia datur etiam propositio *necessaria*, NECESSITATE tantum ACTUS, & est ea, quæ *necessario* est *vera*, non tamen in *materia necessaria*, quales sunt omnes fere propositiones, & *actus fidei*. e. g. *Christus passus*, & *sepultus est*; *necessario* enim verum *est*, quod Christus sit passus, non tamen hæc ipsius passio ita ipsi *necessaria* fuit, ut non potuerit non pati, sed potius OBLATUS EST, QUIA IPSE VOLUIT. *Is.* 53. *V.* 7. III. Si in propositione aliquis ex præfatis terminis: *necesse*, *contingens*, *possibile*, *impossibile*, *aperte* ponitur, & aliquo ex his *modis* prædicatum affirmatur, vel negatur

Propositio necessaria necessitate actus.

gatur de subjecto, illa propositio vocatur MODALIS, si vero non exprimitur MODUS, quo attributum convenit subjecto, dicitur ABSOLUTA. v. g. Si dico præcise: *homo est animal*, aut: *Petrus est doctus*, est propositio ABSOLUTA, si autem assero: *homo* NECESSARIO *est animal*, aut *Petrus* CONTINGENTER *est doctus*, MODALIS est. IV. Quatuor illis modis, *quoad sensum* æquivalent isti quatuor modi TEMPORIS: *semper*, *nunquam*, *aliquando*, *Aliquando non*. Nec non quatuor isti modi LOCI: *ubique*. *Nullibi*. *Alicubi*. *Alicubi non*. e. g. Huic propositioni: *homo est animal rationale*, substitui possunt istæ: *homo* SEMPER *est animal rationale*, vel: NECESSARIO, & UBIQUE *est animal rationale*, & hæc: *Petrus currit*, æquivalet his: CONTINGENS *est*, *Petrum currere*, vel *Petrus* ALIQUANDO, aut ALICUBI *currit* &c. — Modalis. Absoluta.

V. In propositione *modali* aliud est MODUS, & aliud est DICTUM. *Modus* est unus de mox dictis; *dictum* vero vocantur reliqua in propositione posita. e. g. in hac propositione: *necesse est*, *hominem esse animal*. τὸ NECESSE, est MODUS, reliqua verba constituunt DICTUM. — Modus & dictum.

Proposi- tio Identica, CXXVII. Propositio ratione MATERIÆ *ex qua*, seu terminorum 1. est IDENTICA, seu *nugatoria*, aut *Synonymica*, ut v. g. *homo* est *homo*; *ensis* Legitima. *est gladius.* II. LEGITIMA, seu *formalis*, in qua prædicatum *aliud* significat, quam subjectum, ut: *homo est sensitivus.* Mediata. III. MEDIATA, in qua prius debet in subjecto aliquid concipi, eo quod illi prædicatum *per se* non competat, ut si dico: *Plato est Philosophus.* Plato prius concipi debet ut *homo*, antequam concipiatur ut *Philosophus.* Imediata. IV. IMMEDIATA. ubi prædicatum *essentialiter* convenit subjecto: e. g. *Plato est rationalis.*

Affirmativa. CXXVIII. Ratione FORMÆ propositio est I. AFFIRMATIVA, quæ Negativa. aliquid affirmat, aut NEGATIVA, seu habens annexam copulæ principali particulam NON, quæ dicitur *malignantis naturæ*, quia omnia, quæ post se invenit, *negat.* e. g. *vera fides est necessaria ad salutem*, est affirmativa. *Commoditas vivendi non est vera hominis* Duplex negatio affirmat. *in hac vita felicitas.* Est *negativa.* Affirmativam quoque facit duplex negatio, *eandem* copulam respiciens. e. g. *non possum non amare bonum.* Vel:

nulla virtus non subjacet tentationi. Sensus est: *debeo amare bonum. Omnis virtus tentationi obnoxia est.* Ubi vero adest copula *principalis*, unacum *secundaria incidente*, solummodo ad *illam*, non ad *hanc* attendi debet, ita hæc propositio: *homo, qui in bono non perseveraverit usque in finem, damnabitur, affirmativa* est, licet copula *secundaria* sit *negativa.* Propositio autem *modalis* (CXXVI. 3.) potest esse *affirmativa* quoad *dictum*, & simul *negativa* quoad *modũ*, vel econtra. e. g. *Hominem sua voluntate à vera fide alienum salvari, non est possibile*, vel, *vix est possibile, mendacem non esse perjurum.* II. ORDINATA dicitur, in qua prædicatur, quod ex natura *prædicari* debet, ut *canis est animal latrabile* IN-ORDINATA, seu *indirecta* est, in qua prædicatur, quod ex natura *subjici* debet. e. g. *Animal latrabile est canis.* (L. 3.) III. SIMPLEX, aut *Categorica* est, quæ constat *una* tantum copula principali, & *uno* tantum subjecto, & prædicato. e. g. *DEUS est misericors.* IV. COMPOSITA, aut *complexa*, quæ *plures* habet copulas principales, illa vero propositio *intermedia*, quæ ex subjecto propositionis complexo na-

Propositio ordinata.

Inordinata.

Simplex, sive Categorica.

Composita, sive complexa.

scitur, & per *qui*, *quae*, *quod*, exprimitur, vocatur propositio INCIDENS, quae vel EXPLICAT tantum subjectum propositionis *principalis*, ut; *homo*, *qui est animal rationale*, *capax est beatitudinis*, vel illud etiam DETERMINAT, ut: *homines*, *qui pie volunt vivere*, *persecutionem pati debent.* Propositio *composita*, est vel *explicite*, vel *implicite* composita, seu EXPONIBILIS, hoc est, quae *exponi*, atque explicari debet per *duas* propositiones, licet *in se* grammaticaliter *una* esse videatur. Sic v. g. Si dico: *soli justi salvantur*, est propositio *implicite composita*, quae, ut evadat in propositionem *explicite* compositam, sic exponi debet: *Justi salvantur*, & *nemo alius salvatur.* Haec secunda *exponens*, prior *exponibilis* dicitur. Propositio EXPLICITE COMPOSITA iterum dividitur in *copulativam*, *disjunctivam*, *causalem*, *conditionalem*. IMLICITE COMPOSITA in *exclusivam*, *exceptivam*, *reduplicativam*, & *comparativam*

Incidens.

Exponibilis.

CXXIX. Inter EXPLICITE *compositas* I. COPULATIVA est, in qua subjecti & praedicati partes per particu-

Copulativa.

culam: ET, vel NEC, conjunguntur. e. g. *Scientiæ, & divitiæ non faciunt beatum. Nec Lutherus, nec Calvinus Ecclesiam reformare potuerunt.* Ad hanc etiam pertinent propositiones *contingentes.* e. g. *Petrus currit* (CXXIII. 3.)

II. *Disjunctiva*, constat particula VEL. e. g. *Vel terra circa solem fertur, vel sol circa terram. Amicitia pares invenit, aut facit.* Disjunctiva.

III. CAUSALIS; in qua partes ligantur particula QUIA, vel, UT. e. g. *Otium est fugiendum*, QUIA *est pulvinar diaboli. Tolluntur in altum*, UT *lapsu graviore ruant.* Causalis.

IV. CONDITIONALIS, in qua prædicatum tribuitur subjecto sub addita aliqua *conditione*, ut: *si homo bene vixerit, bene morietur.* Vel: *si, quidquid DEus immittit ad nostri probationem, nobis debet esse charum, tunc morbi nobis debent esse chari*, prima propositio vocatur semper ANTECEDENS, aut *hypothesis*, altera CONSEQUENS. ubi nota, quod *conditio*, seu *hypothesis*, in ea nihil expresse affirmet, aut *ponat* in esse, non enim assevero. e. g *hominem vere esse bene victurum, aut bene moriturum.* Si tamen conditio fuerit *impossibilis*, tunc habet vim *negandi*, ut si dico: *si cœlum digito attigeris*, Conditionalis.

Rex eris; facit enim hunc sensum, *tu nunquam Rex evades.*

CXXX. Inter IMPLICITE *compositas*
Exclusiva. I. EXCLUSIVA est, quæ ita prædicatum subjecto convenire designat, ut illi soli conveniat, & nulli alteri, enuntiaturque adjectivo SOLUS, vel alio simili, ut: *sola perseverantia coronatur,* quæ propositio resolvitur hoc modo: *perseverantia coronatur, & nulla alia virtus coronatur,* id est, nec *prudentia,* nec *fortitudo &c.* quarum propositionum semper una est *affirmans,* & altera *negans.*
Exceptiva. II. EXCEPTIVA, in qua aliquid *de toto* subjecto affirmatur, *excepto* aliquo inferiorum ejusdem subjecti, id quod indicatur per exceptionis particulam PRÆTER, aut NISI. e. g. *Nulla secta VV. Philosophorum; præter Platonicos, agnovit DEUM esse incorporeum,* sicque exponi debet: *omnes VV. Philosophi crediderunt, DEUM esse corporeum, & Platonici soli contrarium docuêre.* Item: *nemo læditur nisi a se ipso,* hoc est: *nemo læditur a quoquam, aut si læditur, a se solo læditur.*
Reduplicativa. III. REDUPLICATIVA implicite idem significat, quod *causalis* explicite (CXXIX. 3.) & indicatur particulis

QUA-

QUATENUS, IN QUANTUM, & similibus, ut: *homines*, QUATENUS *homines*, *sunt rationales. Reges*, IN QUANTUM *reges*, *soli DEO subsunt. Livius*, QUA *orator*, *identidem errat*, *non autem* QUA *historicus.* Exponunturque vel per propositionem *causalem* (n. c.) vel per *copulativam* (CXXIX.) quandoque tamen illæ particulæ *meram conditionem*, aut *non repugnantiam* indicant (LXXXIV.) IV. COMPARATIVA, in qua *comparatio* instituitur per particulas MAGIS, MINUS, PLUS &c. nempe aliud est dicere, hanc rem *talem* esse, aliud asserere, eam esse MAGIS, vel *minus talem* respectu *alterius.* e. g. *Meliora sunt vulnera amici*, *quam fraudulenta oscula inimici. Melior est sapientia, quam vires, & vir prudens, quam fortis.* Item: *melius est mori*, *quam fœdari. Melius est habitare cum dracone*, *quam cum muliere litigiosa. Melior est humilis rusticus*, *quam superbus philosophus &c.* quæ sic exponuntur: *Bona est humilitas*, *& bona est scientia*, *sed melior est humilitas*, *absque scientia philosophica*, *quam ista sine illa.* Item: *& malum est habitare cum dracone*, *& malum est habitare cum muliere rixosa*, Comparativa.

sed minus malum est habitare cum dracone, quam cum muliere &c.

Universalis. CXXXII. Ratione QUANTITATIS propositio I. est UNIVERSALIS, quæ a Wolfio dicitur illa, in qua subjectum est terminus *communis*, *genus* nempe, vel *species* (XLI. & XLV.) prædicatum autem convenit *singulis* speciei individuis, vel *singulis* generis speciebus, earumque individuis. Sive ut Cl. PURCHOTIUS inquit, est ea, cujus subjectum *universaliter* sumitur, hoc est secundum totam suam *extensionem* (XXXVII. 3.) vel denique ut alii RR. passim loquuntur, propositio *universalis* habetur tunc, *quando causa, cur prædicatum subjecto tribuitur, in ipsa subjecti natura, & indole reperienda est.* Ordinarie indicatur per *signa universalia*: OMNIS, NULLUS, sumiturque ejus subjectum semper *distributive complete* (XCIX. 4.) ut: *omne animal est sensitivum.* Hinc si dico: *omnis homo est doctus*, non est propositio *universalis*, licet præfixum habeat signum *universale*, quia *doctrina* homini non competit *ex natura sua*, neque *distributive complete* de eo prædicari potest. Econtra hæc propositio: *homo est mortalis*, licet careat signo *universali*, tamen

men est *universalis*, ex data ratione, diciturque in scholis alio nomine INDEFINITA. II. *Particularis* tunc est, *si causa, cur prædicatum conveniat subjecto, in alia quapiam re extra essentiam subjecti deprehendatur.* e. g. *Aliquis homo est Astrologus.* Vel: *quædam periodus constat* 4 *membris.* Non enim de *essentia hominis* est, esse *Astrologum*, nec de *essentia periodi*, ut habeat 4 membra. Huic præfigi solent particulæ: QUIDAM, ALIQUIS, QUIDAM NON &c. III. SINGULARIS est, in qua de aliquo *singulari*, seu *individuo* quidqam enunciatur. Ut *Alexander erat fortis. Christus est verus Messias.* Vel, *hic homo est doctus.* Cæterum ex *quantitate* propositionum, cum *affirmatione* & *negatione conjuncta*, quadruplex nascitur propositionum genus 1. *universalis affirmans*, quæ in scholis exprimitur littera A. 2. *Universalis negans*, quæ denotatur littera E. 3. *Particularis affirmans*, quam exhibet littera I. 4. *Particularis negans*, quam littera O. indicat, juxta antiquos hos versus:

Indefinita.

Particularis.

Singularis.

Asserit A, negat E. verum generaliter ambæ;
Asserit I, negat O. sed particulariter ambo.

Signa propositionum universaliũ, & parti-

culariū, tam affirmantiū, quam negantium, & modalium.

Huc reducuntur quoque propositiones *modales* (CXXVI. 3.) quarum *modi* finguli (n. c.) quadruplici huic propofitionum generi accurate æquivalent; nam I. τὸ NECESSE correfpondet propofitioni univerfali *affirmativæ*. 2. τὸ IMPOSSIBILE univerfali *negativæ*, 3. τὸ POSSIBILE particulari *affirmanti*, 4. τὸ POSSIBILE NON particulari *neganti*, ut rurfum oftendunt obfoleti hi verfus:

Omne NECESSE valet, valet IMPOSSIBILE *nullus*,
POSSIBILE *quidam*, *quidam non* POSSIBILE non.

E. g. *Neceffe eft, circulum effe rotundum*, facit hunc fenfum: *Omnis circulus eft rotundus*. 2. *Impoffibile eft, creaturam effe infinitam*, fic exponitur: *nulla creatura eft infinita*. 3. *Poffibile eft, hominem fieri doctum*, idem dicit, ac: *quidam homo fit doctus*. 4. *Poffibile eft, ut doctus non fit prudens*, in vero fenfu fic fonat: *quidem doctus non eft prudens*.

Vera.

CXXXII. Ratione QUALITATIS propofitio I. eft VERA, *quæ dicit quidpiam effe*,

esse, quod est, aut negat esse, quod non est. Sive, *cujus objectum ita est re ipsa, prout enuntiatur.* e. g. *DEUS est summum bonum. Papa non est Anti-Christus. Veritas nempe est conformitas actus judicativi cum objecto, ita se habente, ut actus enuntiat*, & duo dicit 1. talem *expressionem* ex parte ipsius *actus*, & 2. talem *habitudinem* ex parte *objecti*, ut scilicet *actus* sic exprimat *objectum, uti illud* se habet, & ut *objectum* tale sit, quale ab ipso actu exprimitur. Hinc duplex assignatur verificativum actus, *intrinsecum*, & *extrinsecum*. Veritas duplex.

II. FALSA est, *quæ dicit aliquid esse, quod non est, vel negat esse, quod est*, sive *cujus objectum non ita est re ipsa, prout enuntiatur,* e. g. *Ignis est frigidus.* Falsa.

CXXXIII. *Scholia.* I. Propositio alia est *necessario vera*, quæ ita est vera, ut falsa est *nullatenus* possit, ut: *totum est majus sua parte*, hæc dicitur etiam necessario vera METAPHYSICE: alia est necessario vera PHYSICE, quæ licet *absolute* loquendo, & *supernaturaliter* falsa esse possit, nunquam tamen fallit *naturaliter*, & secundum ordinarium naturæ cursum. e. g. *Omne grave ablato impedimento ruit* Necessario vera, metaphysice. Physice.

deor-

Moraliter. *deorsum.* Denique alia est MORALITER necessario vera, quæ fallere potest etiam *naturaliter*, quin aliqua in terminis sequatur *contradictio*, interim tamen plerumqua non fallit. Sic verum est v. g *Quod Romulus, & Remus prima Romæ fundamenta jecerint*; cum enim VV. Scriptores omnes hac de re mutuo sibi consentiant, de illa dubitare non possumus. II. Nulla propositio SIMUL *vera*, & *falsa* esse potest, *nam* alias objectum simul ita se haberet, & simul se ita non haberet, sicut actus enunciat, quod est contra illud principium: *idem non potest simul esse, & non esse*, quare propositio *pro* aliquo instanti reali, vel erit *vera*, vel *falsa*, an non autem *successive* propositio *vera* abire possit *in falsam &c.* *in* Log. *disputatrice* discutietur. III. Potest tamen eadem propositio in aliquo sensu esse *vera*, in alio *falsa*, si sumatur in suppositione *distributiva incompleta*, vel *accomoda* (XCIX. 4.) Ita hæc propositio: *omnis homo peccavit in Adam*, *vera* est, si de Adæ posteris, *falsa* autem, si de CHRISTO, ejusque VIRGINEA MATRE accipiatur. IV. Licet *veritas in se* sit *incapax* omnis *intensionis*, & *remissionis*, habeat-

beatque se velut *æqualitas duorum*, quæ non capit *magis*, aut *minus* (LVIII.) Attamen diverso modo a *vero* affici solet *intellectus humanus*, & ad diversissima *judicia* inflecti, ita ut huic veritati *magis*, illi *minus adhæreat*, & jam *confidenter*, jam *timide* subscribat; inde veritas alia in propositione appellatur *evidens*, alia *certa*, *probabilis*, aut *dubia*.

CXXXIV. I. Propositio EVIDENS, seu *evidenter vera* est, *quæ*, ut ait CL. P. FORT. a BRIX. *Ita vera nobis relucet, ut habitudo ipsa prædicati ad subjectum mentem vivide percellat, ac veluti feriat*, ut est hæc propositio: *necesse est, ut corrumpatur tandem, quod ex contrariis intrinsecus constat.* Si veritas in ejusmodi propositione *ex ipsis terminis* pateat, vocatur *evidens immediate*, & PER SE NOTA: Sin autem solummodo ex per se nota (manifeste tamen) *deductur*, dicitur *evidens* tantum *mediate*. II. Quando habitudo prædicati ad subjectum *luculenter* quidem non apparet, at nihilominus mens judicio suo inconcusse, *firmiter*que alicui propositioni *adhæret*, ita ut nihil prorsus falsi illi subesse arbitre-

Propositio evidens.

Per se nota.

Certa. Subjective, & objective.

bitretur, ea propositio CERTA vocatur, & quidem SUBJECTIVE CERTA, seu ex parte INTELLECTUS firmiter *adhærentis*, OBJECTIVE CERTA autem vocatur ea, cujus OBJECTUM, est immutabile, estque ipsa propositio *necessario vera* (n. præc. 1.) Porro sicuti propositio potest *triplici modo* esse *necessario vera* (n. c.) ita & *triplici modo* potest esse *subjective certa*.

Metaphysice,

I. *Metaphysice*, quæ ita vera esse menti apparet, ut *prorsus repugnare* videatur, in ea admittenda, nos falli. Sic certum est, quidquid DEO revelante cognoscimus, etsi de cætero illud minime sit *evidens*, imo potius *obscurum*, prout in fide contingit.

Physice,

II. *Physice*, quæ ita apparet vera, ut *salvis naturæ legibus* falsa esse non possit; sic certi sumus de *combustione stuppæ*, posita illius approximatione ad ignem.

Et moraliter.

3. *Moraliter*, quæ, etsi *possit* esse falsa, *intellectui* tamen prudenti non apparet, quod fallere possit. e. g. Quod *Romulus, & Remus sint primi ædificatores urbis Romanæ.*

Probabilis.

III. Propositio PROBABILIS est, *cui intellectus adhæret, motivo incerto quidem, gravi tamen, & quod de se* potest virum prudentem movere ad assensum, habetque probabilitas

suos

suos gradus, ut alibi dicetur. IV. Dubia est, quæ neque vera menti apparet, neque falsa, si tam *pro ea*, quam *contra* eam stant motiva *æque valida*, dicitur *dubia* Positive, si vero pro ea *nulla* stet ratio, neque etiam contra illam aliqua ratio pugnet, Negative *dubia* appellatur. v. g. *An stellæ sint pares?* vel *an luna sit pleno lumine creata?* Positive. Negative.

SECTIO III.

EXPLICANTUR ALIÆ ADHUC PROPOSITIONES, MATHEMATICIS, ET CRITICIS USITATÆ.

CXXXV. Mathematici suas propositiones dividunt I. in Theoreticas, in quibus de subjecto vel *affirmatur*, vel *negatur* prædicatum. e. g *Logica est scientia*, *DEus est æternus &c.* II. In Practicas, in quibus aliquid *fieri* posse, vel debere demonstratur, ut, *qui Logicam vult addiscere, debet actus scientificos sibi familiares reddere.* Vel: *DEUS est amandus.* III. In Demonstrabiles, quando subjecti, & prædicati *nexus* per se Propositio theoretica. Practica. Demonstrabilis.

non

non patet, sed probari, seu *demonstrari* debet, ut *Logica est practica, non datur idea falsa &c.* IV. In INDEMONSTRABILES, ubi prædicatorum nexus sine ulla demonstratione cuivis patet, ut: *totum est majus sua parte.* Ex his fluunt omnia diversarum propositionum nomina, queis in suis libris passim uti solent Mathematici. Nempe

Indemõ-strabilis.

Axioma.

CXXXVI. I. AXIOMA est propositio *Theoretica* (CXXXV. 1.) *indemonstrabilis* (n. c. 4.) ut: *idem non potest simul esse, & non esse.* Hucque pertinent omnes propositiones, quæ *unica* nituntur *definitione.* v. g. Ex hac definitione: *Philosophia est scientia rationis sufficientis.* (IV.) Ista proveniunt axiomata. 1. *Qui Philosophia gaudet, gaudet scientia rationis sufficientis.* 2. *Sine scientia rationis sufficientis nulla potest esse Philosophia.* 3. *Quo quis expeditius rationem reddere potest eorum, quæ sunt, vel esse possunt, eo perfectior Philosophus est. &c.* II. POSTULATUM est propositio *practica* (CXXXV. 2.) *indemonstrabilis* (n. c. 4.) Ex *unica* definitione deducta. e. g. Ex eadem definitione *Philosophiæ* fluunt hæc postulata. 1. *Qui*

Postulatum.

Philosophus evadere cupit, *debet id agere*, *ut scientiam rationis sufficientis impigre addiscat.* 3. *Qui alteri Philosophiam tradere vult*, *debet illum in scientia rationis sufficientis gnaviter instruere.* &c. III. THEOREMA (græce θεώρημα) est propositio *Theoretica* (CXXXV. 1.) *demonstrabilis* (n. c. 3.) & *ex duabus*, vel *pluribus definitionibus*, inter se collatis, eruitur; ita hæ propositiones: *Philosophus debet nosse id*, *unde intelligatur*, *cur aliquid sit.* Item: *Philosophus debet certo cognoscere*, *ac demonstrare posse ea*, *quæ in rerum natura sunt*, *fiunt*, *aut esse possunt* &c probantur ex definitione *rationis sufficientis*, & *scientiæ*. IV. PROBLEMA (græce πρόβλημα) est propositio *practica* (CXXXV. 2.) *demonstrabilis* (n. c. 3.) seu quæ *docet* aliquid *facere*, probatque structuram recte esse factam. e. g. Si quæratur, *qua methodo sit philosophiæ studendum?* & *solutio* dein fiat, *esse* HOC, *aut* ILLO MODO, studendum. V. COROLLARIA, sive *consectaria*, dicuntur illæ propositiones, quæ ex aliis necessario inferuntur. e. g. *Philosophia omnium rerum naturalium rationem sufficientem scire debet:* ergo etiam *caloris*, *frigoris*, *lu-*

Theorema.

Problema.

Scholia. *minis*, *fulminis*, *Iridis* &c. VI. SCHOLIA (græce τὰ σχόλια) vocantur *animadversiones* illæ, sive *explicationes*, quæ propositionibus adjungi solent, ad illustranda ea, quæ adhuc *obscura* videri poterant. e. g. Si de *Philosophiæ definitione*, ac *divisione* dictum fuerit, possunt nonnullæ subnecti animadversiones, *originem* hujus vocis, aut diversas philosophorum *sectas* exponentes. VII. LEMMA (græce Λέμμα) est propositio, ex *aliena* disciplina, aut facultate desumpta, ad demonstrandam aliquam propositionem, in facultate, quam tractamus, applicata. e. g. Ad demonstrandam *animæ immortalitatem*, ex *Theologia naturali*, in *Psychologia* supponitur, *DEum esse remuneratorem bonorum*. Ejusmodi propositio mutuata, in quantum est prævia demonstratio, ad facilius aut brevius demonstrandum illustre aliquod *Theorema* vel *problema*, præmissa, vocari quoque solet PORISMA (græce τὸ πόρισμα) VIII. HYPOTHESIS (græce ὑπόθεσις) a Wolfio dicitur illa propositio, *in qua aliquid asseritur, tanquam revera sit, quamvis nondum demonstrari queat, attamen ad ra-*

Lemma.

Porisma.

Hypothesis.

rationem reddendam alicujus rei, *Philosophis æque ac Mathematicis inservit.* Sic v. g. ab omnibus assumitur, *quod centrum gravium sit in medio terræ*: indeque explicatur *gravitatio* corporum, sive eorum tendentia ad superficiem terræ. Famosa quoque est HYPOTHESIS COPERNICANA in Astrologia, quæ, posito terræ motu, solisque statione, *systema universi* explicare nititur.

CXXXVII CRITICIS *usitatæ* vocari solent propositiones illæ, queis designare solent Theologi doctrinam, quam ut *nocivam* notat, & reprobat Ecclesia, quæque diversa esse potest, pro diverso cum fide oppositionis gradu. Propositiones ejusmodi accurate explicat Cl. P. GAUTIER *in prodromo ad Theologiam*, *Dissert. II. C. II.* nec non Cl. P. ANNATUS *in apparatu ad Theologiam positivam. Lib I. Art. V.* Ex quibus scitu magis necessaria hic appono.

HÆRETICA propositio dicitur illa, quæ *formaliter*, *directe*, & *aperte* Catholico cuidam dogmati, seu doctrinæ a DEO revelatæ, & per Ecclesiam definitæ adversatur. Talis v. g. Erat illa Arii: *Christus DEI Filius non est Pa-* Propositio hæretica.

tri consubstantialis. Ut autem ejusmodi propositionem docens sit *hæreticus*, requiritur, ut *sciat*, eam fidei adversari, simulque ipsam *corde* & *ore* pertinaciter teneat.

Erronea, aut hæresi proxima.

ERRONEA, & HÆRESI PROXIMA dicitur ea, quæ contraria est doctrinæ, juxta unanimem SS. Patrum, vel Ecclesiæ Doctorum sensum, revelatæ, sed nondum per Ecclesiam definitæ, seu quæ opponitur doctrinæ, quæ, licet non sit per Ecclesiam definita, nec formaliter, & expresse revelata, infertur tamen communiter a Theologis, per discursum ex revelatis, unde & CONCLUSIO THEOLOGICA dicitur; sicque est *virtualiter* revelata, & *proxime* accedens ad fidem, quia *proximum* est, ut per Ecclesiam definiatur. Talis propositio est ista: *Christus non est risibilis;* deducitur enim virtualiter ex illa revelata: *Christus est homo: atqui omnis homo est risibilis: ergo.* Huc etiam pertinet ejusmodi propositio, quæ in sensu *proprio* hæretica est, & solum in sensu *improprio*, seu *metaphorico*, vera est, atque Catholica, uti illa: *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus, quotidie peccavit,*

vit, damnata enim hæc fuit tanquam *erronea* in Conc. Basileensi *Sess. XXII.* licet auctor eam intellexerit in sensu *metaphorico*, de *membris Christi* seu *fidelibus*.

Sapiens hæresin, aut errorem.

Sapiens hæresin, aut errorem illa est, quæ licet in *aliquo* sensu tolerari possit, tamen ex *circumstantia personæ*, *loci*, vel *temporis*, adjunctam habet gravem aliquam *suspicionem*, *apparentiam*, vel *saporem hæresis*, aut *erroris*; sic *hæresin* sapit ista ab Ariano prolata: *Christus est creatura*, quia gravis est *suspicio*, ne intelligatur de Christi *supposito*, in ore tamen Catholici, Catholica est, quia solum de *humana* Christi *natura* intelligitur. *Errorem* quoque saperet aliqua propositio, qua asserta videretur ista erronea affirmari: *Christus non est risibilis.*

Schismatica.

Schismatica dicitur propositio, quæ fideles retrahit ab unitate Ecclesiæ, & ab obedientia, Ecclesiasticis Superioribus debita; σχίσμα enim græce, latine idem sonat, ac *divisio* aut *dissidium*. Talis fuit Henrici VIII. Angliæ Regis, infausta & fatalis declaratio illa, qua se tanquam *Anglicanæ*

Ecclesiæ caput agnosci jussit; hæc enim, ut loquitur Cl. P. ANNATUS, *loc. cit.* fuit prima mali labes, & diri schismatis origo, in quo, & ex quo in hæresin lapsos, obstinatos, adhuc extra veram Ecclesiam errare cernimus *Anglos*, *Hibernos*, & iis adhærentes alios.

Injuriosa. INJURIOSA vocatur illa, quæ personam aliquam, vel statum, contumelia afficit, e. g Si quis dictis, seu scriptis, *fratres Minores Conventuales*, *juxta* CONSTITUTIONES URBANAS *viventes*, *non esse* VEROS REGULÆ S. FRANCISCI OBSERVATORES, auderet quoquo modo asserere, ille *injuriosam* enuntiaret propositionem, & Apostolicæ quoque Sedis *excommunicationem*, ab Urbano VIII. P. M. latam, propterea incurreret. Ita URBANUS VIII. Constituit. 88. MILITANTIS ECCLESIÆ REGIMINI, MERITIS LICET &c. *in C.* 1. *Reg. tit.* 2. *n.* 2. APUD CHERUBINUM. Si quis *injuriam* facit DEO, vel DEIPARÆ, aut SANCTIS, illis nimirum denegando debitas perfectiones, vel indebitos defectus tribuendo, IMPIA dicitur, & BLASPHEMA propositio. Sic si quis videns bonos ma-

Impia, & Blasphema.

malis opprimi, & malos bonis affluere omnibus, *DEum injustum vocaret, Blasphemus* esset. Pariter juxta Conc. Trid. *sess.* 25. *Illi impie sentiunt, qui Sanctos, in cœlo cum Christo regnantes, invocandos esse negant.*

SCANDALOSA censetur propositio, quæ fidelibus occasionem præbet ruinæ spiritualis, illos scilicet a virtutibus, bonisque operibus retrahendo, atque ad vitia deducendo, ut si quis data opera diceret, *plura sequi incommoda ex jejuniis Ecclesiasticis, ex votis, ex confessione Sacramentali &c.* Unde homines redderentur segniores ad *jejunandum*, ad *vovendum*, & *confitendum &c.* Scandalosa.

PIARUM AURIUM OFFENSIVA ea est, quæ licet nihil *falsi* contineat, *verbis* tamen *minus decentibus* constat, ut si quis actiones humanas Christi, cæteris communes hominibus, vel ejus membra, turpibus & obscœnis explicaret vocibus; vel si quis v. g. diceret: *Magdalena meretrix! Petre perjure! Orate pro me!* ejusmodi enim propositiones pias aures offendunt, & timoratas lædunt conscientias. Piarum aurium offensiva.

Male fonans. MALE SONANS vocatur illa, quæ *fenfum* habet fidei congruum, verba autem incongrua, vel, ut alii explicant, quæ duos habet fenfus, unum fidei congruum, alterum cum fide pugnantem, & fæpe fumitur ab audientibus *in malam partem*, talis eft ifta propofitio: *in divinis pater eft caufa Filii.* Quia fenfum habet fidei *congruum*, fi CAUSA *late* fumatur pro PRINCIPIO, a quo aliquid procedit, quomodocunque procedat; *incongruum* vero, fi caufa *ftricte* fumatur pro eo, de cujus ratione eft, ut producat *aliud* a fe diverfum. Apud GRÆCOS tamen hæc propofitio non male fonat, quia Græci nomine CAUSÆ intelligunt idem, quod Latini nomine PRINCIPII, ut ait S. Thomas *Opufc.* I. *contra Græcorum errores C.* I. Sic pariter apud Latinos, fi quis diceret, *quod Pater, Filius, & Spiritus S. fint tres fubftantiæ*, hæc propofitio effet *male fonans*, quæ tamen apud Græcos eft *Catholica*, quia apud iftos idem fonat, ac *tres perfonæ*. Ita cit. S. THOM.

Simplicium feductiva. PROPOSITIO SIMPLICIUM SEDUCTIVA eft, quæ fub fpecie pieta-

tatis, bonique prætextu, errorem tegens, apta est ad simplices fidelium mentes seducendas, qualis fuit celebris illa, qua Ariani in Concilio Ariminensi, Catholicos induxerunt ad subscribendum suæ fidei formulæ, sub prætextu futuræ pacis Ecclesiæ, dixeruntque Filium DEI esse Patri ὁμοιέσιον, id est *similem in substantia*, & non *creaturam similem aliis*; putarunt statim bona fide Catholici, Arianos fateri tandem, Filium DEI esse Patri ὁμοέσιον, hoc est, *Consubstantialem*; Ariani vero sub illa voce ὁμοιέσιον, suam tegentes hæresin, filium non *consubstantialem*, sed *similem in substantia*, & vere *creaturam* esse, sed non *aliis similem* creaturis, intelligebant, quo Arianorum offendiculo seducti sunt orthodoxi Ariminensis Concilii Patres, & cum illis deceptus *totus Orbis*, *se Arianum esse miratus est*; ast cognita quamprimum fraude, Catholici Patres voci illi æquivocæ ὁμοιέσιον, opposuêre hanc orthodoxam ὁμοέσιον, *Consubstantialis.* Hujus generis plures damnatæ sunt propositiones MIGHAELIS de MOLINOS, & ejus asseclarum,

rum, QUIETISTARUM, DULCINISTARUM &c. Plura Theologi.

Id adhuc notandum, quod *una* sæpe eademque propositio *multiplici* censura notari queat, prout nempe diverso ac multiplici oppositionis modo *fidei* est nociva. Sic enim si quis fidelis diceret hodie, quod olim de Christo Pharisæi dicebant: *Matth.* 12. *v.* 24. *Hic non ejicit Dæmones nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum*, hæc propositio foret simul *falsa*, *scandalosa*, *Schismatica*, *impia*, *blasphema*, & *hæretica*, ut examinanti patet.

SECTIO IV.

DE HERMENIA, SEU INTERPRETATIONE PROPOSITIONUM.

Quid spectet ad Hermeniam propositionum?

CXXXVIII. VOX ἑρμηνεία, latine INTERPRETATIO seu EXPLICATIO, nil aliud est, quam accurata *inquisitio*, *distinctio*, & *judicatio sensus*, per unamquamque propositionem expressi, ideoque tria ad *hermeniam* requiruntur. 1. Ut *inquira-*

ratur, ac bene apprehendatur, quem sensum quælibet propositio faciat? 2. Ut sensus unus ab alio rite *distinguatur*. 3. Ut exacte *dijudicetur*, quo sensu vera, & quo sensu falsa sit propositio? in quem finem præprimis *subjectum*, & *prædicatum* propositionis inquirendum, tum utriusque *significatio* expendenda, ac denique *particulæ* determinantes, aut limitantes diligenter perscrutandæ. De propositionum ergo *sensu* tum ex iis, quæ de *terminis* (*dissert. I. Sect. VII.*) horumqne *proprietatibus* (*Sect. VIII.*) supra dicta sunt, tum ex sequentibus *Regulis Hermenevticis* judicandum, tum etiam ex iis, quæ (*Sect. duabus subsequentibus*) *de oppositione*, & *conversione* propositionum dicentur, tum denique ex *Logica Practica* vel maxime patebit.

Regulæ pro propositionibus simplicibus. In Materia necessaria.

CXXXIX. Regulæ Hermenevticæ *propositionum* CATEGORICARUM, seu *Simplicium* (CXXVIII. 3.) sunt sequentes. I. Propositio *affirmativa* in materia NECESSARIA semper *vera* est, & *negativa* semper *falsa*; hæc enim negat, altera affirmat identitatem prædicati cum subjecto, quæ *necessario*, ac *essentialiter* datur (CXXV.)

In

In materia necessaria, ac supponit semper distributive (CI.) vel *complete* (XCIX. 4.) ut est hæc propositio: *homo est mortalis*, quæ non requirit *existentiam subjecti*, pro tempore per copulam importato, sed sic exponitur: quandocunque *fuit*, *est*, *aut erit homo*, *semper fuit*, *est*, *&* *erit mortalis* (CXXIII. 3.) vel saltem *incomplete* (XCIX. 4.) ut si in Scriptura dicitur: *omnis caro corruperat viam suam. Omnes declinaverunt*, *&c.* quæ exponi debent in sensu *accommodo* (n. c.) hoc modo: *quicunque tunc exstitit, corrupit viam suam*, quia hæc non est proprie in materia *necessaria*, cum non sit *universalis*, etsi præfixum habeat signum *universale* (CXXXI.) II. In materia IMPOSSIBILI, propositio *affirmativa* *falsa* est, *negativa* autem *vera*, eoquod hæc neget *identitatem* attributi cum subjecto, altera eandem affirmet, quæ in materia *impossibili* nunquam datur. Sic *falsa* est hæc: *Leo est rationalis. Vera* autem: *Leo non est rationalis.* III. In materia CONTINGENTI, tum *affirmativa* tum *negativa* *falsa* esse potest, cum ipsa *convenientia* inter subjectum & prædicatum *contingens* sit. e. g. *Petrus est doctus. Petrus non est doctus*, nec tamen utraque propositio falsa esse po-

Impossibili,

Contingenti,

test

test *simul* & *semel*, *seu conjunctim* (CXXXIII. 2.) sed *divisim*, id est *alterutra*, nec una magis, quam altera. IV. Ad *veritatem* propositionis *affirmativæ* in materia *contingente* requiritur 1. *identitas* inter rectum attributi, & subjecti. 2. *Existentia* absoluta pro tempore per copulam importato (CXXIII 3.) 3. item obliquorum *unio*, eo modo & tempore, quo affirmantur; talis namque propositio hæc omnia affirmat: ergo *vera* est, si ita sint, aut *falsa*, si vel *unum* ex his requisitis deest. v. g. Si dico: *Plato fuit doctus.* Habet hunc sensum: *Plato exstitit, & fuit ens, sive suppositum habens doctrinam.* Hic 1. *Plato*, & *ens*, sive *subjectum*, tanquam duo *recti*, identificantur. 2. Affirmatur *existentia Platonis*, & ejus *doctrinæ*, pro tempore *præterito*, quod per copulam (FUIT) importatur. 3. Casus obliquus (DOCTRINAM) hoc est, *Platonis doctrina*, unitur cum ipso, *modo contingenti*, & pro *tempore* jam *elapso*, adeoque ista propositio *vera est*: at hæc est *falsa*: *Anti-Christus persequitur Ecclesiam*, quia deest ejus *existentia*, quæ tamen affirmatur. V. Ad *veritatem* propositionis *negativæ* in materia *necessaria*, & *impossibili*, de 3tio adjacente

In propositione affirmativa.

Negativa.

te (CXXIII. 2.) non requiritur absoluta *existentia* (n. c. 3.) aut distinctio *actualis* subjecti & prædicati, sed sufficit eorum repugnantia *objectiva*, sicut & distinctio necessaria sub *conditione*, hoc est, ita, ut *si* existant subjectum & prædicatum, non identificentur. Et ratio est, quia talis propositio istud expresse enuntiat: *fundamentum* autem negandi identitatem v. g. inter *hominem*, & *arborem* est ipsa *distinctio* hominis ab arbore, posito, quod existant.

Limitatio.

CXL. *Scholion.* Regula IV. locum non habet 1. in iis propositionibus, in quibus, prædicatum est solum per *intellectum contingens.* e. g. *Anti-Christus a me cognoscitur.* Nam denominationes ejusmodi *intentionales* existentiam nonnisi *objectivam* & *intentionalem* exigunt. 2. In iis, ubi prædicatum est *negativum*, seu *destructivum subjecti*, vel cum ejus existentia actuali componi nequit: uti fit in seqq. *Alexander est mortuus*, *vita ejus per ebrietatem destructa est*, *Anti-Christus est futurus &c.* 3. Si propositio sumitur *ampliative* (XCIII.) ut si dico: *mortui resurgunt. Claudi ambulant*, &c. quippe

pe hic solum requiritur *existentia* subjecti, *pro tempore*, ad quod *ampliatur.*

Regulæ explicite composi-tarum.

CXLI. Regulæ propositionum EXPLICITE COMPOSITARUM (CXXVIII. 4. & seq.) sunt I. Ut propositio COPULATIVA. (CXXIX.) sit *vera*, aut *necessaria*, requiritur, ut *singulæ* ejus partes sint veræ, aut necessariæ, nam sicut hæc propositio universalis: *animal est sensitivum*, falsa esset, si vel *unum* ex animalibus non haberet *potentiam sentiendi*, quia illa propositio æquivalet pluribus Judiciis inter se copulatis, atque in *universali* propositione (quæ semper *distributive complete* accipitur (CXXXI.) inclusis, ita & *copulativa* (quæ conjungit, & continet plures propositiones *simplices*) requirit, quamcunque in ipsa contentam propositionem esse *veram*, aut *necessariam*: inde cum hæc propositio, *Joan.* 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*, ex parte *subjecti* enuntiet *copulative*, ut vera sit, requiritur, ut subjectum ex *utraque* parte ita se habeat; quare si vel una propositio simplex *impossibilis*, aut *contingens* fuerit, *tota* copulativa talis erit. e. g. *Petrus est rationa-*

Pro Propositione copulativa.

lis,

lis, & *Leo.* Item *Leo est rugibilis*, & *currit.* Sin autem duæ *contingentes*, in copulativa comprehensæ, inter se *pugnarent*, tota pariter copulativa propositio diceretur *impossibilis*, ut si quis diceret: *Petrus currit*, & *in lecto jacet immotus.* Hac regula etiam diriguntur propositiones *implicite copulativæ* e. g. Illa Apostoli Pauli 1. *Cor.* 15. ℣. 10. *Laboravit gratia DEI mecum*, quæ sic accipi debet, *ego laboravi*, & *gratia DEI mecum*, adeoque & *vera* in homine laborandi *potentia activa*, quam CALVINUS negavit, & *gratiæ* simul divinæ necessaria *cooperatio*, quam Pelagiani negabant, ab Apostolo adstruitur. Cæterum hic

NON DICANT Protestantes, quod etiam illa propositio *Joan. 6.* ℣. 53. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, & *biberitis ejus sanguinem*, *non habebitis vitam in vobis*, sit *copulativa*, & consequenter sumptio Dominici corporis *sub utraque specie* sit præcepta; æque ac ad veram DEI *dilectionem* necesse est, & *habere*, & *servare ejus mandata;* Nam

CONTRA EST 1. Patet ex variis Scriptu-

pturæ locis, τὸ ET interdum ſumi in ſenſu *disjunctivo*, non *copulativo*. Ita *Levit. XX. v. IX.* habetur: *qui maledixerit patri ſuo* AUT *matri; morte moriatur; Patri matriQUE qui maledixerit, ſanguis ejus ſit ſuper eum.* Hic ſenſus poſterior per τὸ QUE aperte idem enuntiat, quod in præcedenti per τὸ AUT indicatum fuit, nempe *disjunctive:* Sic & ipſe Apoſtolus 1. *Cor. XI. v. XXVII.* clariſſime in ſenſu disjunctivo ait: *Quicunque manducaverit panem hunc* VEL *biberit calicem Domini indigne &c.*

CONTRA EST 2*do*. τὸ NISI MANDUCAVERITIS &c. idem ſignificat ac: SI NON *manducaveritis carnem filii hominis*, NEQUE (vel SI NON) *biberitis ejus ſanguinem*, hoc eſt, ſi NEUTRUM feceritis, *non habebitis vitam in vobis*, ut ſonat etiam *Pſ. I. v. I.* illique propoſitioni *Joan. VI. v. LIII.* expreſſæ, opponenda eſt hæc contradictoria: *ſi vel manducaveritis, vel biberitis, habebitis vitam* in vobis: igitur *unum* ex utroque *disjunctive* expoſito tantum eſt præceptum, nam ad propoſitionis *disjunctivæ* veritatem ſufficit, *unum* ſaltem disjunctionis membrum ita ſe habere (CXLII.) quid quod ille idem Apoſtolus & Evangeliſta JOANNES eodem

N capi-

capite 6to manifeste referat, hanc nostram explicationem, ore Christi æternæ Veritatis, esse factam; nam *v. LIV.* SALVATOR dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* at *v. LVIII.* immediate subjunxit: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, absque ulla prorsus mentione *calicis*, aut *sanguinis*, cujus tamen, si utrumque *omnibus* sine discrimine præcepisset, iterum meminisse debuisset. Sic pariter cit. Cap. vv. L. & LI. de sola PANIS manducatione mentio fit.

Pro disjunctiva. CXLII. REG. II. In propositione DISJUNCTIVA (CXXIX.) si particula VEL *exclusive* accipiatur (CXXX.) hoc est, si particulam TANTUM tacite adjunctam habeat, non nisi *unum* illius membrum verum esse potest. v. g. *Anti-Christus vel salvabitur, vel damnabitur.* Si vero particula VEL accipiatur *præcisive*, hoc est, si tacite subintelligatur particula SALTEM, potest illa propositio vel in *uno*, vel in *pluribus* etiam membris verificari, pro ratione *materiæ*, ac *circumstantiarum*, ut in hac propositione: *Vel Petrus Christum negavit, vel Andreas, vel Judas*, in *ultimo* tantum verificatur. At si dico:

co: *vel Titius domi studet, vel Sempronius, vel Cajus, vel Franciscus*, potest hoc in *pluribus* verificari. Cavendum tamen, ne in ejusmodi propositionibus detur aliquod membrum *intermedium*, ex quo fieri posset, *nullam* partem veram esse; hinc falsa est hæc: *Andreas studet Philosophiæ, vel Geometriæ*, quia potest *Theologiæ*, aut *Poësi* studere.

CXLIII. Reg. III. Veritas propositionis *conditionalis* dependet ex *connexione* antecedentis cum consequente (CXXIX. 4.) sive partes illæ *seorsim* spectatæ veræ sint, sive falsæ; si enim illa *connexio* inter Antecedens, & consequens *legitima* sit, propositio erit *vera*; si non, erit *falsa*, & *ratio* est, quia propositio conditionalis solummodo affirmat *connexionem* conditionis cum conditionato; sic *vera* est hæc: *si vis consequi finem, debes adhibere media*, quia datur *connexio* inter *finem* & *media*: econtra *falsa* est ista: *si vis doctus fieri, debes te vestibus ornare*, nulla enim inter *doctrinam*, & *vestes connexio* intercedit. **Pro conditionali.**

CXLIV. Reg. IV. Ut propositio Causalis vera sit, oportet, ut non tantum *utraque pars* (*antecedens* & **Pro causali.**

consequens) vera sit, sed etiam, ut *pars*, *causali* particula affecta, sit *ratio*, cur altera pars vera sit? nam se habet eodem modo sicut *conditionalis*, cum æque affirmet *connexionem* causæ cum effectu, sicut illa *connexionem* conditionis cum conditionato (CXLIII.) Ideo vera est hæc enuntiatio: *Impii damnantur*, *quia DEI mandata non servant*; falsa autem hæc: *Aristoteles erat bonus Philosophus*, *quia frequenter ambulabat.*

Pro modalibus. CXLV. Reg. V. In propositionibus *Modalibus* (CXXVI. 3.) potior habenda est ratio *modi*, quam *dicti* (n. c. 5.) *modus* enim determinat *quantitatem*, & *qualitatem* (CXXIV.) ejusmodi propositionum: unde hæc propositio; *possibile est*, *me cras mori*, vera est, etsi non essem moriturus, sequens vero: *hominem esse mortalem contingens est*, falsa est, etsi revera homo sit *mortalis.* Pariformiter loquendum de illis propositionibus, quæ exprimunt *certitudinem*, *evidentiam*, aut *probabilitatem* e. g. *certum est*, *solem esse terra majorem* &c. Revocantur enim ad *modales*, ut ex terminis liquet.

CXLVI. Præter supra recensitas propositiones *explicite compositas* (CXXIX.) referuntur adhuc duæ aliæ, non adeo magni momenti, nempe 1. *Discretiva* sive *discreta*, cujus partes per particulas *sed*, *verum*, *tamen &c.* conjunguntur. e. g. *Innocentia premi, sed non opprimi potest.* 2. *Relativa* aut *relata*; cujus una pars ad alteram ordinatur. e. g. *Qualem diligentiam adhibueris, talem fructum referes.* Pro his igitur statuitur

Pro propositione Discretiva,

Et Relativa.

Reg. VI. Veritas propositionis discretivæ dependet tum a veritate singularum partium, tum etiam a veritate adhibitæ discretionis: veritas autem propositionis *relativæ* a veritate relationis, sive respectus unius ad aliud.

CXLVII. Regulæ propositionum *implicite compositarum*, seu Exponibilium, (CXXVIII. 4.) *Generales* sunt duæ, 1. Omnis propositio exponibilis *affirmativa* æquivalet *copulativæ* (CXXIX.) e. g. 1. Hæc *exclusiva* (CXXX.) *Nobilitas sola est, atque unica virtus*, ita exponenda est: *Virtus est nobilitas, & nibil aliud quam*

Regulæ generales pro exponibilibus, seu implicite compositis.

virtus est nobilitas. 2. Hæc *exceptiva* (n. c.) *Omnis homo in Adam peccavit præter B. Virginem*, ita sonat: *omnis homo in Adam peccavit, & B. Virgo in eo non peccavit.* 3. Hæc *reduplicativa* (n. c.) *Petrus qua Logicus disputat*, facit hunc sensum: *Petrus disputat, & ratio disputandi est habitus Logicæ &c.* II. Omnis exponibilis *negativa* æquivalet *disjunctivæ* (CXXIX. 2.) e. g. *non solus Plato est sapiens*, sic resolvitur: *Vel Plato non est sapiens, vel etiam alius quis est sapiens.* Item: *Nullus est miser, præter peccatorem*: sic exponitur: *vel peccator est miser, vel nullus alius est miser &c.*

Doctrina Protestãtium, ne-dũ fidei, sed & Logicæ contraria.

CXLVIII. *Corollaria.* I. Quoniam propositio *exclusivâ* æquivalet *copulativæ* (CXLVII.) hinc ille textus Pauli *Rom. III. v. XXVIII. Arbitramur hominem justificari per fidem*, cui LUTHERUS addidit, SOLAM, sic juxta Logicam esset exponenda à Protestantibus; *Fides justificat, & nihil aliud, a fide distinctum, justificat*, at hoc falsum est, cum sic *bona opera* essent prorsus inutilia, nec requireretur ulla *pœnitentia*, aut *præceptorum divinorum observatio*, imo ne quidem *Baptismus*, quæ sunt seque-

læ, ipsi Evangelio contrariæ. II. Licet in S. Scriptura passim dicatur: *Soli DEO servies, soli DEO honor & gloria &c.* male tamen exinde deducere laborant Heterodoxi, cultum, servitium, & honorem, qui *Sanctis* exhibetur, esse prohibitum; nam etiam sequeretur. 1. (Contra præceptum IV. Decalogi) sic etiam *parentibus*, *Principibus*, & *Magistratui* cultum & servitia deneganda esse, eoquod allatæ propositiones *contra* OMNES *præter DEUM* EXCLUSIVE enuntient. 2. Etiam *Job. XIV. v. IV.* dicitur, *Tu, qui solus es*, nec tamen adversarii concedere possunt, nullum ens aliud præter DEUM esse, aut existere. Sicut & ex eo *Luc. XVIII. v. XIX. Nemo bonus nisi solus DEUS*, non sequitur fallere oraculum divinum, cum de creaturis, *Gen. I.* sæpius inquit: *Viditque DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; Sed nempe sicut *sub alia ratione* existit *DEUS*, & sub multo *imperfectiore* existunt alia *entia creata*, & sicut sub *alia* ratione DEUS dicitur *bonus*, & sub *alia* iterum *creaturæ*; sic etiam *alius* honor & cultus DEO a nobis, alius, scilicet longe inferior SANCTIS, *alius* item PARENTIBUS, ac SUPERIORIBUS

exhibetur. Unde III. Ut propositio ad prædictas leges *perfecte exclusiva* sit, requiritur, ut *sub eadem ratione*, qua de uno solo affirmatur prædicatum, de aliis, quæ excluduntur, *invariate* negetur.

Regulæ particulares, Pro propositione exceptiva.

CXLIX. Regulæ *particulares* pro propositionibus IMPLICITE COMPOSITIS. *I.* In propositione EXCEPTIVA (CXXX. 2.) subjectum, a quo fit exceptio, sit *universale*, contineatque id, quod a participatione prædicati excipitur. Sic *falsa* est hæc propositio *exceptiva*: *Omne animal fuit in Arca Noë, præter Bucephalum*, quia subjectum tantum supponit distributive incomplete. (XCIX. 4.) Sicut & hæc falsa est: *Omnis homo, præter Bucephalum, est rationalis, quia* Bucephalus non continetur sub termino, a quo fit exceptio.

Pro Exclusiva,

II. In propositione EXCLUSIVA, si illæ particulæ SOLUS, TANTUM &c. se teneant ex parte *prædicati*, tunc de subjecto negantur omnia alia prædicata *ejusdem generis*, non vero *diversi generis*. e. g. Si dico. *Petrus est tantum Musicus*, sensum facit: *Petrus callet*

ar-

artem musicam, *& nullam aliam artem callet*, interim tamen potest esse *pius*, *prudens*, *bonus civis &c.* Propositio porro *exclusiva* semper resolvitur in duas propositiones præcipuas, unam *affirmantem*, alteram *negantem*, ut ex dictis liquet.

III. Ad veritatem propositionis COMPARATIVÆ (CXXX. 4.) in rigore logico requiritur, ut utrique extremo comparato illud prædicatum, in quo ambo comparantur, conveniat, aut saltem hujus oppositum. Hic autem rigor Logicus in S. Scriptura quoad comparationes faciendas non semper attenditur (n. c.) e. g. *Melior est patiens arrogante. Eccles. VII. v. IX.* Nam in hac propositione prædicatum τὸ MELIOR non convenit *arroganti*, ne simpliciter quidem, quia verum non est: *arrogans bonus est*, *& eo melior patiens.* Nec etiam prædicatum oppositum, scilicet τὸ MALUS, aut MINUS MALUS, utrique competit, quia iterum falsum est: *uterque malus*, *sed patiens minus malus.* Pro Comparativa.

SECTIO V.

DE QUIBUSDAM PROPRIETATIBUS, SEU AFFECTIONIBUS PROPOSITIONUM, ET PRIMO QUIDEM DE EARUNDEM OPPOSITIONE.

Proprietates propositionũ. CL. PROPRIETATES enuntiationis vel sunt *simplices* vel *compositæ*. 1*mi* generis sunt illæ, quæ *uni* Enuntiationi seu propositioni *seorsim* sumptæ conveniunt, suntque ejus *quantitas*, & *qualitas*, de quibus supra (CXXIV.) 2*di* autem generis sunt eæ, quæ non *uni* soli enuntiationi, sed *pluribus* simul sumptis, & inter se collatis propositionibus competunt, tales sunt *oppositio*, *æquipollentia*, & *conversio*, de quibus in hac & sequenti *Sectione* agendum. Igitur

Oppositio quadruplex. CLI. OPPOSITIO propositionum *proprie* accepta, est *affirmatio & negatio ejusdem de eodem.* In sensu tamen *latiore* passim dicitur: *duarum propositionum, idem subjectum & prædicatum habentium pugna quoad* veritatem,

tem, ob diversam aut quantitatem (CXXIV) *aut qualitatem* (n. c.) *aut utramque simul.* In *priori* sensu accepta tantummodo *duplex* est, *contradictoria* nimirum, & *contraria*; in *posteriori* vero *quadruplex*. 1. *Contradictoria*. 2. *Contraria*. 3. *Subcontraria*. 4. *Subalterna*.

CLII. Propositio CONTRADICTORIA dicitur illa, *quæ pugnat in quantitate, & qualitate essentiali simul*, sive quæ idem prædicatum de eodem subjecto affirmat & *negat*. e. g. *Omnis homo est animal rationale*, *aliquis homo non est animal rationale*. Gemina hæc propositio dicitur contradictoria tam de *lege*, quam *de modo enuntiandi*, datur autem & aliud contradictionis genus, quod solum *de lege* vocatur, estque propositio *singularis*, simul affirmata, ac negata, e. g. *Petrus est velox*, *Petrus non est velox*. Reducitur enim in Scholis ejusmodi propositio *singularis* pariter ad *universalem*, quia sumitur secundum totam suam *extensionem* (XXXVII.) Ita ut sensus sit, *omne id*, *quod est Petrus*, *est velox*. *Aliquod ejus*, *quod est Petrus*, *non est velox*. Nec ista expositio male sonat

Contradictoria.

Contradictoria de modo enunciandi, & de lege.

nat

capite 6to manifeste referat, hanc nostram explicationem, ore Christi æternæ Veritatis, esse factam; nam *v. LIV.* Salvator dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: at *v. LVIII.* immediate subjunxit: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, absque ulla prorsus mentione *calicis*, aut *sanguinis*, cujus tamen, si utrumque *omnibus* sine discrimine præcepisset, iterum meminisse debuisset. Sic pariter cit. Cap. vv. L. & LI. de sola Panis manducatione mentio fit.

Pro disjunctiva. CXLII. Reg. II. In propositione disjunctiva (CXXIX.) si particula vel *exclusive* accipiatur (CXXX.) hoc est, si particulam tantum tacite adjunctam habeat, non nisi *unum* illius membrum verum esse potest. v. g. *Anti-Christus vel salvabitur, vel damnabitur.* Si vero particula vel accipiatur *præcisive*, hoc est, si tacite subintelligatur particula saltem, potest illa propositio vel in *uno*, vel in *pluribus* etiam membris verificari, pro ratione *materiæ*, ac *circumstantiarum*, ut in hac propositione: *Vel Petrus Christum negavit, vel Andreas, vel Judas*, in *ultimo* tantum verificatur. At si dico:

co: *vel Titius domi studet, vel Sempronius, vel Cajus, vel Franciscus*, potest hoc in *pluribus* verificari. Cavendum tamen, ne in ejusmodi propositionibus detur aliquod membrum *intermedium*, ex quo fieri posset, *nullam* partem veram esse; hinc falsa est hæc: *Andreas studet Philosophiæ, vel Geometriæ*, quia potest *Theologiæ*, aut *Poësi* studere.

CXLIII. Reg. III. Veritas propositionis *conditionalis* dependet ex *connexione* antecedentis cum consequente (CXXIX. 4.) sive partes illæ *seorsim* spectatæ veræ sint, sive falsæ; si enim illa *connexio* inter Antecedens, & consequens *legitima* sit, propositio erit *vera*; si non, erit *falsa*, & *ratio* est, quia propositio conditionalis solummodo affirmat *connexionem* conditionis cum conditionato; sic *vera* est hæc: *si vis consequi finem, debes adhibere media*, quia datur *connexio* inter *finem* & *media*: econtra *falsa* est ista: *si vis doctus fieri, debes te vestibus ornare*, nulla enim inter *doctrinam*, & *vestes connexio* intercedit. **Pro conditionali.**

CXLIV. Reg. IV. Ut propositio Causalis vera sit, oportet, ut non tantum *utraque pars* (*antecedens* & **Pro causali.**

consequens) vera sit, sed etiam, ut *pars*, *causali* particula affecta, sit *ratio*, cur altera pars vera sit? nam se habet eodem modo sicut *conditionalis*, cum æque affirmet *connexionem* causæ cum effectu, sicut illa *connexionem* conditionis cum conditionato (CXLIII.) Ideo vera est hæc enuntiatio: *Impii damnantur, quia DEI mandata non servant;* falsa autem hæc: *Aristoteles erat bonus Philosophus, quia frequenter ambulabat.*

Pro modalibus. CXLV. Reg. V. In propositionibus *Modalibus* (CXXVI. 3.) potior habenda est ratio *modi*, quam *dicti* (n. c. 5.) *modus* enim determinat *quantitatem*, & *qualitatem* (CXXIV.) ejusmodi propositionum: unde hæc propositio; *possibile est, me cras mori*, vera est, etsi non essem moriturus, sequens vero: *hominem esse mortalem contingens est*, falsa est, etsi revera homo sit *mortalis*. Pariformiter loquendum de illis propositionibus, quæ exprimunt *certitudinem*, *evidentiam*, aut *probabilitatem* e. g. *certum est, solem esse terra majorem &c.* Revocantur enim ad *modales*, ut ex terminis liquet.

CLXVI.

CXLVI. Præter supra recensitas propositiones *explicite compositas* (CXXIX.) referuntur adhuc duæ aliæ, non adeo magni momenti, nempe 1. *Discretiva* sive *discreta*, cujus partes per particulas *sed*, *verum*, *tamen &c.* conjunguntur. e. g. *Innocentia premi, sed non opprimi potest.* 2. *Relativa* aut *relata*; cujus una pars ad alteram ordinatur. e. g. *Qualem diligentiam adhibueris, talem fructum referes.* Pro his igitur statuitur

Pro propositione Discretiva,

Et Relativa.

Reg. VI. Veritas propositionis discretivæ dependet tum a veritate singularum partium, tum etiam a veritate adhibitæ discretionis: veritas autem propositionis *relativæ* a veritate relationis, sive respectus unius ad aliud.

CXLVII. Regulæ propositionum *implicite compositarum*, seu Exponibilium, (CXXVIII. 4.) *Generales* sunt duæ. 1. Omnis propositio exponibilis *affirmativa* æquivalet *copulativæ* (CXXIX.) e. g. 1. Hæc *exclusiva* (CXXX.) *Nobilitas sola est, atque unica virtus*, ita exponenda est: *Virtus est nobilitas, & nihil aliud quam*

Regulæ generales pro exponibilibus, seu implicite compositis.

virtus est nobilitas. 2. Hæc *exceptiva* (n. c.) *Omnis homo in Adam peccavit præter B. Virginem*, ita sonat: *omnis homo in Adam peccavit, & B. Virgo in eo non peccavit.* 3. Hæc *reduplicativa* (n. c.) *Petrus qua Logicus disputat*, facit hunc sensum: *Petrus disputat, & ratio disputandi est habitus Logicæ &c.* II. Omnis exponibilis *negativa* æquivalet *disjunctivæ* (CXXIX. 2.) e. g. *non solus Plato est sapiens*, sic resolvitur: *Vel Plato non est sapiens, vel etiam alius quis est sapiens.* Item: *Nullus est miser, præter peccatorem*: sic exponitur: *vel peccator est miser, vel nullus alius est miser &c.*

Doctrina Protestātium, nedū fidei, sed & Logicæ contraria.

CXLVIII. *Corollaria.* I. Quoniam propositio *exclusiva* æquivalet *copulativæ* (CXLVII.) hinc ille textus Pauli *Rom. III. v. XXVIII. Arbitramur hominem justificari per fidem*, cui LUTHERUS addidit, SOLAM, sic juxta Logicam esset exponenda a Protestantibus; *Fides justificat, & nihil aliud, a fide distinctum, justificat*, at hoc falsum est, cum sic *bona opera* essent prorsus inutilia, nec requireretur ulla *pœnitentia*, aut *præceptorum divinorum observatio*, imo ne quidem *Baptismus*, quæ sunt seque-

læ

læ, ipsi Evangelio contrariæ. II. Licet in S. Scriptura passim dicatur: *Soli DEO servies*, *soli DEO honor & gloria &c.* male tamen exinde deducere laborant Heterodoxi, cultum, servitium, & honorem, qui *Sanctis* exhibetur, esse prohibitum; nam etiam sequeretur. 1. (Contra præceptum IV. Decalogi) sic etiam *parentibus*, *Principibus*, & *Magistratui* cultum & servitia deneganda esse, eoquod allatæ propositiones *contra* OMNES *præter DEUM* EXCLUSIVE enuntient. 2. Etiam *Job. XIV. v. IV.* dicitur, *Tu, qui solus es*, nec tamen adversarii concedere possunt, nullum ens aliud præter DEUM esse, aut existere. Sicut & ex eo *Luc. XVIII. v. XIX. Nemo bonus nisi solus DEUS*, non sequitur fallere oraculum divinum, cum de creaturis, *Gen. I.* sæpius inquit: *Viditque DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; Sed nempe sicut *sub alia ratione* existit *DEUS*, & sub multo *imperfectiore* existunt alia *entia creata*, & sicut sub *alia* ratione DEUS dicitur *bonus*, & sub *alia* iterum *creaturæ*; sic etiam *alius* honor & cultus DEO a nobis, alius, scilicet longe inferior SANCTIS, *alius* item PARENTIBUS, ac SUPERIORIBUS

exhibetur. Unde III. Ut propositio ad prædictas leges *perfecte exclusiva* sit, requiritur, ut *sub eadem ratione*, qua de uno solo affirmatur prædicatum, de aliis, quæ excluduntur, *invariate* negetur.

Regulæ particulares, Pro propositione exceptiva.

CXLIX. Regulæ *particulares* pro proposiitionibus IMPLICITE COMPOSITIS. *I.* In propositione EXCEPTIVA (CXXX. 2.) subjectum, a quo fit exceptio, sit *universale*, contineatque id, quod a participatione prædicati excipitur. Sic *falsa* est hæc propositio *exceptiva*: *Omne animal fuit in Arca Noë, præter Bucephalum*, quia subjectum tantum supponit distributive incomplete. (XCIX. 4.) Sicut & hæc falsa est: *Omnis homo, præter Bucephalum, est rationalis, quia* Bucephalus non continetur sub termino, a quo fit exceptio.

Pro Exclusiva,

II. In propositione EXCLUSIVA, si illæ particulæ SOLUS, TANTUM &c. se teneant ex parte *prædicati*, tunc de subjecto negantur omnia alia prædicata *ejusdem generis*, non vero *diversi generis*. e. g. Si dico. *Petrus est tantum Musicus*, sensum facit: *Petrus callet* ar-

artem musicam, & *nullam aliam artem callet*, interim tamen potest esse *pius*, *prudens*, *bonus civis* &c. Propositio porro *exclusiva* semper resolvitur in duas propositiones præcipuas, unam *affirmantem*, alteram *negantem*, ut ex dictis liquet.

III. Ad veritatem propositionis COMPARATIVÆ (CXXX. 4.) in rigore logico requiritur, ut *utrique* extremo comparato illud prædicatum, in quo ambo comparantur, conveniat, aut saltem hujus oppositum. Hic autem rigor Logicus in S. Scriptura quoad comparationes faciendas non semper attenditur (n. c.) e. g. *Melior est patiens arrogante. Eccles. VII. v. IX.* Nam in hac propositione prædicatum τὸ MELIOR non convenit *arroganti*, nec simpliciter quidem, quia verum non est: *arrogans bonus est*, & *eo melior patiens.* Nec etiam prædicatum oppositum, scilicet τὸ MALUS, aut MINUS MALUS, utrique competit, quia iterum falsum est: *uterque malus*, *sed patiens minus malus.* Pro Comparativa.

tem, ob diversam aut quantitatem (CXXIV) *aut qualitatem* (n. c.) *aut utramque simul.* In *priori* sensu accepta tantummodo *duplex* est, *contradictoria* nimirum, & *contraria;* in *posteriori* vero *quadruplex.* 1. *Contradictoria.* 2. *Contraria.* 3. *Subcontraria.* 4. *Subalterna.*

CLII. Propositio CONTRADICTORIA dicitur illa, *quæ pugnat in quantitate, & qualitate essentiali simul*, sive quæ idem prædicatum de eodem subjecto affirmat & *negat.* e. g. *Omnis homo est animal rationale, aliquis homo non est animal rationale.* Gemina hæc propositio dicitur contradictoria tam de *lege*, quam *de modo enuntiandi*, datur autem & aliud contradictionis genus, quod solum *de lege* vocatur, estque propositio *singularis*, simul affirmata, ac negata, e. g. *Petrus est velox, Petrus non est velox.* Reducitur enim in Scholis ejusmodi propositio *singularis* pariter ad *universalem*, quia sumitur secundum totam suam *extensionem* (XXXVII.) Ita ut sensus sit, *omne id, quod est Petrus, est velox. Aliquod ejus, quod est Petrus, non est velox.* Nec ista expositio male sonat

Contradictoria.

Contradictoria de modo enunciandi, & de lege.

nat

nat in auribus nostris; nam si dico v. g. *Petrus est mortalis*, sensus non est: *omne id, quod est Petrus, est mortale* (intelligendo *tam quoad corpus, quàm quoad animam*) sed exponi debet in eo sensu tantum, in quo de Petro enuntiatur in priori propositione, quod sit MORTALIS, nempe solum *secundum corpus*, hoc modo: *omne id, quod est Petrus, secundum corpus consideratus, est mortale. Aliquod ejus, quod est Petrus, secundum corpus consideratus, non est mortale.*

Regulæ generales oppositionis contradictoriæ.

CLIII. Regulæ *oppositionis contradictoriæ* generales sunt sequentes. I. In *vera* propositione contradictoria debet *idem* subjectum, & *idem* prædicatum *perfecte* semel affirmari, & semel *perfecte* negari, quod si fiat, *semper una illarum propositionum erit necessario vera, & altera falsa*, idque vi illius principii primi: IDEM NEQUIT SIMUL ESSE, & NON ESSE. Contradictiones autem *apparentes*, congrua explicatione adhibita possunt esse *simul veræ*, quia contradictoriæ propositiones in rigore non sunt. Ejusmodi antilogiæ, seu contradictiones apparentes non paucæ reperiuntur in S. Scriptura,

ra, non solum quoad *Chronologiam*, verum etiam quoad ipsum *sensum*. Videantur desuper *Prolegomena Script. S. ad usum Cleri Augustani*, a CL. D. Eusebio Amort edita. *P. III. Q. V.* Itemque CL. P. Annati *apparat. ad positiv. Theol. Lib. II. Art. XIII.* II. Ad oppositionem *vere* contradictoriam ulterius requiritur, ut *non varietur suppositio* (XCVIII.) in propositione alterutra, excepta *distributiva* (XCIX. 4.) quæ mutari *potest* in *disjunctivam* (n. c.) cum hæc in illa contineatur (n. c.) Imo *debet* quoque in istam mutari, ut oriatur pugna in *quantitate* (CXXIV.) III. Cuilibet propositioni contradicitur, si illi particula non præfigatur in eo sensu, ut *omne illud* neget, quod prius fuit affirmatum. e. g. Huic propositioni: *aliquis oculus* (ex supposito, qnod adsint duo æqualiter apti) *est necessarius ad videndum*, ista contradicit: *non aliquis* (seu falsum est, quod aliquis oculus indeterminate sumptus requiratur) *est necessarius ad videndum.* Jam ex hisce tribus regulis *generalioribus* sequuntur istæ magis *particulares.*

CLIV. Reg. I. Propositioni Copulativæ contradicitur per *disjunctivam*, & vicissim, ac singulis quidem partibus copulativis debent opponi totidem

Regulæ speciales pro propositione copulativa, &

disjunctiva. tidem disjunctivæ, vel econtra. e. g. *Et Petrus, & Paulus est doctus, vel Petrus non est doctus, vel Paulus non est doctus.* Item, *vel Petrus est Philosophus, vel Paulus est Philosophus: & Petrus non est Philosophus, & Paulus non est Philosophus.* (CXLI.) Propositioni

Pro conditionali. CONDITIONALI contradicitur, si negatur *connexio* inter conditionem & conditionatum. e. g. *Si Sol lucet, dies est, etiamsi sol luceat, non tamen dies est.* III. Sic etiam CAUSALI contradicitur, si negetur *causa.* e. g. *Homo est rationalis, quia est substantia, non ideo homo est rationalis, quia est substantia.*

Pro causali.

Pro Modali. IV. Propositiones MODALES debent pugnare in *modo*, non in *dicto* (CXXVI. 3. & 5.) e. g. *Necesse est hominem currere. Non necesse est hominem currere*, sive quod idem est: *possibile* aut *contingens est, hominem currere*, nam *necesse* valet idem ac *omnis*, & *possibile* sive *contingens*, idem ac *quidam* (CXXXI.) V. Propositioni

Pro exponibili. denique EXPONIBILI cuicunque (CXXVIII.) contradicitur per disjunctiones (CXLVII. 2.) e. g. *Omnis purus homo in Adam peccavit, præter unum. vel iste non peccavit in Adamo, vel ille non peccavit in Adamo &c.*

CLV.

CLV. Oppsitio CONTRARIA, est quando duæ propositiones *universales* pugnant in sola *qualitate essentiali* (CXXIV.) sive quando una universaliter *negat*, quod altera universaliter *affirmat*. e. g. *Omnis circulus est rotundus. Nullus circulus est rotundus.* Ejusmodi propositiones duæ non possunt simul esse *veræ*; alias enim *idem simul esset, & non esset.* Possunt tamen simul esse *falsæ*, non autem in materia *necessaria*, aut *impossibili*, in quibus *particularis* æquivalet *universali* (CXXXI.) sed in materia *contingenti*, ubi altera *plus negat*, quam requiritur ad falsificandam priorem. e. g. *Omnis homo est justus*: *nullus homo est justus.* Utraque enim est falsa, si *unus tantum homo est justus*, quod *possibile* est, quia *contingens* est, quanquam *proprie* loquendo, & conformiter definitioni supra datæ (CXXXI) hæc propositio: *omnis homo est justus*, omnino non sit *universalis*, adeoque etiam dici potest, quod in propositionibus *contrariis* eadem lex valeat, quæ *contradictoriis* competit, nempe quod *una sit necessario vera*, *altera falsa* (CLIII.) e. g. si dico: *omnis homo est rationalis*, *nullus homo est rationalis.*

Oppositio cõtraria.

Regulæ.

CLVI.

Subcontraria. CLVI. Oppositio SUBCONTRARIA est, si duæ propositiones *particulares* pugnent in sola *qualitate* (CXXIV.) e. g. *aliquis homo ambulat*, *aliquis homo non ambulat*.

Regulæ. Hæ in nulla materia possunt simul esse *falsæ*, in materia tamen *contingente* (ad quam proprie ac unice spectant ambæ propositiones particulares) possunt simul esse *veræ*, quia attributum contingens potest *uni* subjecto convenire, non *alteri*. Sic v. g. *scientia aliqua* (nempe *profana*) *inflat*, & *aliqua scientia* (*Ascetica*) *non inflat*. Ast si utraque propositio *particularis* sit in materia *necessaria*, aut *impossibili*, una erit vera, & altera falsa, quia tunc ambæ sunt *universales*, & non *particulares* (CXXXI.)

Subalterna. CLVII. Oppositio SUBALTERNA est, si duæ propositiones pugnent in sola *quantitate* (CXXIV.) hoc est, si una fuerit *universalis*, altera *particularis*, seu potius: si una præfixum habeat *signum universale*: OMNIS, aut NULLUS, & altera signum particulare; ALIQUIS, aut QUIDAM NON &c. e. g. *Omne bonum est communicativum sui*: *aliquod bonum est communicativum sui*. 1ma in scholis dicitur *subalternans*, altera *subal*-

ter-

ternata. Porro si *1ma* est vera, etiam altera *in omni* materia est vera; in materia tamen *contingente* 2da potest esse vera, quin prima sit vera. Sic enim v. g. Potest ALIQUIS *Logicus esse diligens*, quin OMNIS *Logicus sit diligens*, non tamen econtra. In materia autem *necessaria*, 2da semper sequitur conditionem *primæ*, quia tunc *universalis* continet *particularem*, & hæc æque potest distributive complete (XCIX. 4.) enuntiari, sicut universalis, e. g. in hac propositione: *aliquis Spiritus est indivisibilis*, possum æqualiter dicere: *& hic Spiritus est indivisibilis*, *& iste*, *& ille &c.* Sicut *universalis* propositio: *Omnis Spiritus est indivisibilis*, distribui potest secundum suam *extensionem* (XXXVII.) Regulæ.

CLVIII. Præter hanc quadruplicem oppositionum speciem datur insuper alia, non quidem ratione *formæ* (CXXIV.) sed ratione *materiæ*, unde & *materialis*, atque *communis* dicitur, nec levis in argumentando momenti est. Ea tunc habetur, quando in duabus propositionibus occurrunt termini aut particulæ, *privative*, *relative*, *negative*, *disparate*, aut etiam *con-* Oppositio comunis seu materialis.

O *tra-*

trarie oppositæ. e. g. In illis Christi Domini verbis : *Ibunt* BONI *in* VITAM *æternam* , MALI *autem in* SUPPLICIUM *æternum.* *Arbor* BONA BONOS *fructus facit*; *arbor* MALA MALOS *fructus facit.* Item si dico : *scientia laudem gignit*, *inscitia contemptum parit. Hominum alii* HONESTATE *ducuntur*, *alii* UTILITATE, *alii* VOLUPTATE *trahuntur &c.*

SECTIO VI.

DE ÆQUIPOLLENTIA, ET CONVERSIONE PROPOSITIONUM.

Æquipollentia

CLIX. ÆQuipollentia est *duarum propositionum*, *prius oppositarum*, *reductio ad eundem sensum*, *per additionem particulæ* NON : totum ejus artificium VV. Dialectici hoc Disticho sunt complexi.

Regulæ.

Præ contradict. *post* contrar. *præ post*-
que subaltern.
In subcontrariis verba locanda
aliter.

Nempe 1. Si sint duæ propositiones *contradictoriæ*, una propositio ad sensum

ſum alteri propoſitioni æquipollentem reducitur, ſi alterutrius ſubjecto *præponatur* particula NON. 2. Si autem ſint duæ propoſitiones *contrariæ*, ambæ æquipollebunt, ſi τὸ NON *poſtponatur*. 3. In *ſubalternis* ut fiat idem ſenſus utriusque propoſitionis, τὸ NON debet ſubjecto tum *præponi*, tum *poſtponi*. 4. Denique in *ſubcontrariis* verba tantum aliter collocari debent, ita, ut ex ſubjecto fiat prædicatum, & ex prædicato ſubjectum. Vide exempla!

Omnis homo eſt rationalis.
Non aliquis homo non eſt rationalis. } *Æquipollent.*
Aliquis homo non eſt rationalis.
Non omnis homo eſt rationalis. } *Præ* Contradict. *Æquipollent.*

*

Omnis homo eſt mortalis.
Nullus non homo, ſeu hominum, eſt mortalis. } *Æquipollent.*
Nullus homo eſt mortalis.
Omnis homo non eſt mortalis. } *Æquipollent.* *Poſt* Contrar.

*

Omnis creatura eſt finita.
Non aliqua creatura non eſt finita. } *Æquipollent.*
Aliqua creatura eſt finita.
Non omnis creatura non eſt finita. } *Præ poſt*que Subaltern. *Æquipollent.*

*

Aliquis Logicus difputat.) *Æquipollent.*
Aliquis difputans eft Logicus.) In fubcontrariis &c.
Aliquis Logicus non difputat.) *Æquipollent.*
Aliquis non difputans eft Logicus.)

CLX. *Scholia.* I. Ratio horum omnium *ex natura particulæ negativæ* petenda eft, quæ deftruit, & mutat omne id, quod afficit & poft fe invenit, facitque adeo ex propofitione *affirmativa negativam*, ex *particulari univerfalem*, & viciffim. II. In *Modalibus* cenfetur negatio *præponi*, fi addatur *modo*, & *poftponi*, fi addatur *dicto*. III. *Sub-Contrariæ* per particulam NON reddi nequeunt *æquipollentes*; fi enim hæc *præponatur* unius fubjecto, æquivalet fuæ *contradictoriæ*, fi præfigatur *copulæ*, una ab altera non differt: fi vero præponatur fimul & *fubjecto* & *copulæ* propofitionis affirmativæ, propofitio fiet *univerfalis affirmativa*, ut fingula patent examinanti. IV. *Æquipollere* apud RECENTIORES dicuntur omnes illæ propofitiones, *quæ verbis quidem difcrepant, fed fenfum eundem habent* (five dein particula NON adhibeatur; five non) e. g. huic propofitioni; *Nemo nifi græce doctus ad interiorem*

Æquipollere quid fignificet apud Recentiores?

lin-

linguæ latinæ notitiam perveniet: ÆQUIPOLLENTEM ſtatuunt hanc: *quidvis potius, quam latine vel ſcribendi vel dicendi facultatem, ſibi polliceri poterit, qui litterarum græcarum expers eſt.*

CLXI. CONVERSIO eſt *unius propoſitionis ad alteram per extremorum tranſpoſitionem neceſſaria conſequentia*, vel, ut alii eam definiunt: *eſt ſubjecti in prædicatum, & viciſſim, in una propoſitione facta mutatio, remanente ſemper* QUALITATE (CXXIV.) *ſed mutata non nunquam ejus* QUANTITATE (n. c.) propoſitio, *quæ* mutatur, dicitur *converſa*, illa vero, *in quam* mutatur, dicitur *convertens.* **Converſio.**

CLXII. Triplex in ſcholis aſſignatur *Converſio*. 1. SIMPLEX, quando ſimpliciter ſubjectum in prædicatum, & nihil prorſus aliud in propoſitione mutatur. 2. *Per accidens*, ſi præter iſtud etiam mutatur *quantitas*. 3. Per *contrapoſitionem*, ubi omnia manent omnino, ac ſolum ex terminis finitis (LXXXVIII.) fiunt infiniti, (n. c.) Quænam porro propoſitiones ad triplex hoc converſionis genus determinate referantur, ſequentibus verſi- **Triplex.**

 bus,

bus, in quibus majores litteræ sumi debent 2dum dicta (CXXXI.) indicatur. En rursum in exemplis!

Conversionis artificium *E. J.* simpliciter *convertitur, E. A.* per Accid. *A. O.* per contrap. *sic fit conversio tota.*

Nullus homo est lapis: *Nullus lapis est homo.*	E.	*Simpliciter.*
Aliquis homo est doctus: *Aliquod doctum est homo.*	J.	
Nullus homo est lapis: *Aliquis lapis non est homo.*	E.	*Per Accid.*
Omnis homo est animal: *Aliquod animal est homo.*	A.	
Omnis homo est rationalis: *Aliquod non animal est non homo.*	A.	*Per Contrap.*
Aliquis homo non est doctus: *Aliquis non doctus non est homo.*	O.	

CLXIII. *Corollaria.* I. Conversio nititur Regulis *suppositionum* (CI. & CII.) cum enim *prædicatum* propositionis *affirmativæ*, etiam *universalis* (ratione *signi præfixi* tantum) supponat *particulariter* (CI.) Hinc ejusmodi propositio nonnisi per *accidens* converti potest. Quare ex ista propositione: *omnis Sacerdos est Christianus*, male inferunt Lutherani: *ergo omnis Christia-*

nus eſt Sacerdos. Item ſi dico: *omnis Epiſcopus eſt Sacerdos*: non licet uti converſione ſimplici: *ergo omnis Sacerdos eſt Epiſcopus*: ſecus etiam valeret iſta conſequentia: *omnis Chriſtianus. eſt homo*: *ergo omnis homo eſt Chriſtianus.* II. Si tamen in propoſitione *affirmativa* de ſubjecto affirmetur definitio *eſſentialis*, vel *proprietas metaphyſica* (adeoque ſi ſit vere ac proprie *Univerſalis*) etiam adhiberi poteſt *converſio ſimplex.* e. g. *Omnis homo eſt animal rationale*: *ergo omne animal rationale eſt homo.* III. Ita quoque propoſitio *univerſalis negativa* poteſt non tantum *per accidens*, ſed etiam *ſimpliciter* converti. e. g. *Nullus homo eſt lapis*: *ergo aliquis lapis non eſt homo*, vel *ergo nullus lapis eſt homo*. Pariter: *nullus peccator eſt juſtus*: *ergo nullus juſtus eſt peccator*, ex quo bene contra Proteſtantes ulterius infertur: *ſed homo baptizatus eſt juſtus*, quia eſt ABLUTUS ET SANCTIFICATUS. 1. *Cor.* 8. *Ergo nullus baptizatus eſt peccator*, *per peccati maculam animæ inhærentem.* IV. Quia hæc propoſitio: *Omnis ſanctus eſt amicus DEI*, per *contrapoſitionem* ita convertitur: *ergo omnis non amicus DEI eſt non ſanctus*, id eſt: *ergo*


quidquid repugnat amico DEI, *repugnat etiam ſancto*: inde optime quoque arguunt Catholici: at *repugnat amicis DEI talis ſtatus*, quem per innumeras fere Blaſphemias, & ſcommata eis attribuerunt primi ſic dicti REFORMATORES. e. g. Quod ſint *ſurdi* ad preces noſtras, quod *omni cultu*, & *honore ſint indigni* &c. *Ergo ejusmodi ſtatus repugnat Sanctis.* Inſigne denique legitimæ converſionis ſpecimen edidit EXCELL. D. DE BANDEL, in ſuo *judicio Danielis*, DE IMAC. B. M. V. CONCEPTIONE in hunc modum ſcribens: PAULUS *inquit*: *per peccatum Mors: ergo in qua mors non eſt*, ſive quæ potius ut Mater viventium vitam peperit, *in ea mors peccati nec originalis*, *nec actualis eſſe poteſt.* VI. Si ſpectemus *implicitum* copulæ ſenſum, quæ, dum negat identitatem, ſaltem implicite affirmat diſtinctionem inter ſubjectum, & prædicatum, etiam propoſitio *particularis negativa ſimpliciter* converti poteſt. e. g. Si dico: *aliquod lucrum non eſt uſura*, legitime infero invertendo: *ergo aliquid diſtinctum ab uſura eſt lucrum*, ideoque etiam illa converſio per contrapoſitionem, cum per eam ſenſus propoſitionum

num aliquo modo reddatur *obſcurus*, â multis omnino omittitur.

CLXIV. Regulæ legitimæ converſionis in ſcholis recenſentur ſequentes. I. Ut *totum* ſubjectum, & *totum* prædicatum transmutetur. II. Ut ſumantur ambæ propoſitiones in *eadem* ſuppoſitione (XCVIII. &c.) III. Si ſit propoſitio de 2do adjacente (n. c.) e. g. hæc: *aliquis homo currit*, prius reſolvi debet; e.g. *aliquis homo eſt currens*, & tunc primum converti poteſt: *ergo aliquod currens eſt homo.* IV. Si ſit caſus *obliquus*, pariter fieri debet expoſitio. v. g. *Mus eſt in fornace: ergo aliquod exiſtens in fornace eſt mus.* V. Tempus *præteritum* exponitur per relativum *qui, quæ, quod*, e. g. *Omnis ſenex fuit juvenis: ergo aliquis, qui fuit juvenis, eſt ſenex.* Tempus *futurum*, ita convertitur: *aliquis juvenis erit ſenex: ergo aliquis futurus ſenex eſt juvenis. Homo revertetur in pulverem: ergo aliquid, quod revertetur in pulverem, eſt homo.* Item *nullus verus Cliens Marianus peribit: ergo nullus periturus eſt verus cliens Marianus.* Sed de his ſatis, nam ipſe CL. P. Ariaga fatetur, *tot propoſitionum*

Et Regulæ.

num conversionibus caput inverti, & *tot vocalium ac consonantium mysteriis memoriam vix non penitus opprimi.* Cl. Vero ANT. GENUENSIS ait, *Conversionis & Æquipollentiæ doctrinam nunc totam fere inanem esse, olim tamen, cum Sophistarum disputationes valerent, eorum concertationibus aut alendis aut finiendis percommodam fuisse.* Wolfius autem nonnihil pluris æstimare videtur, dum ipsemet hoc conversionis exemplum profert: *lapis fuit calidus: lapis est is, qui fuit calidus: ergo id, quod fuit calidum, est lapis. Philos. Ration.* §. 203.



DIS-

DISSERTATIO III.

DE DISCURSU, ET SYLLOGISMIS.

SECTIO I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT DISCURSUS IN GENERE?

CLXV. DIscursus (Analogia sumpta a progressu physico ab uno termino ad alium) *est motus vel progressio nostri intellectus, a cognitione unius, ad cognitionem alterius, sive ab una veritate nota ad aliam ignotam.* Dubito e. g. *Sitne anima immortalis?* vel an hæc proposito: *anima est immortalis*, vera sit? examino mox ideam subjecti, quid est *anima?* reperio in ea contineri ideam *entis simplicis*: annuo, & dico: *anima est ens simplex.* Dein ideam entis *simplicis* comparo cum idea *immortalis*: hanc iterum in illa comprehensam video, & dico, *ens simplex est immortale*, & est 2dum judicium; denique cum intellexerim, ideam *entis simplicis* contine- Discursus.

tineri in idea *animæ*, & ideam τȣ *immortalis*, in idea *entis ſimplicis*, infero etiam jdeam τȣ *immortalis* contineri in idea *animæ*, & dico: *ergo anima eſt immortalis.* En 3tium judicium! hic denuo intellectus judicem agit; nam *præmiſſa* duo judicia ſunt quaſi ſententiæ præviæ, ſeu ut vocant *interlocutoriæ*, ipſam cauſam principalem tangentes, has deinde *concluſio* tanquam judicium *deciſivum*, ſeu ut definitiva ſententia, conſequitur, eſtque propterea diſcurſus inter cæteros ſciendi modos omnium nobiliſſimus, cum non tantum (ut *definitio* & *diviſio*) veritatem rei proponat, ſed eam inſuper demonſtret, & per artificium ſyllogiſticum (de quo mox) intellectum, vel invitum, ad aſſenſum rapiat.

Ad diſcurſum requiſita.

CLXVI. *Corollaria.* I. Ad omnem diſcurſum tria concurrunt. 1. *Antecedens*, *ex quo* aliquid infertur, ſcilicet *primum judicium*, ſeu prima propoſitio: quod ſi plures fuerint, dicuntur *præmiſſæ*. 2. *Conſequens* ſeu *concluſio*, *quod* infertur ab antecedente ob aliquam rationis paritatem. 3. *Conſequentia*, *ſequela*, ſeu *connexio* con-

consequentis cum antecedente, *vi cujus* unum ex alio infertur, & indicatur per notam illativam Ergo. e. g. *Omne ens simplex est indivisibile: at Angelus est ens simplex: ergo est indivisibilis.* Hic duæ primæ propositiones sunt duo judicia *Antecedentis*, seu *præmissæ*, tertia propositio est judicium *consequentis*: ista vero *vis*, ut tale 3tium judicium deducatur, est *consequentia*, quæ non adesset, si diceres: *ergo Angelus est intelligens*; nam etsi id verum esset, & *consequens*, non tamen esset *consequentia*, ex vi talis judicii profluens. II. Inde *consequens* dicitur *falsum*, aut *verum; consequentia* vero *bona* vel *mala*, nam hæc sola potest peccare contra *Regulas* Syllogismorum: at *consequens* consideratur tantum, prout est *conforme*, vel *difforme objecto*: quare dum negatur, *hoc vel illud bene inferri*, non negatur *consequens*, sed *consequentia*. Ideoque consequens potest distingui, consequentia vero semper concedi vel negari debet; vel enim inter antecedens & consequens datur *connexio?* & tunc consequentia simpliciter est concedenda: vel non datur? & tunc simpliciter neganda est?

Differentia inter consequens & consequentiã.

CLXVII.

Argumentatio. CLXVII. *Argumentatio* solet distingui a *discursu*, fere sicut *propositio a judicio*, (CXXI) nempe definitur, quod sit *discursus*, *seu ratiocinium verbis expressum*. Et alia quidem argu-Formaliter bona. mentatio est *formaliter bona*, cui scilicet similis alia dari non potest antecedente vero, & consequente falso, hoc est, quando manente eadem dispositione terminorum ac propositionum, ex vero antecedente nunquam falsa conclusio inferri potest. Alia Materialiter bona. est *materialiter* tantum *bona*, cui videlicet similis alia dari potest antecedente vero, & consequente falso. e. g. Si dico: *aliquod vivens est intellectuale*; *atqui Angelus est vivens*: *ergo Angelus est intellectualis.* Non enim legitima est consequentia, angelum esse *intellectualem* ex eo præcise, quia est *vivens* (posset enim argumentatio etiam sic fieri: *atqui lepus est vivens*, *ergo lepus est intellectualis*, quæ fallit) adeoque verum quidem est *consequens* ratione *materiæ*, mala autem *consequentia*, ratione *formæ*, ut dicetur (CLXXVI. & seq.) Denique *materialiter* & *formaliter bona* est argumentatio, ubi *consequens* non fallit, & *consequentia* est bona.

CLXVIII.

CLXVIII. Argumentationis ufitatiores fpecies fex numerantur, nempe — Argumẽtationis fpecies.

I. EXEMPLUM *five illatio ab uno fingulari ad alterum ob paritatem rationis.* Ita S. Auguftinus affiduo fecum difcurrebat. *potuerunt ifti & iftæ* (*cafte vivere*) *quidni ergo & tu poteris?* Item 2. *Petr.* 2. ℣. 4. *Si DEUS Angelis peccantibus non pepercit, fi originali mundo non pepercit: ergo nec nobis parcet in peccato obduratis.* Huc etiam pertinent PARABOLÆ, quibus Chriftus Dominus in S. Evangelio fere continuo ufus eft. — Exemplũ.

II. INDUCTIO eft argumentatio, quando a particularibus fufficienter enumeratis fit conclufio per propofitionem univerfalem, quod idem eft, ac *argumentum ab hypothefi ad thefin revocare*, ut Rhetores bene nôrunt. Sic contra heterodoxos argumentantur Doctores Catholici: S. PETRO in Romana Cathedra fucceffit S. LINUS, Lino CLETUS, Cleto CLEMENS, & ita porro, ufque ad modernum feliciffime regnantem CLEMENTEM XIII. P. M. ergo in Ecclefia Romana, a tempore Apoftolorum ufque ad no- — Inductio.

ftra

ſtra tempora, fuit *continua* ſucceſſio Pontificum, & conſequenter Eccleſia Romana eſt APOSTOLICA: ſic etiam valet: *DEUS*, *Angeli*, *& animæ rationales ſunt immortales*: *ergo omnis ſpiritus eſt immortalis.* Hæc argumentatio *Phyſicis* perquam familiaris eſt, utpote qui enumerare ſolent *plura* experimenta particularia, quæ ſi pluribus *locis*, *temporibus*, & *circumſtantiis diverſis* inſtituta *æqualiter* ſe habuere, propoſitionem phyſicam manifeſte evincunt.

Dilemā. *III.* DILEMMA, græce Δίλημμα, latine idem ſonat, ac *Syllogiſmus utrinque vinciens*, eſtque talis argumentandi modus, cujus antecedens propoſitio duo continet membra, quorum alterutrum concedere debet adverſarius, quodcunque tamen concedat, ex eo impugnari poteſt; unde & *ſyllogiſmus cornutus*, aut CROCODILUS dicitur. Sic argumentatus eſt CHRISTUS, a miniſtro alapa percuſſus, *Joan. XVIII. v. XXIII.* *Si male locutus ſum, teſtimonium perbibe de malo, ſi autem bene, quid me cædis?* Pariter contra Novatores in fide multum ſtringit iſtud Dilemma: *vel a morte Chriſti, uſque ad*

ad tempora LUTHERI & CALVINI, *defecit Ecclesia a fide; & doctrina* CHRISTI, *ejusque* EVANGELII, *vel non defecit? si defecit:* ergo vel per *impotentiam*, vel per *infidelitatem* Christus deseruit sponsam suam Ecclesiam, nec fidem servavit datam, *Math. XVI. v. XVIII. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Si vero *non defecit?* ad quid prætensa REFORMATIONE opus erat? Si *Dilemma* plura membra quam duo habeat, alia quoque sortitur nomina, scilicet *trilemma*, si tria, *tetralemma*, si quatuor membra habeat &c.

IV. SORITES, græce σωρίτης, hoc est, *acervalis syllogismus*, est argumentatio, in qua *per continuam propositionum seriem prædicatum* præcedentis semper assumitur in *subjectum* propositionis subsequentis, donec tandem per legitimam conclusionem (si *omnes* succedentes sibi propositiones *veræ* sint) *prædicatum* ultimæ propositionis de *subjecto* primæ inferatur. e. g. *Omnis anima humana est ens simplex, omne ens simplex est indivisibile, omne ens indivisibile est indestructibile, omne ens indestructibile perpetuo durat: ergo anima humana* Sorites.

mana perpetuo durat. Item: *Homo est animal, animal est sensitivum, sensitivum est vivens, vivens est substantia: ergo homo est substantia.* Sed attendi debet 1 ne omnes propositiones sint *negantes.* 2. Ne *æquivoca* propositio immisceatur, aut *falsa*: Sic non quadrat: *Qui bene bibit, bene dormit, qui bene dormit, non peccat &c.* confunditur enim status *physicus* cum *morali.*

Enthymema. V. ENTHYMEMA, est argumentatio, in qua ex *antecedente*, vel una præmissa (CLXVI.) infertur conclusio, seu *consequens* (n. c.) nomen habet a græco verbo Ενθυμέομαι, *cogito*, eo quod semper una ex duabus præmissis (quæ in syllogismo *explicite* ponuntur) *in mente* retineatur, ut in *Arithmetica* contingit. e. g. *Homo est animal: ergo est vivens*; subintelligitur enim hæc propositio: *omne animal est vivens* (unde natum est illud: *Enthymema in ore, est syllogismus in mente*) sic etiam ex illo Enthymemate *Rom. VII. v. XXV.* & *VIII. v. I.* ubi dicitur: *Gratia DEI per JEsum Christum est: nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU*, recte sequitur, nec *gratiam* cum *damnatione*, aut ejus

cau-

causa, scilicet *peccato*, in baptizato, aut *per pœnitentiam* reconciliato, simul consistere posse, adeoque *peccati maculam* non tantum TEGI (ut LUTHERANI docent) sed penitus TOLLI.

VI. SYLLOGISMUS denique, tanquam nobilissima argumentationis species, est *oratio*, *constans tribus terminis*, *in qua ex duabus præmissis infertur conclusio.* Hæc *perfectissima ratiocinii species* tota quanta in acceptis referenda est ARISTOTELI; PLATO enim, & priores Philosophi fere omnes tantum per *dialogos* philosophabantur, ut eorum scripta, quæ supersunt, testantur. Vocabula autem συλλογίζειν, & συλλογίζεσθαι, latine *computo*, *cogito*, *concludo*, ex scholis pariter *Arithmeticis* ad Logicos transiere; quemadmodum enim *Arithmeticus* ex datis *duabus* quantitatibus *cognitis tertiam incognitam* elicit, ita intellectus, quoties *ratiocinatur*, ex comparatione *duarum idearum* cum *tertia* colligit, an illæ sint conjungendæ, nec ne? de SYLLOGISMO specialius & pluribus nunc agendum. Syllogismus.

SECTIO II.

DE SYLLOGISMO IN SPECIE, EJUSQUE PRINCIPIIS, ET MATERIA.

Syllogiſmi idea ex ædificio.

CLXIX. Ut totum *Syllogiſmi artificium* facilius capiatur, poteſt ſibi Logices tyro illum imaginari, ſub ÆDIFICII cujusdam imagine; nam quidquid ad *ædificii* conſtructionem concurrit, id omne ad *ſyllogiſmum* quodammodo confluit. Ad *ædificium* nempe requiritur. 1. *Fundamentum*. 2. *Materia*, ex qua ædificium conſurgit. 3. *Forma*, ſive apta materiæ *diſpoſitio*. 4. *Regulæ*, ad quas ædificium conſtruitur. Hæc omnia pariter in *ſuo genere*, ad ſyllogiſmum legitime conficiendum, neceſſaria ſunt. Et in *hac* quidem *ſectione*, de *primis* duobus requiſitis, in ſequentibus autem duabus *ſectionibus*, de *reliquis* agemus.

Fundamentum ſyllogiſmorum.

CLXX. FUNDAMENTUM Syllogiſmi voco illa *principia*, quibus tanquam *fundamentis* tota *ſyllogiſmi ſtructura* innititur. Sunt autem duplicis generis 1. *Logica*, & 2. *Metaphyſica*, quæ ambo

bo ultimate in hoc *contradictionis principio* fundantur: IDEM NEQUIT SIMUL ESSE, ET NON ESSE. PRINCIPIA LOGICA sunt 1. DICTUM DE OMNI, vi cujus, quidquid *affirmatur* de idea *universali* (XXXVI.) sumpta secundum integram suam *extensionem* (XXXVII.) *affirmari* etiam potest de quovis *contento* sub illa; & 2. DICTUM DE NULLO, quod fundat syllogismos *negativos*, facitque e diverso, ut quidquid *negatur* de idea *universali*, sumpta secundum totam suam *extensionem*, *negetur* de omni eo, quod in *extensione* (n. c.) ipsius ideæ continetur. Exemplum *primi* habetur in isto syllogismo: *Omnis bellua sentit: atqui Leo est bellua: ergo Leo sentit.* Quia hic de OMNI bellua *affirmatur* τὸ SENTIRE, idipsum quoque de LEONE, qui CONTINETUR sub *natura belluina*, similiter *affirmari* potest. Exemplum *secundi* est hic syllogismus: *Nulla bellua ratiocinatur: atqui Leo est bellua: ergo Leo non ratiocinatur.* Quia *negatur* de OMNI bellua, quod RATIOCINETUR, etiam de LEONE, *qui* CONTINETUR sub BELLUA, id juste *negatur*. PRINCIPIA METAPHYSICA pariter sunt duo. 1. *Affirmativum*, quod

Principia Logica: Dictum de omni.

Dictum de nullo.

Principia Metaphysica.

ſic habet: QUÆCUNQUE SUNT EADEM UNI TERTIO, SUNT EADEM INTER SE. In eo fundantur ſyllogiſmi *affirmativi*, habetque hunc ſenſum: *quando duo identificantur cum aliquo* (quod *tertium* hic dicitur) *adæquate*, *ſecundum rem*, *& rationem ſumpto*, *etiam identificantur inter ſe*, & *ratio* eſt, quia in omnibus *affirmativis* ſyllogiſmis, debet eſſe *connexio extremorum cum termino medio*, ut inferri queat in concluſione *connexio extremorum inter ſe.* Sic v. g. ſi duo, nempe A & B, adæquate identificantur cum C, identificantur quoque A & B inter ſe. 2. NEGATIVUM, pro ſyllogiſmis *negativis*, ita ſonat: QUÆCUNQUE DISTINGUUNTUR IN EODEM TERTIO, DISTINGUUNTUR ETIAM INTER SE. Et ſenſus eſt: *quando unum identificatur cum aliquo*, *& ab hoc alterum diſtinguitur*, *tunc illud unum*, *& hoc alterum etiam diſtinguuntur inter ſe.* Nam in *negativis* debet eſſe *diſtinctio unius* extremi *a* termino medio, & *connexio alterius cum* termino medio, ut *extrema* legitime diſtingui poſſint in concluſione inter ſe. v. g. In hoc ſyllogiſmo: *nullus Leo eſt rationalis*: *ſed Cajus eſt rationalis*: *Ergo Cajus non eſt Leo.* *Cajus* identificatur cum RATIONALI,

tan-

tanquam *tertio*, cui eidem *Leo* non identificatur. *Ergo Leo & Cajus inter se distinguuntur.* NOTA tamen, aliud esse *distingui* IN 3tio, & aliud *distingui* A *tertio*; *rationale* enim v. gr. & *risibile* non distinguuntur INTER se realiter, licet A *lapide*, aut *Leone &c.* sic distinguantur, quia non distinguuntur IN eodem tertio, sed potius *realiter identificantur*. e. g. In hoc syllogismo: *Nullus lapis est rationalis: atqui risibile est rationale: ergo nullum risibile est lapis.*

CLXXI. *Scholion.* Principia duo *priora* ideo vocantur LOGICA, quia considerantur tantum secundum *prædicari*, sive DICI, ut de *universali Logico* pariformiter dictum est (XXXVII.) *posteriora* dicuntur METAPHYSICA, quia ad hanc scientiam rerum IDENTITAS atque DISTINCTIO pertinet. Cæterum volunt nonnulli, quod principia duo *metaphysica* a *Logicis re* non differant, sed *verbis* tantum; nam (inquiunt) quæ per affirmationem sive prædicationem (vi *dicti de omni*) conjunguntur, hoc ipso etiam *identificantur*, & econtra (vi *dicti de nullo*) *distinguuntur.* Principia, cur vocentur Logica, cur Metaphysica?

Materia Syllogismorum. CLXXII. MATERIA Syllogismorum, *ex qua* coalescunt, alia est REMOTA, alia PROXIMA. *Primam* efficiunt TERMINI, qui tres numerantur, nempe *Majus extremum*, *Minus extremum*, & *terminus medius*. *Secundam* constituunt tres PROPOSITIONES, quæ vocantur *Major*, *Minor*, & *Conclusio*. Et ex *terminis* quidem Syllogismus MEDIATE, ex *propositionibus* vero IMMEDIATE componitur.

Majus extremū. Minus extremū. Medius terminus. CLXXIII. MAJUS EXTREMUM ille *terminus* vocatur, qui in *prima figura* de medio termino *prædicatur* in præmissis; alter vero, *de quo* prædicatur *medius terminus*, dicitur MINUS EXTREMUM. *In secunda* autem & *tertia figura* ille terminus est MAJUS EXTREMUM, qui in conclusione est *prædicatum*, & qui in eadem est *subjectum* erit MINUS EXTREMUM. TERMINUS MEDIUS appellatur, *qui bis ponitur in præmissis*, sive, in quo *ratio sufficiens* continetur, cur prædicatum conclusionis cum subjecto connectatur. e. g. In hoc syllogismo: *quæcunque lingua Scripturæ sacræ interpretandæ inservit illa est utilis; atqui græca lingua Scripturæ sacræ interpretandæ inservit: ergo Græ-*

ca

ca lingua est utilis. τὸ UTILIS est *Majus extremum*, τὸ GRÆCA LINGUA est *minus extremum*, τὸ *quia sacræ Scripturæ interpretandæ inservit*, est *medius terminus*, sive *ratio sufficiens*, CUR *Græca lingua sit utilis? Prædicatum* de cætero ideo denominatur *majus extremum*, quia est majoris *extensionis*, & potest ad *plura* applicari, quam subjectum.

CLXXIV. Ex tribus propositionibus Syllogismi (CLXXII.) 1. MAJOR vocatur illa, in qua est *majus extremum.* e. g. In allato Syllogismo *propositio prima* est *Major*, quæ a CICERONE quoque dicitur κατ᾽ ἐξοχήν· quasi *per Excellentiam.* 2. MINOR est illa propositio, in qua *minus extremum* continetur, ab aliis etiam *Assumptio* nominatur. 3. CONCLUSIO denique est ea syllogismi propositio, quæ ex *Majore*, & *minore extremo* coalescit. Major. Minor. Conclusio.

CLXXV. *Scholion.* Si in Syllogismo aliquo *uni* ex his tribus propositionibus, vel *utrique* præmissæ, compendii causa, addatur *probatio*, tunc ille syllogismus EPICHEREMA dicitur, græ-

Epicherema quid sit? ce Ἐπιχείρημα, id est *aggressio*, vel *ratiocinatio*. e. g. Si dico; *omne bonum est amandum* (Major) *voluntas enim non nisi in bonum fertur* (probatio Majoris) *sed* DEUS *est bonus* (minor) *cum ab illo, veluti fonte, singula bona profluant* (probatio minoris) *ergo* DEUS *est amandus* (conclusio) Hæc argumentatio *Rhetoribus* maxime in usu est. At sumitur *Epicherema* etiam in alio sensu, nempe pro tali argumentatione, in qua per *unicam propositionem* enunciatur totum argumentum, e. g. in hac TULLII propositione; *Servus Dominum accuset?* quæ facit hunc sensum: *Servus non debet accusare Dominum: sed iste est Servus ergo non debet accusare Dominum.*

SECTIO III.

DE FORMA, ET REGULIS SYLLOGISMORUM.

Forma Syllogismi. CLXXVI. PEr FORMAM Syllogismorum intelligitur *apta dispositio materiæ Syllogismi*, quæ itidem duplex est, scilicet vel *materiæ remotæ* (CLXXII.) & dicitur FIGURA, vel *materiæ proximæ*, & MODUS nominatur, de quo *in sect. seq.*

CLXXVII.

CLXXVII. Figura est *apta medii cum extremis ad concludendum dispositio*, quæ juxta communiorem Logicorum sententiam triplex esse potest, nam 1. *Medius terminus* semel in præmissis potest esse *subjectum*, & semel *prædicatum*, atque tunc erit *prima* figura. 2. Vel in *utraque* præmissa est prædicatum, estque *secunda* figura. 3. Vel denique in *utraque* præmissa medius terminus est *subjectum*, & inde oritur *tertia* figura, conformiter his versibus memorabilibus: Figura est triplex.

Prædicat, & subicit medium sibi prima figura,
Prædicat altera *bis*, tertia *bis subicit.*

Vel brevius.

Sub præ 1ma, *sed* altera *bis præ:* 3tia *bis sub. E. g.*

In I. Fig.

Omne animal *est mortale*,
Omnis Leo est animal:
Ergo omnis Leo est mortalis.
sub præ. prima.

In II. Fig.

Nullus lapis est animal,
Omnis homo est animal:
Ergo nullus homo est lapis.
bis præ. altera.

In III. Fig.

Omnis homo *est animal*,
Omnis homo *est substantia*:
Ergo aliqua substantia est animal.
bis sub. tertia.

CLXXVIII.

Figura Galeni non differt à prima essentialiter.

CLXXVIII. Tribus hisce figuris addidit GALENUS Medicus *quartam*, quæ ab ipso, tanquam inventore, dici solet GALENICA, & consistit in hoc, quod in *prima figura* MAJOR ponatur loco MINORIS, & MINOR loco MAJORIS, seu quod terminus *Medius* fiat *prædicatum* in majore, & *subjectum* in minore. e. g. *Omnis Angelus est spiritus, omnis spiritus est substantia: ergo aliqua substantia est Angelus*, loco quod poni deberet: *omnis spiritus est substantia: omnis Angelus est spiritus &c.* Reijcitur autem hæc figura, quia à prima *accidentaliter* tantum, & non *essentialiter* differt; nam cum in ista figura adhuc 2da propositio contineat *majus extremum* (CLXXIII.) Illaque ideo fit *major* (CLXXIV.) Vere *Medius terminus subijcitur* in majori, & *prædicatur* in minore, prout ad figuram *primam* requiritur (CLXXVII.) & consequenter *figura* hæc *Galenica* habet tantum aliam *dispositionem propositionum*, non autem *medii termini*, quæ sola *figuram novam* constituit (CLXXVII.)

Figura prima est omnium nobilissima.

CLXXIX. *Corollar.* Harum figurarum *primam* esse præstantissimam, maxi-

ximeque naturæ consentaneam, patet *primo*, quia in *secunda* figura (ut ex (MODIS) *sect. seq.* apponendis patebit) conclusio semper est *negativa*, & in *tertia* semper *particularis*: at in *prima* figura, propositiones *cujusvis generis* collocantur, nempe *universalis affirmativa*, *universalis negativa*: itemque *particularis affirmativa*, & *particularis negativa*. *Secundo*, quia in ea servatur enunciatio *directa* (L.) nam *majus extremum* de termino *medio* enunciatur in *majore*, & *medius terminus* de *minori extremo* prædicatur in *minore*. *Tertio*, quia in ea *medius terminus* suo *proprio* loco collocatur; nempe *inter utrumque extremum*, ut examinanti innotescet, qua de causa etiam sola ista *prima figura* nonnullis ad legitime ratiocinandum *sufficiens* esse videtur.

CLXXX. REGULÆ Syllogismorum vocantur illæ *Leges*, quæ *terminos* ac *propositiones* in Syllogismo dirigunt, & aliæ quidem ad Syllogismum *simplicem*, sive *categoricum*, qui meris constat propositionibus *simplicibus* (CXXVIII. 3.) aliæ ad syllogismum *compositum*, qui *compositis*

Regula Syllogismorum. Syllogismus simplex, Compositus.

sitis propositionibus (n. c. 4.) constat, dirigendum spectant. De Regulis syllogismi *simplicis* (ad quem etiam spectat syllogismus *expositorius*, qui constat medio *singulari*) nunc agemus, sed Regulas ad syllogismum *compositum* spectantes, *Sect. V.* declarabimus. Sunt autem ex istis Regulis aliquæ, quæ TERMINOS IN COMMUNI, aliæ, quæ TERMINUM MEDIUM, item aliæ, quæ duas *propositiones priores*, seu PRÆMISSAS, aliæ denique, quæ ipsam CONCLUSIONEM attinent. Agamus de singulis.

Expositorius.

Regulæ Generales Syllogismi Categorici.

I.

PRO TERMINIS IN COMMUNI.

CLXXXI. REGULA UNICA. TUM RE, TUM SENSU TRIPLEX MODO TERMINUS ESTO.

Non adsint in Syllogismo 4. termini.

Id est: *in omni syllogismo categorico non sint plures, nec pauciores termini, quam tres.* Fundatur hæc Regula *in principiis me-*

metaphysicis (CLXX) quia in omni Syllogismo ex *identitate duorum cum tertio*, aut *distinctione duorum in tertio*, colligitur illorum *identitas*, aut *distinctio inter se*. Contra hanc Regulam error committitur, quotiescunque vel *medius terminus*, vel *unum extremorum* sumitur in *diverso sensu*, ita scilicet, ut aut fiat *æquivocatio* (LXXXIII.) aut mutetur *suppositio* (CXVIII. & *seq.*) *restrictio* (XCIV.) *ampliatio* (XCIII.) *appellatio* (XCVI.) *status* (XCIII.) *significatio*, aut *casus*, scilicet *rectus in obliquum*, vel *econtra* &c. 1. Hinc fallunt sequentes syllogismi: *Omnis spiritus est intellectu & voluntate præditus: atqui spiritus vini est spiritus: ergo est intellectu & voluntate præditus.* 2. *Qui laborat dentibus, indiget Chirurgo, sed qui strenue vorat, laborat dentibus: ergo, qui strenue vorat, indiget Chirurgo.* Sumitur enim utrobique *medius terminus æquivoce.* 3. *Cæci vident* (juxta Evangelium) *sed qui carent visu, sunt cæci: ergo qui carent visu, vident.* τὸ Cæci in M. per *ampliationem*, & in conclusione per *statum* sumitur. 4. *Duo & tria sunt par & impar: sed duo & tria sunt quinque: ergo quinque sunt par & impar.* In M. *duo & tria* sumun-

muntur *distributive*, in. m. *collective*. 5. *Anima non est corpus*: *sed Petrus habet animam*: *ergo Petrus non habet corpus*. In M. *corpus* sumitur in casu *recto*, in conclusione in *obliquo* &c.

II.

PRO MEDIO TERMINO.

Medius terminus debet in præmissis perfectes distribui.

CLXXXII. Reg. prima. aut semel aut iterum Medium generaliter esto.

Sensus est, quod Terminus *medius* (CLXXIII.) vel in *utraque*, vel in *alterutra præmissa* sumi debeat *universaliter* (vel *formaliter*, vel saltem *æquivalenter*) nam si medius terminus cum *neutro* extremo jungeretur *universaliter*, tunc posset cum *uno* jungi secundum unam *partem*, & cum *altero* secundum *alteram partem*, & consequenter duo extrema in conclusione non possent inter se *identificari*, aut *separari*; quia non *una eademque* pars, sed *duæ* potius utrique conclusionis termino unirentur, aut separarentur. Sic fit in hoc syllogismo: *aliquis homo est pius*: *sed aliquis homo est latro*; *ergo aliquis latro est pius*; nam vox Homo, cum pro *diversis* hominum *partibus* sumatur, unire non potest *latronem* & *pium*,

pium, quia *unus idemque* homo non est *pius*, & *latro*. Fallunt quoque sequentes. 1. *Pater est natura divina : filius est natura divina : ergo filius est Pater:* quia NATURA non sumitur adæquate pro *omni* eo, quod dicit in Patre, scilicet una cum adjuncta illi personalitate. 2. *Omnis contradictionis pars altera est vera : atqui Pars altera est falsa: ergo Pars falsa est vera.* 3. *Omnis homo primum bonum vinum ponit (Joan. II. v. X.) sed noster caupo non ponit primum bonum vinum : ergo non est homo.* In hoc ultimo *terminus medius* nec in M *distribuitur*, cum ibi sit *prædicatum*, quod *particulariter* tantum supponit in propositione *affirmativa* (CI.) neque in m, ut de se patet. Nempe ut *medius terminus* distribueretur, deberet syllogismus ita formari : *omnis, qui non ponit vinum bonum, non est homo, sed noster caupo &c.* Tunc autem M. esset aperte *falsa*, & nullibi in S. Evangelio scripta. &c.

CLXXXIII. REG. II. NUNQUAM COMLPECTI MEDIUM CONCLUSIO DEBET.

Nec debet ingredi conclusionē.

Hoc est: *Medius terminus non debet ingredi conclusionem.* *Ratio* est, quia

terminus *Medius* solum assumitur ad probandam *identitatem extremorum inter se*, non vero ad probandam identitatem *unius extremi cum ipso medio*, alias idem probaretur per idem, & *eadem* tantum *propositio* in conclusione repeteretur. e. g. *Omnis arbor perdit folia in hyeme: sed quercus est arbor: ergo aliqua arbor perdit folia.* Vel: *omne animal est vivens, omne vivens est substantia: ergo aliquod animal est vivens.* Licet enim *consequens* hoc verum sit, non tamen ex *præmissis* sequitur, sed est simplex *consequentia* respectu *majoris*, respectu cujus est *subalternata*. (CLVII.)

III.

PRO PRÆMISSIS.

CLXXXIV REG. I. NIL SEQUITUR PURIS EX PARTICULARIBUS UNQUAM.

Ex meris particularibus nil sequitur vi formæ.

Sensus est, quod vi formæ (CLXVII.) ex præmissis mere *particularibus* in conclusione nihil legitime inferri queat. Nam tunc nihil sumitur *sub subjecto distributo*; vel enim *ambæ* præmissæ particu-

ticulares sunt *affirmativæ*, & tunc *medium non distribuitur* (CLXXXII.) vel *una* est *negativa*, & tunc in conclusione *plus infertur*, & prædicatur, *à non distributo ad distributum* (CLXXXVI.) exemplum primi est hic syllogismus: *aliquod animal est brutum, aliquod animal est homo: ergo aliquis homo est brutum.* Exemplum 2di est iste: *aliquod rotundum est circulus: aliqua figura non est rotunda: ergo aliquis circulus non est figura.* Adeoque in syllogismo constante meris particularibus nec servantur principia *Logicæ*, nec *Metaphysicæ* (CLXX.)

CLXXXV. REG. II. UTRAQUE SI PRÆMISSA NEGET, NIHIL INDE SEQUETUR.

Neque ex puris negativis.

Sive, *ex puris negativis nihil sequitur vi formæ.* In his enim nec *identitas affirmari*, nec etiam *negari* potest. *Affirmari* non potest, quia in *præmissis* duo nunquam fuerunt *identificata uni tertio*, nec etiam *negari*, quia *in uno tertio* nunquam fuerunt *distincta*, ut in hoc syllogismo: *nullus equus potest servare mandata DEI: sed nullus Lutheranus est equus: ergo nullus Lutheranus*

potest servare mandata DEI. Si vero particula NON esset mere *infinitans* (LXXXVIII.) propositio una foret *affirmativa*, ex qua dein aliquid legitime inferri posset.

IV.

PRO CONCLUSIONE.

CLXXXVI. REG. I. QUANTUM PRÆMISSÆ, REFERAT CONCLUSIO SOLUM.

Nil debet distribui in conclusione.

Sensus est, *nil debere distribui in conclusione, quod non fuit distributum in præmissis*, sive non licere distribuere, vel *sumere universaliter* terminum in consequente, qui non fuit distributus, vel *universaliter sumptus* in præmissis; nam terminus non distributus est *particularis*, *à particulari* autem *ad Universale* consequentia non valet (CLXXXVII.) eoquod extrema eatenus sint eadem *inter se*, quatenus sunt eadem *uni tertio* (CLXX) hinc non valent sequentes Syllogismi. 1. *Omne animal rationale sentit: omne animal rationale est substantia: ergo omnis substantia sentit.* 2. *DEUS est invocandus*,

dus; sed nullus Sanctus est DEUS: *ergo nullus Sanctus est invocandus.* 3. *Omnis Civitas est in mundo: sed nullus pagus est civitas: ergo nullus pagus est in mundo.* In his omnibus *majus extremum* in *præmissis* NON DISTRIBUITUR, distribuitur tamen in *conclusione*: nam in primo syllogismo *minor* sic sonat: *omne animal rationale est* ALIQUA *substantia*, & *conclusio* dicit: OMNIS *substantia.* In *secundo* autem Syllogismo *major* ita exponitur: *DEUS est* ALIQUIS, *qui est invocandus*: in conclusione autem infertur: *ergo* NULLUS *Sanctus est* ALIQUIS, *seu nullus est, qui sit invocandus &c.*

CLXXXVII. REG. II. PEJOREM SEMPER SEQUITUR CONCLUSIO PARTEM.

Sive *Conclusio sequi debet partem debiliorem*: id est, si una præmissa fuerit *particularis*, aut *negativa*, tunc etiam conclusio talis esse debet; alias, quippe *effectus* esset *nobilior* sua *causa*; nam *connexio duorum inter se* in conclusione esset amplior, & *fortior*, quam fuisset in præmissis *cum tertio.* e. g. *Omnis, qui bene dicit, bene cogitat: atqui aliquis homo bene dicit: ergo omnis*

Conclusio sequitur partem debiliorem.

potest servare mandata DEI. Si vero particula NON esset mere *infinitans* (LXXXVIII.) propositio una foret *affirmativa*, ex qua dein aliquid legitime inferri posset.

IV.

PRO CONCLUSIONE.

CLXXXVI. REG. I. QUANTUM PRÆMISSÆ, REFERAT CONCLUSIO SOLUM.

Nil debet distribui in conclusione.

Sensus est, *nil debere distribui in conclusione, quod non fuit distributum in præmissis*, sive non licere distribuere, vel *sumere universaliter* terminum in consequente, qui non fuit distributus, vel *universaliter sumptus* in præmissis; nam terminus non distributus est *particularis*, *à particulari* autem *ad Universale* consequentia non valet (CLXXXVII.) eoquod extrema eatenus sint eadem *inter se*, quatenus sunt eadem *uni tertio* (CLXX) hinc non valent sequentes Syllogismi. 1. *Omne animal rationale sentit: omne animal rationale est substantia: ergo omnis substantia sentit.* 2. *DEUS est invocandus*,

dus; sed nullus Sanctus est DEUS: ergo nullus Sanctus est invocandus. 3. *Omnis Civitas est in mundo: sed nullus pagus est civitas: ergo nullus pagus est in mundo.* In his omnibus *majus extremum* in *præmissis* NON DISTRIBUITUR, distribuitur tamen in *conclusione:* nam in primo syllogismo *minor* sic sonat: *omne animal rationale est* ALIQUA *substantia*, & *conclusio* dicit: OMNIS *substantia.* In *secundo* autem Syllogismo *major* ita exponitur: *DEUS est* ALIQUIS, *qui est invocandus:* in conclusione autem infertur: *ergo* NULLUS *Sanctus est* ALIQUIS, *seu nullus est, qui sit invocandus &c.*

CLXXXVII. REG. II. PEJOREM SEMPER SEQUITUR CONCLUSIO PARTEM.

Sive *Conclusio sequi debet partem debiliorem:* id est, si una præmissa fuerit *particularis*, aut *negativa*, tunc etiam conclusio talis esse debet; alias, quippe *effectus* esset *nobilior* sua *causa*; nam *connexio duorum inter se* in conclusione esset amplior, & *fortior*, quam fuisset in præmissis *cum tertio.* e. g. *Omnis, qui bene dicit, bene cogitat: atqui aliquis homo bene dicit: ergo omnis* Conclusio sequitur partem debiliorem.

homo bene cogitat. Vel: *nulla planta est animal: atqui quercus est planta: ergo quercus est animal.* Nempe DICTUM DE NULLO requirit 1. Propositionem, qua B. negatur de A. (quæ est *major propositio*, adeoque *negativa*) 2. Requirit propositionem, qua ostenditur, seu affirmatur, C contineri sub A (quæ est *minor propositio*, adeoque *affirmativa*) 3. petit propositionem, qua negatur C de A. (quæ est *conclusio*, adeoque *negativa*)

CLXXXVIII. *Corollar.* Ex hac Regula deducitur etiam ista altera, ut, *si utraque præmissa fuerit affirmativa, conclusio non sit negativa* (AFFIRMANS PRIMAS, RELIQUAS ABSISTE NEGARE) quippe non potest inferri in conclusione *disconvenientia*, si fuerit in præmissis prædicata *convenientia.* Inde non valet: *omnis homo est animal rationale: omne animal rationale est substantia: ergo aliquis homo non est substantia.* Sic econtra, si *ambæ* præmissæ fuerint *negativæ*, conclusio *affirmativa* esse prorsus nequit. Atque hæ sunt regulæ Syllogismorum *generales*, sequuntur jam

V. Re-

V.

REGULÆ SYLLOGISMORUM SPECIALES PRO SINGULIS FIGURIS (CLXXVII.)

CLXXXIX. REGULA pro PRIMA FIGURA hæc est: SIT MINOR AFFIRMANS, NEC MAJOR SIT SPECIALLIS. Regulæ speciales pro prima Figura.

Ratio primi est, quia si *minor* esset negativa, etiam conclusio talis syllogismi deberet esse negativa. (CLXXXVII.) ergo illius *prædikatum distribueretur*, juxta regulas *suppositionum* (CL.) quod tamen non fuisset distributum in *majore*, quia illa deberet esse *affirmativa*. (CLXXXV. 9) adeoque syllogismus peccaret contra (CLXXXVI.) *Ratio secundi* est, quia si *Major* foret *particularis*, etiam *terminus medius*, qui est illius *subjectum* (CLXXVIII.) esset *particularis* (CXXXI. 2.) cumque sit *prædicatum minoris* (n. c.) quæ debet esse *affirmans* (juxta *Modos primæ figuræ*) in ea iterum esset *particularis*, quod est contra (CLXXXIV.)

Pro secunda Figura.

CXC. Reg. Pro secunda Figura est sequens: una negans præeat, nec Major sit specialis.

Ratio primi est, quia alias *medium*, utpote *bis prædicatum* (CLXXVII.) non distribueretur, *prædicatum* enim *affirmativum* non distribuitur (CI.) ut in hoc syllogismo videre est: *omnis homo est vivens: omne brutum est vivens, ergo omne brutum est homo.* Adeoque peccat contra (CLXXXII.) *Ratio secundi* est, quia si Major esset *particularis*, procederetur *a non distributo ad distributum*: cum *conclusio* debeat esse *negativa* (juxta *Modos secundæ figuræ*) & sic majus extremum distribui (CI.) quod tamen non distributum esset in *Majore*, utpote *particulari*. Consequenter syllogismus erraret contra. (CLXXXVI.)

Pro tertia Figura.

CXCI. Reg. pro tertia Figura est ista: Sit minor affirmans, Conclusio sit specialis.

Ratio primi est eadem, ac in *prima figura* (CLXXXIX.) *Ratio secundi* est, quia, cum Minor sit affirmans (juxta *Modos tertiæ figuræ*) minus extremum, quod est prædicatum in

minore

minore (CLXXVII.) sumitur *particulariter* (CI.) ergo ut pariter *particulariter* sumatur in conclusione, in qua est *subjectum*. (CLXXIII.) Conclusio debet esse particularis, alias ageretur contra (CLXXXVI.)

REGULA UNIVERSALIS PRO OMNIBUS SYLLOGISMIS.

Regula universalis.

CXCII. QVoniam (ut inquit Cl. P. Fort. a Brix. *Log. Part. III. Sect. VI.*) syllogismorum simplicium regulæ, modo enarratæ, eo *levioris* in *praxi* solent esse momenti, quo *subtiliores* existunt, ac ferme nunquam contingit, ut argumentando ad eas animum reflectamus, hinc ipse cum multis aliis omnes syllogismorum leges ad hoc *unicum* generale principium revocat, quod ita sonat: Una præmissarum Syllogismi conclusionem contineat, altera vero palam ostendat, conclusionem in illa contineri. Quam regulam sic probat; cum enim (inquit *loc. cit.*) conclusio ex præmissis sequatur veluti *effectus* a sua *causa* (CLXXIV.) debet necessario una præmissarum conclusionem

nem ipsam *continere*, & quidem ob illud principium: DICTUM DE OMNI (CLXX.) quoniam porro ejusmodi *continentia* nequit esse *ex ipsis terminis nota* (alioquin conclusio non esset *diversa* a præmissis) debet altera præmissarum continentiam ipsam *manifestare*, ac veluti ante oculos ponere: ideoque una ex præmissis dici potest CONTINENS, altera EXPONENS. e. g. Hæc propositio: *omnis virtus DEO placet*, CONTINET istam: *humilitas DEO placet*, hæc autem: *humilitas est virtus*, ostendit, sive, EXPONIT, *inter virtutes humilitatem* CONTINERI.

Usus hujus Regulæ in Syllogismo affirmativo.

CXCIII. Servit hæc regula pro syllogismo tam *affirmativo*, quam *negativo*. Nam 1 in syllogismo *affirmativo* illa propositio, quæ *latius* patet, haberi debet pro CONTINENTE, & *particularis* EXPONENTE. Hinc fallit iste syllogismus: *Evangelium salutem spondet Christianis: quidam impii sunt Christiani: ergo Evangelium salutem spondet quibusdam impiis.* Nam conclusio in majore non continetur, quia non *omnibus* omnino *Christianis* salus promittitur, sed iis tantum, *qui servant omnia mandata DEI usque in finem*, quod in *impios* non cadit. 2 In

& Negativo.

syllogismo autem *negativo* propositio

CON-

CONTINENS est præmissa *negativa* qualiscunque (nam quia conclusio est propositio *negans*, non potest *negatio* in *affirmatione* contineri) EXPONENS vero est præmissa *affirmativa*. Sic fallit iste syllogismus: *omnis homo est animal: equus non est homo: ergo equus non est animal.* Quia conclusio in præmissa *negante* non continetur. Quotiescunque ergo conclusio in alterutra præmissarum non *adæquate*, secundum omnem *suppositionem*, *extensionem* &c continetur, syllogismus peccat, dum vel *plus* in conclusione infertur, vel *aliud* certe, quam in præmissis fuerat.

SECTIO IV.

DE SYLLOGISMORUM MODIS.

CXCIV. SIcut varia *dispositio medii termini* cum extremis FIGURA (CLXXVII.) sic varia dispositio *propositionum* secundum has 4 differentias, A. E. I. O. (CXXXI.) MODUS appellatur. Istæ autem 4 litteræ juxta regulas artis combinatoriæ 64 vicibus aliter disponi valent, nempe ut inde pro- Modus Syllogismorum? quid sit.

Modi possibiles. provenìat numerus cubicus radicis 4. en sequens schediasma!

AAA.	*EAA.* 7.	*IAA.* 7.	*OAA.* 7.
AAE. 8.	*EAE.*	*IAE.* 8.	*OAE.* 7.
AAI.	*EAI.* 7.	*IAI.*	*OAI.* 7.
AAO. 8.	*EAO.*	*IAO.* 8.	*OAO.*
AEA. 7.	*EEA.* 5.	*IEA.* 7.	*OEA.* 5.
AEE.	*EEE.* 5.	*IEE.* 7.	*OEE.* 5.
AEI. 7.	*EEI.* 5.	*IEI.* 7.	*OEI.* 5.
AEO. 2.	*EEO.* 5.	*IEO.* 3.	*OEO.* 5.
AIA. 7.	*EIA.* 7.	*IIA.* 4.	*OIA.* 4.
AIE. 8.	*EIE.* 7.	*IIE.* 4.	*OIE.* 4.
AII.	*EII.* 7.	*III.* 4.	*OII.* 4.
AIO. 8.	*EIO.*	*IIO.* 4.	*OIO.* 4.
AOA. 7.	*EOA.* 5.	*IOA.* 4.	*OOA.* 5.
AOE. 7.	*EOE.* 5.	*IOE.* 4.	*OOE.* 5.
AOI. 7.	*EOI.* 5.	*IOI.* 4.	*OOI.* 5.
AOO.	*EOO.* 5.	*IOO.* 4.	*OOO.* 5.

In his litteris juxta se positis semper ternis & ternis, prima littera MAJOREM, 2da MINOREM, 3tia CONCLUSIONEM indicat: porro si cui collibitum erit hos modos singillatim considerare, deprehendet, ex illis Modos 28, numeris 4 & 5 notatos, excludi per regulas (CLXXXIV. & CLXXXV.). 18, quibus subjectus est numerus 7, contradicere Regulæ (CLXXXVII.).

6. In-

6 indicatos per numerum 8, peccare contra regulam (CLXXXVIII.) modum signatum numero 3, esse contrarium Regulæ (CLXXXVI.) denique modum AEO, signatum numero 2, contineri in modo AEE, eoquod non possit in MINORE universaliter sumi *minus extremum*, quin etiam ita sumatur in conclusione, in qua est subjectum. Igitur cum exclusorum numerus sit 54, manent ex omnibus hisce modis tantummodo 10 legitimi, scilicet 4 affirmativi, & 6 negativi, suntque sequentes: Decem tantum sunt legitimi

4. *Affirmativi.*	*AAA.*	*EAE.*	6. *Negativi.*
	AII.	*AEE.*	
	AAI.	*EAO.*	
	IAI.	*AOO.*	
		OAO.	
		EIO.	

CXCV. *Scholion.* Hinc tamen non sequitur, *decem* tantum esse *syllogismorum genera*, quia ex *unico modo* plures fieri queunt syllogismi, *in diversis figuris*: possunt item in *prima* figura etiam *plures* dari syllogismi, *indirecte* tantum concludentes (in quibus nempe *majus extremum* in conclusione non est *prædi-*

dicatum, sed *subjectum*) quos nunc aliqui ex numero verorum syllogismorum expungunt, alii vero relinquunt: unde in scholis vulgo 19 Modi, sequentibus vocabulis, ut tyronum memoriæ consuleretur, metrice inclusi traduntur.

Modi	*Barbara, Celarent, Darii, ferio,* * *Baralipton,* 4. *Dir.*
1. Fig.	*Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum* * 5. *Indir.*
2. Fig.	*Cesare, Camestres, Festino, Baroco* * *Darapti,* 4. *Mod.*
3. Fig.	*Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison* * 6. *Mod.*

Logici Neoterici, qui modos *indirectos* primæ figuræ omittunt, cum Cl. P. Fort. à Brixia, & aliis, illas voces ita scribunt.

Barbara, Celarent, Darii, Ferioque præibunt.) *Modi* 1*ma Fig.*
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, sequentur.) 2*da Fig.*
Tertia postveniet rationum turba, Darapti
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo Ferison.) 3*tiæ Fig.*

CXCVI. *Corollarium.* Quoniam in prioribus illis versiculis, *Baralip*, & *Dabitis*, ad Darii. *Celantes* ad Celarent, *Fapesmo* ad Camestres, & *Frisesom*, ad Ferio reduci queunt; item quoniam *Cesare* sub Celarent, & *Festino* sub Ferio, *quoad litteras* continetur, denique quia etiam *Datisi* ad Darii, ac *Ferison* ad Ferio referri pos-

possunt, manifeste sequitur, dari tantum DECEM MODOS, seu *dispositiones propositionum secundum quantitatem & qualitatem* (CXCIV.) quamvis *in diversis figuris* secundum aliam medii termini cum extremis positionem iidem modi sæpius (nempe EAE, & AII bis, ac EIO ter) recurrere valeant. En Exempla!

Modorū Exempla.

Pro Fig. I.

BAr- *Omne vivens est substantia,*
bA- *Omnis homo est vivens:*
rA. *Ergo omnis homo est substantia.*

*

CE- *Nullus malæ fidei possessor potest præscribere:*
lA- *Omnis fur est malæ fidei possessor:*
rEnt. *Ergo nullus fur potest præscribere.*

*

DA- *Quidquid prodest ad salutem, bonum est:*
r I- *Sunt quædam afflictiones, quæ prosunt ad salutem:*
I. *Ergo quædam afflictiones sunt bonæ.*

*

fE- *Id, cujus postea oportet nos pœnitere, omnino non est desiderabile:*
r I- *Sunt quædā voluptates, quarū postea oportet nos pœnitere:*
O. *Ergo sunt quædam voluptates, quæ omnino non sunt desiderabiles.*

Pro

Pro II. Fig.

cE- Nullus, qui potest testari, est minorennis:
sA- Omnis infans est minorennis:
rE. Ergo nullus infans potest testari.

*

cA- Omnes, qui sunt JESU CHRISTI, crucifigunt suam carnem:
mEs- Omnes, qui agunt vitam mollem ac voluptuariam, non crucifigunt suam carnem:
trEs. Ergo nullus eorum est JESU CHRISTI.

*

fEs- Nulla virtus est contraria amori veritatis:
t I- Est quidam amor pacis, qui est contrarius amori veritatis:
n O. Ergo est quidam amor pacis, qui non est virtus.

*

b A- Omnis virtus prudentiam comitem habeat:
r O- Est quidam Zelus, non habens prudentiam comitem:
c O. Ergo quidam Zelus non est virtus.

Pro III. Fig.

d A- Omne testamentum requirit septem testes:
r Ap- Omne testamentum est ultima voluntas:
t I. Ergo aliqua ultima voluntas requirit septem testes.

*

El- Nullum vitium animi tranquillitatem promovet:
Ap- Omne vitium inest homini:
tOn. Ergo quoddam, quod inest homini, animi tranquillitatem non promovet.

dI-

*

d I- Quidam impii divitiis affluunt:
ſA- Omnes impii ſunt miſeri:
m Is- Ergo ſunt aliqui miſeri, qui divitiis affluunt.

*

d A- Omnes DEI amici ſunt Reges:
t I- Quidam DEI amici ſunt egeni:
s I. Ergo quidam egeni ſunt Reges.

*

bOc- Quidam affectus non eſt bonus:
Ar- Omnis affectus eſt appetitus:
dO. Ergo quidam appetitus non eſt bonus.

*

FEr- Nullæ ineptiæ ſunt elegantes:
I- Sunt quædam ineptiæ figuratæ:
ſOn. Ergo ſunt quædam figurata, quæ non ſunt elegantia.

SECTIO V.

DE SYLLOGISMIS COMPOSITIS, EORUMQUE REGULIS.

CXCVII. TOtuplicis generis dantur SYLLOGISMI COMPOSITI, quotuplicis generis fieri poſſunt *propoſitiones* COMPOSITÆ (CXXVIII.) ex quibus coaleſcunt. (CLXXX.) Unde non eſt opus longam hic eorundem ſeriem

per exempla texere, quæ ex supra dictis (CXXVIII.) facile intelligi possunt, sed hoc loco tantummodo Regulas, quibus diriguntur, *magis necessarias*, ac *utiliores* recensebo: Est autem hæc

Regula Generalis pro Syllogismis compositis.

CXCVIII. REGULA GENERALIS PRO OMNIBUS SYLLOGISMIS COMPOSITIS. *Sillogismi compositi, qui resolvi possunt in* SIMPLICES, *legibus* SIMPLICIUM *diriguntur*; unde si valent *simplices*, etiam valent *compositi*. Sic v. g. hujus syllogismi vitium facile deprehendes: *Qui dicit te esse hominem, verum dicit: sed qui te dicit esse latronem, dicit te esse hominem, ergo qui te dicit esse latronem, verum dicit*, si illum ad *simplicem* reducas hoc modo: *Tu es homo, sed latro est homo: ergo tu es latro*: nempe per suppositionis mutationem in voce *homo* irrepunt 4. termini contra Reg. I. (CLXXXI.) quare *syllogismorum compositorum* infallibilitas nititur Regulis, & principiis, tum *generalibus*, tum *particularibus* syllogismorum *simplicium*, seu *categoricorum*. Attamen cum sæpe syllogismi compositi vix aut ne vix quidem ad Syllogismos simplices reduci queant, sequentes adhuc CANONES notentur.

CXCIX.

CXCIX. REGULA PRO SYLLOGISMO COPULATIVO est hæc: *Partes, quibus constat copulativa propositio, ita opposite esse debent, ut una affirmari non possit, quin negetur altera.* Sive NULLUM INTER PARTES DEBET DARI MEDIUM. Sic legitime concludunt isti syllogismi: NEMO POTEST DEO SERVIRE ET MAMMONÆ. *Math.* IV. *v.* XXIV. *atqui Avarus servit Mammonæ: ergo non servit DEO* Vel: atqui PAULUS APOSTOLUS *serviebat DEO: ergo non servivit Mammonæ.* Item: *Nemo potest esse capax adeundæ mox gloriæ cœlestis, & simul esse debitor saltem* NOVISSIMI QUADRANTIS. *Ex Math. V. v XXVII. sed justus decedens ex hac vita nondum soluto pœnarum temporalium debito, est debitor hujus novissimi quadrantis: ergo non est capax adeundæ mox gloriæ cœlestis,* & consequenter adhuc in *loco tertio*, quem PURGATORIUM vocant, ei expectandum esse, bene inferunt CATHOLICI. Econtra fallunt isti syllogismi: *Nemo potest esse Ratisbonæ, & Viennæ: sed Cajus non est Ratisbonæ: ergo est Viennæ.* Item: *furiosus, vel gulosus non servit Mammonæ: ergo servit DEO.* Datur enim *medium* inter hæc repugnantia, nam Cajus non *necessario* debet esse *Ratisbonæ*,

Regulæ particulares pro Syllogismo copulativo.

aut *Viennæ*, sed potest esse *alibi*: Sicut *furiosus* & *gulosus*, licet non serviant MAMMONÆ, possunt servire alicui 3*tio*, v. g. IRÆ, aut GULÆ.

Pro disjunctivo. CC. REGULA PRO SYLLOGISMO DISJUNCTIVO servit eadem, quæ mox data est (n. præc.) sic vere concludunt isti syllogismi: *vel anima est materialis, vel spiritualis: atqui materialis non est: ergo est spiritualis Vel* PETRUS *vel* PAULUS *fuit caput Ecclesiæ: sed Paulus non fuit: ergo Petrus fuit.* Econtra non tenent isti: *Vel Petrus, vel Paulus fuit Apostolus: sed Paulus fuit Apostolus: ergo Petrus non fuit.* Item: *Vel Sempronius, vel Cajus est rationalis: sed Sempronius est rationalis: ergo Cajus non est rationalis.* Et *ratio* est, quia in *prioribus* exemplis τὸ VEL sumitur *exclusive* (ita scilicet ut excludatur omne MEDIUM) at in *posterioribus* τὸ VEL sumitur tantum *præcisive*, in quo casu utrumque membrum potest esse verum (CXLII.) quia datur MEDIUM.

Pro Exclusivo. CCI. REGULA PRO SYLLOGISMO EXCLUSIVO statuitur hæc: *iste syllogismus legitime concludit, si illius conclusio* SECUNDUM TOTAM SUAM LATITUDINEM

latuit

latuit in præmiffis, ita ut non plus dicatur in conclufione, quam dictum eft in præmiffis. Vitiofus autem eft hic Syllogifmus: *nullum Sacramentum mortuorum eft inftitutum ab hominibus: fed folus Baptifmus, & pœnitentia funt Sacramenta mortuorum: ergo folus Baptifmus & Pœnitentia non funt inftituta ab hominibus;* Conclufio enim ita exponi debet: *Baptifmus, & Pœnitentia non funt inftituta ab hominibus, & omne aliud Sacramentum eft inftitutum ab hominibus* (CXXX.) fed hujus conclufionis *ultima Pars* non latebat in præmiffis: adeoque peccat contra (CLXXXVI.)

CCII. Regulæ pro Syllogismo conditionali. I. *Affirmato antecedente propofitionis* Conditionalis *in* Minore, *bene affirmatur illius confequens in conclufione, non tamen econtra.* Sic valet ifte Syllogismus: *fi DEUS eft juftus, punientur impii: fed DEUS eft juftus, ergo punientur impii.* Non autem hic: *Si omnes homines funt docti, tunc etiam Petrus eft doctus: atqui Petrus eft doctus: ergo omnes homines funt docti.* II. *Negato confequente propofitionis conditionalis in* Minore, *bene rejicitur* Pro conditionali.

 illius

illius ANTECEDENS *in conclusione*, nam *falsum* non nisi *ex falso* legitime sequitur. e. g. *Si quispiam electorum perit, tunc fallitur DEUS: atqui DEUS non fallitur: ergo nullus electorum perit.* Non vero negato *antecedente in minore* bene negatur consequens in *conclusione.* e. g. *Si hoc vivens est homo, tunc est animal: atqui hoc vivens non est homo: ergo non est animal.* Nam ratio *hominis* non est *causa* præcise, cur atrributum *animalis* possit *viventi* competere, adeoque potest aliquod *vivens* esse *animal*, quin sit *homo*: econtra ex ratione *opposita* bene infertur, saltem *materialiter* (CLXVII.) *Si hoc vivens est homo, tunc est animal rationale: atqui non est homo: ergo non est animal rationale*, quia scilicet *necessario* aliquod *vivens*, si est *animal rationale*, etiam est HOMO. Plura in *Sect.* VII. *de Regulis consequentiæ.*



SE-

SECTIO VI.

DE PRINCIPIIS PERFECTIVIS SYLLOGISMORUM, SIVE DE REDUCTIONE.

Principia perfectiva Syllogismorum.

CCIII. PRINCIPIA PERFECTIVA syllogismorum sunt illa, quibus syllogismus *imperfectus* ad *perfectum* REDUCITUR. Syllogismus porro *imperfectus* vocatur ille, in quo bonitas consequentiæ clare non apparet; *perfectus* vero in quo clare apparet. 1*mi generis* sunt omnes syllogismi non tantum *indirecti* in 1*ma figura*, sed etiam singuli illi, qui fiunt in 2*da*, & 3*tia figura*. 2*di generis* illi tantummodo sunt, qui 4 modis *directis* fig. I. respondent. (CXCV.) REDUCERE ergo SYLLOGISMUM est idem, ac imperfectum ita formare, ut legitima ejus consequentia manifeste appareat, quod triplici modo fieri potest 1. per *ostensionem*. 2. per *expositionem*. 3. per *impossibile*.

Imperfectus Syllogismus. perfectus.

Quid sit reductio Syllogismi, & quotuplex?

CCIV. REDUCTIO PER OSTENSIONEM est, qua syllogismi imperfecti præmissæ ita convertuntur, vel transpo-

Reductio per ostensionem.

sponuntur, ut inde fiat syllogismus *perfectus*, & inferatur *eadem* conclusio, vel saltem ejus *conversa* (CLXI.) hoc ut fiat 1. attendi debet ad *primam litteram* illius modi, in quo est syllogismus *indirectus*, & juxta *hanc* reduci debet ad modum *directum* primæ figuræ, *ab eadem littera* incipientem. 2. Attendi debet etiam ad sequentes *consonantes*, vocalibus in eodem modo *indirecto* (in quo est syllogismus *imperfectus*) succedentes: S. P. M. C. queis indicatur, quomodo propositiones singulæ *syllogismi imperfecti* sint *convertendæ* (CLXII.) ut fiat syllogismus *perfectus*: proceditur autem juxta sequentes versus memoriales:

S vult SIMPLICITER verti, P vero PER ACCID.
M vult TRANSPONI, C per IMPOSSIBILE duci.

E. g. Sit hic Syllogismus in cEsArE.
cE- Nulla virtus est vituperabilis:
sA- Omne vitium est vituperabile:
rE. Ergo nullum vitium est virtus.

Hic adverte 1. quod iste modus incipiat a C, adeoque debet syllogismus reduci ad cELArEnt. 2. Consonans S significat, quod *prima propositio* debeat converti *simpliciter*. 3. Littera R denotat

notat, quod maneat *2da propositio*, quia hæc littera non est ex illis quatuor: ergo reductio hujus syllogismi ad cELArEnt ita fit:

cE- Nullum vituperabile est virtus;
lA- Omne vitium est vituperabile:
rEnt. Ergo nullum vitium est virtus.

CCV. REDUCTIO PER EXPOSITIONEM fit, si medium *commune* mutetur in *singulare* (quod etiam EXPOSITORIUM vocatur) & eadem rursus conclusio inferatur. e. g. Hic syllogismus: *omnis homo est risibilis: omnis homo est animal: ergo aliquod animal est risibile*, mutato tantum medio *communi* in *singulare*, sic reduci potest: *Petrus est risibilis: Petrus est animal: ergo aliquod animal est risibile.* Valet hæc reductio præcipue in FIG. III. ubi terminus medius bis subjicitur; qui si sit *singularis*, ordinata manet propositio. Per Expositionem.

CCVI. REDUCTIO PER IMPOSSIBILE fit, si ex assumpta responsione Adversarii, is eo adigitur, ut duas propositiones *contradictorias* concedere compellatur, quod est *impossibile*, Per Impossibile.

unde & nomen accepit. e. g. Si *concessis præmissis* negetur conclusio in hoc syllogismo: *omne bonum est amandum: DEUS est bonus: ergo est amandus*, posset ad confundendum Adversarium novus hic syllogismus fieri: *DEUS non est amandus: DEUS est bonus: ergo aliquod bonum non est amandum.* Quod tamen in *majore* primi Syllogismi is antea jam concessit, adeoque sibi *contradicit.* Cæterum licet omnes syllogismorum modi reduci hac ratione queant (cum *universaliter* verum sit, *ex contradictorio consequentis sequi contradictorium antecedentis*, si illatio fuerit *legitima*, (ut mox dicetur) hæc tamen reductio proprie spectat ad Baroco, & Bocardo, quæ habent litteram C (CCIV.) totumque ejus artificium sequentibus versibus indicatur:

Majorem servat, mutatque BAROCO minorem.
Majorem mutat, retinetque BOCARDO minorem.

E.g. bA- Omne animal est sensitivum:
rO- Aliqua substantia non est sensitiva:
cO. Ergo aliqua substantia non est animal.

bAr- Omne animal est sensitivum:
bA- Omnis substantia est animal:
rA. Ergo omnis substantia est sensitiva.

bO-

b O- Aliquod animal non est rationale;
c Ar- Omne animal est vivens:
d O. Ergo aliquod vivens non est rationale.

b Ar- Omne vivens est rationale:
b A- Omne animal est vivens:
r A. Ergo omne animal est rationale.

CCVII. *Scholion.* Ea, quæ hucusque satis superque diximus de syllogismorum *modis*, *figuris*, & *Reductione*, in gratiam antiquitatis dicta sint! Certe quidam ex modernis Logicis vix amplius mentionem de istis in libris suis faciunt. Et Cl. ANTONIUS GENUENSIS ea nullius omnino *pro praxi* utilitatis esse putat: *ego certe* (ipsius verba sunt *Log. l.* 5. *c.* 9. §. 15.) *qui in studiis pueritiam egi, & Adolescens disputavi pluries, & viros scholasticarum rerum coriphæos, disputantes non raro audivi, nec ejusmodi Legibus unquam sum usus, nec alios usos animadverti.* ideoque addit: *Quod si quis est, qui ea etiamnum amet, per me licet, tantum, ne sophistice mentem depravet, moneo, experimento enim plurium virorum didici, non parum in hujusmodi studiis momenti inesse, ad gustum Germanæ sapientiæ retundendum.* Interim (quoniam, ut

Ad quid prosint Regulæ hactenus traditæ?

ut sermone tritum fert adagium, *cum vulpibus vulpinandum*) ad SOPHISTARUM fallacias detegendas, larvamque eorum argumentis detrahendam, hæc arma non modo *utilissima*, sed & *necessaria* esse, nemo est, qui negare facile possit, dummodo *usus* non degeneret in *abusum*.

SECTIO VII.

DE REGULIS CONSEQUENTIÆ.

CCVIII. QUid in Syllogismo sibi velit *consequentia*, dictum jam est (CLXVI. & CLXVII.) modo indagantur *Regulæ*, ut sciatur, an etiam *consequentia bona* sit, si syllogismus sit *bonus*? & quidem, cum Regula UNIVERSALIS, *prima*, ac cæterarum Mater, supra quoque data jam sit (CXCII.) sequuntur nunc solæ SPECIALES, ex illa *generali* profluentes, videlicet

Regulæ consequentiæ.

CCIX. REG. I. *Ex vero antecedente non potest sequi falsum consequens, nec ex falso potest verum formaliter sequi.*

Ratio

Ratio est ipsa CONTINENTIA (CXCIII.) alias enim *esset* vera, & *non esset* vera, si tamen aliquando *per accidens* ex *falso* antecedente sequeretur verum *consequens*, eo ipso non esset veritas *consequentiæ*, sed tantum *consequentis*. (CLXVI.)

Si præmissæ sint veræ,

CCX. REG. II. *Ex necessario nonnisi necessarium sequitur*, nempe quia ejusmodi propositio *necessario* est *vera* (CXXV.) & ex vero non potest sequi falsum. (n. præc.) Potest tamen etiam ex *contingenti* sequi *necessarium*, si sint propositiones *Hypotheticæ*, seu *conditionales*. e. g. *Omne currens movetur: atqui Petrus currit: ergo movetur.* Hic, ex *hypothesi*, quod Petrus CURRAT, *necessario* movetur. Item si ambæ præmissæ sint *contingentes*, pariter *necessario* sequitur aliquid *contingens* ratione *formæ* (CLXVII.) unde habetur illud: *necessarium sequitur ex quolibet.*

Si sint necessariæ,

CCXI. REG. III. *Ex impossibili sequitur quodlibet.* Id est, si semel aliquod impossibile admittitur, tunc omnia possunt inferri. e. g. Si conceditur, quod *circulus* sit *quadratus*, tunc omnia

Si impossibiles.

omnia, quæ *figuræ quadratæ* sunt propria, de *circulo* concedi debent.

Ab antecedente ad consequens, & econtra.

CCXII. Reg. IV. *Si ex antecedente rite sequitur consequens, tunc ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis*, e. g. *Cajus est rationalis: ergo est homo*, vel econtra: *simia non est homo: ergo non est rationalis.* Nam si non sequeretur *oppositum antecedentis*, tunc cum opposito consequentis staret pristinum antecedens: e. g. *Simia non est homo, & tamen est rationalis.* Sic autem ex vero antecedente sequeretur falsum consequens, quod est contra Reg. I. (CCIX.)

CCXIII. Reg. V. *Posito antecedente non sequitur consequens, at posito consequente ponitur antecedens.* e. g. Non sequitur: *animal est, ergo homo est.* Bene vero econtra. Nam *consequens* jam complectitur *antecedens* (CCIX.) non autem vice versa, nisi forte *necessaria* sit *connexio*, ut potius *hoc* sit, quam *aliud*; aut nisi *ratio sufficiens* sit de aliqua re, quod potius *sit*, quam *non sit.* Huc etiam pertinet sequens

CCXIV.

CCXIV. Reg. VI. *Ab actu ad potentiam bona est argumentatio, non vero vicissim.* Sic ex S. Scriptura contra LUTHERUM bene infertur: DAVID *ambulavit in viis & præceptis Domini.* 3. *Reg.* 6. 14. & Adolescens Evangelicus ACTU *omnia mandata DEI custodivit a juventute sua Math. XIX. v. XX.* Ergo POSSUNT *servari mandata DEI.* Non autem vicissim inferre licet: POSSUNT *omnia mandata DEI servari, ergo Lutherus illa* SERVAVIT, similiter valet illatio: *Bonus Latro in cruce conversus est: ergo* POTUIT *converti*: non vero: *Omnis peccator adhuc in morte converti* POTEST: *ergo etiam* CONVERTETUR. Ab Actu ad potentiam.

CCXV. Reg. VII. *A sensu distributivo ad collectivum vi formæ non valet argumentatio* (CII. 6.) sic non valet: *possum portare vel hoc, vel illud, vel aliud pondus: ergo omnia simul.* Nam plus infertur in conclusione, quam fuit in præmissis distributum, quod est contra (CLXXXVI.) excipe tamen si prædicetur prædicatum aliquod *essentiale*, aut *necessarium*, tunc enim recte, quod de *singulis* asseritur, *de tota collectione* dici poterit. Unde ordina- A Sensu distributivo ad collectivum.

dinata tenet illatio: *hic*, *&* *iste*, *&* *ille homo est mortalis: ergo omnis homo est mortalis &c.*

A partibus ad totum. CCXVI. REG. VIII. *Si prædicatum aliquod sit* PARTIBUS *proprium*, *&* *non* COMMUNE, *vel si negetur* TOTI, *quod convenit* PARTIBUS, *non valet illatio.* e. g. *Caput est Pars*, *manus est pars &c. Ergo manus est caput*: vel *ergo totum est pars.* Si vero prædicata sint æque *communia toti*, *ac partibus*, ut sunt prædicata *essentialia*, *proprietates*, aliaque prædicata *universalia*, tunc licet argumentari a sensu *distributivo* ad *collectivum.* e. g. *Creatura A*, *B*, *C*, *D*, *est producta: ergo etiam* TOTA *collectio creaturarum est producta* (juxta n. præc.)

A Pari. CCXVII. REG. IX. *Argumentatio a* PARI *non semper recte concludit*: nempe *in moralibus*, & ubi agitur *de modis loquendi*; Nam Leges humanæ, & *vocum significatio* dependent a *libera* hominum *institutione*, *usu*, & *consuetudine*: hinc male quis inferret: *Chirothecæ a Germanis vocantur manuum calcei*: *ergo etiam tegumenta brachiorum*, *ocreæ brachiorum dici debent.* Pejus conclu-

cludunt CALVINIANI : *voces*, PETRA, LAPIS ANGULARIS, OSTIUM, VIA, VITIS &c. *tantum in sensu* FIGURATO *de* CHRISTO *accipiendæ sunt: ergo etiam, quando dicit*: HOC EST CORPUS MEUM, *tantum de* FIGURA *sui corporis intelligi debet.* Nam sic vere eludi posset omnis veritas Evangelica; eoquod ex *eodem* Antecedente antiqui etiam HÆRETICI illa loca, in quibus CHRISTUS appellatur FILIUS DEI, uti *Math. III. v. XVII.* Item *Math. XIV. v. XXXIII.* in sensu *tropico*, id est, tantum de *Figura*, Divinum Filium, quasi in *imagine* referente intelligere potuissent: in prioribus ergo locis sensus *figuratus* est adhibendus, quia manifesta esset *contradictio*, eundem esse *verum hominem*, & simul *vitem* aut *Petram* per identitatem; verba autem institutionis Eucharistiæ in sensu *proprio*, ac *litterali* esse accipienda, ipsamet æterna Veritas aperte confirmat alibi, dicens: *Caro mea* VERE *est cibus*: & certe si *figuratam* solummodo præsentiam Christus eo loco voluisset, intelligi, *durus hic sermo* CAPHARNAITIS non fuisset visus. Ut valeat ergo *argumentatio a* PARI, oportet, ut inter unum & alterum sit *eadem* paritatis *ratio.* Sic & male im-

impius quondam CALIGULA *a pari* inferre, seque DEUM esse probare voluit, dicens: *ovium dux non est ovis, equorum dux non est equus, & asinorum dux non est asinus: ergo nec hominum dux (qualis ego sum) homo est, & consequenter* DEUS. *Ovis* enim & *equus &c.* non sunt *rationales*: ergo repugnat, *ovium, aut equorum ducem* esse *ovem*, aut *equum &c.* econtra *homo*, & *Imperator humanus*, seu *Dux hominum* sunt *ejusdem naturæ*, adeoque illa necessitas non est in *homine*.

SECTIO VIII.

DE FALLACIIS SYLLOGISMORUM DETEGENDIS.

Sophista quis sit?

CCXVIII. ILli, qui vel ad acuendum ingenium, vel ad sui ostentationem, falsos Syllogismos, qui ad speciem verorum solent decipere defendentem, proponere amant, SOPHISTÆ nunc dicuntur, cum dedecore honorifici olim nominis SOPHISTARUM, sive SAPIENTUM, apud veteres usitati (III.) ejusmodi vero syllogismi *Sophismata*, aut *Parologismi* vocantur.

Duo

Duo porro sunt *sophismatum* præcipua genera, nempe 1. *in dictione, seu voce.* 2. *Extra dictionem, seu in re.*

CCXIX. Fallaciæ in Dictione sunt sex, & omnes peccant contra (CLXXXI.) suntque sequentes. Sophismata in Dictione.

I. Æqvivocatio (LXXXIII.) e. g. *Quod aliquis facit invite, hoc facit coacte: sed DEUS facit uvas in vite: ergo eas facit coacte.* Item: *omnis canis est animal latrabile: sed quædam in cælo stella est canis: ergo est animal latrabile.* II. Amphibologia coincidit cum priori, & est variatio significationis ex mutato sensu. e. g. *Musici libenter bibunt: sed cheles sunt Musici* (id est *alicujus musici*) *ergo libenter bibunt.* Huc etiam pertinet ambiguum illud oraculi responsum: *Crœsus Halyn properans magnam pervertet opum vim*; incertum enim fuit, an *Crœsus fluvium Halyn superans,* Hostium *opes subversurus*, an vero suarummet *opum jacturam sit facturus*? uti & illud: *ibis redibis non morieris in bello*, omissio enim interpunctionum valde dubium reddit sensum. III. Fallacia accentus, cum nempe idem vocabulum *pro diverso accentu* diversa

significat: e. g. *Qui venatur* LEPORES, *indiget canibus: sed oratores venantur* LEPORES: *ergo indigent canibus.* IV. FALLACIA COMPOSITIONIS, vel DIVISIONIS. e. g. *Impossibile est, dormientem vigilare: atqui Petrus est dormiens: ergo impossibile est, Petrum vigilare.* Item; *Petrus est bonus, & Philosophus: ergo est bonus Philosophus.* V. FALLACIA DICTIONIS in specie committitur ratione *obliqui*, aut additi alterius termini. e. g. *Omnis Elephas est major musca, nulla musca est major cane: ergo nullus Elephas est major cane.* VI. Denique fallacia FIGURÆ DICTIONIS, cum scilicet sub signo, significante *substantiam*, infertur *quantitas*, aut *qualitas*, ut: *quidquid emisti, comedisti: sed carnem crudam emisti; ergo carnem crudam comedisti.*

Fallaciæ extra dictionem. Fallacia accidentis.

CCXX. FALLACIÆ EXTRA DICTIONEM, seu IN RE sunt sequentes. I. FALLACIA ACCIDENTIS, quæ committitur, si quid rei *simpliciter* tribuitur, quod ipsi *per accidens* tantum competit. e. g. Si quis diceret: *Scriptura sacra servit Hæreticis* (utique *per accidens tantum*, & non *per se*) *ergo est mala.* Ita nec valet; *Philosophia Ec-*

lectica

lectica unus aut alter abusus est in Theologia: ergo est eliminanda, Id enim *Philosophorum*, non *Philosophiæ* vitium est. Huc pariter revocantur omnes variationes *suppositionis*, *appellationis;* itemque vitia *de medio non distributo.*

CCXXI. II. A DICTO SIMPLICITER AD DICTUM SECUNDUM QUID, AUT VICISSIM. e. g. Dum quis ex eo, quod præcepta Dei *sine gratia supernaturali* servari nequeant, illa *simpliciter* & *absolute servatu impossibilia* enunciat. Aut si quis dicatur e. g. *Bonus Musicus*, præcise ex eo, quod sit *bonus simpliciter*, nam cum *homo* dicitur bonus *simpliciter*, prædicatum *bonus* cadit in subjectum *homo*, sed cum dicitur *bonus Musicus*, vox *bonus* non afficit subjectum *homo*, sed attributum *Musicus.* Similiter peccat hic Syllogismus: *Qui tollit alteri divitias, tollit occasionem peccandi, qui tollit occasionem peccandi, non peccat; ergo qui tollit alteri divitias, non peccat.* Proceditur enim a sensu *restricto* ad *non restrictum*, scilicet in *minore* intelligitur: *qui tollit occasionem peccandi* MODO LICITO & *honesto*: quæ restrictio in *majore* non est addita. A Dicto simpliciter.

Ignorantia Elenchi.

CCXXII. III. IGNORANTIA ELENCHI, sive ignoratio illius, quod contra adversarium probandum, vel in eo improbandum est, dum nempe Sophista contra adversarium probat callide, quod iste non negat, aut vicissim in eo improbat, quod ille nunquam somniavit, ut appareat inde saltem *rudibus*, à Sophista expugnatum esse id, quod fuit in quæstione. Hanc fallaciam committunt, v. g. qui, ut rudibus persuadeant, Philosophiam ECLECTICAM esse *de fide suspectam*, sesquipedalibus verborum periodis detonant in sententias, ab EPICURO, GASSENDO, CARTESIO, WOLFFIO, & LEUBNITIO propugnatas, quas tamen *nullus* modernorum Eclecticorum Catholicorum, *in sensu*, *veræ fidei vel minimum contrario*, amplectitur; itaque idem hi faciunt, ac si quis v. g. NeotericorumAristotelicos ex eo velit impugnare, quod Stagyrita *mundũ ab æterno* extitisse defenderit, quod pariter nemo ex Peripateticis, ut ut Philosophiæ Aristotelicæ, ex asse Sectariis, amplecti audet, imo plerique etiam *ex hypothesi* aperte rejiciunt. Sic quoque fallunt, qui *Nevvtonianam attractionem in physica* impugnant ex

eo, quod hæc sit *causa æque occulta*, ac illa antiquorum *qualitas*, cum tamen Newtonus ATTRACTIONEM non sumat pro CAUSA, sed pro PHÆNOMENO, sive *eventu contingente*, ut plerique ex modernis physicis aperte probant clarissimis textibus, ex Newtoni operibus depromptis. Porro de ignorantia Elenchi Aristotelem quoque ipsum arguit CL. Auctor ARTIS COGITANDI. *Cap. XIX. Sophism. I.*

CCXXIII. IV. NON CAUSA *ut* CAUSA est, cum pro *causa* assignatur, quod *causa* non est: e. g. cum COMETA (ut inquit Cl. PURCHOTIUS *Log. p.* 3. c. 8.) aut aliud quodvis cæleste phænomenon *causa* dicitur subsequentis *pestilentiæ*, *sterilitatis*, aut *aliarum calamitatum*. Non enim sic ratiocinari licet: *id evenire solet* POST HOC: *ergo* PROPTER HOC. Hujus fallaciæ præsertim in physica rei à Neotericis aguntur Peripatetici rigidiores, qui in explicandis *obscurioribus* naturæ *phænomenis*, causas assignant ex aliqua *mentis præsumptione*, quæ tamen non sunt *causæ*, sed *ingenii* potius *figmenta* esse videntur, ac *neminem doctiorem reddunt*. e. g. dum *suspensionem Mercurii*

Non causa ut causa

in Barometro adscribunt METUI VACUI, morbos diversis PLANETARUM ASPECTIBUS, ac mille alia, quæ nesciunt, ANTIPATHIÆ, SYMPATHIÆ, aut ANTIPERISTASI, vel denique alteri QUALITATI æque OCCULTÆ attribuunt, quæ mera *ignorantiæ asyla* dicuntur a Recentioribus, dum isti potius, quando intima naturæ secreta penitus perscrutari nesciunt, ingenue cum Magno D. AURELIO ad *Renat. Monach. Epist.* 190. *n.* 2. asserunt: *Non pudet me fateri, nescire, quod nescio*, nec dedecori sibi ducunt, a se ignorari ea, quæ Magister maximus homines docere non vult. Videatur cit. Cl. AUCTOR ARTIS COGITANDI. *loc. cit. sophism. III.*

Plurium Interrogatio. CCXXIV. V. FALLACIA PLURIUM INTERROGATIONUM PER MODUM UNIUS. Si scilicet petitur, ut *una* responsione satisfiat multiplici interrogationi. e. g. Si quæritur; *an* PETRUS, *an tantum* JUDAS ISCARIOTES *ex Apostolis sit damnatus* ? si *neges* hanc propositionem, tunc Sophista inferet: *ergo Judas non erit damnatus.* Si *affirmes*, reponet: *ergo Petrus Apostolus est damnatus.* Ejusmodi fallaciæ laqueis ut te

ex-

expedias, unum membrum interrogationis ab altero sejungi debet, dicendo: propositionem *falsam* esse quoad *primum membrum*, & *veram* quoad *alterum*. Hujus erroris arguitur quoque istud dilemma: *Desiistine furari, vel non? si non? tunc adhuc fur es: si desiisti, tunc fur fuisti.*

CCXXV. VI. Imperfecta enumeratio, ut si quis dicat: *Cajus capite damnatus est, vel sua culpa, vel pravitate judicum*; Nam potuit id etiam ex alia ratione contingere v. g. *propter falsum, sed invictum improborum hominum testimonium &c.* In nullum vitium, inquit supra cit. Cl. Auctor Artis cogitandi, docti facilius labuntur, quam in hanc imperfectam enumerationem, hinc temere concludunt, vel rem *non esse*, quia *hoc modo* non est, quamvis *alio* esse possit, vel illam *hoc modo* esse, cum *alio*, quem nondum considerarunt, esse queat. Hujus vitii exempla profert *in cit. loco Sophism. IV.* ex argumentis Gassendi, quibus iste suum vacuum disseminatum probat *dari a parte rei in rerum natura*, partibus materiæ interspersum. Et generaliter loquendo in

Imperfecta enumeratio.

Physica male ab *aliqua* experientia, in *quibusdam* contingente statim propositio *universalis* infertur. e. g. Non valet: *frigus* quædam *Corpora constringit*, *seu comprimit*, & *calor dilatat: ergo etiam* aqua *per frigus comprimitur*, cum eam *dilatari* manifeste probet experientia illa, qua constat, quod etiam solidissima vasa ex quacunque materia ab aquæ congelatæ vi rumpantur.

Petitio Principii. CCXXVI. VII. Petitio principii tunc contingit, quando id, quod in quæstionem venit, ac *a principio* seu initio quæsitum est, *petitur*, sive assumitur tanquam *certum*. v. g. Si quis probare velit, inesse lapidi *principium intrinsecum*, quo in terram feratur, ex eo, quia *nemine impellente in eam decidit*, idipsum enim est, quod quæritur, an scilicet *impellatur ab aliquo*, *nec ne?* ita etiam Neoterici Peripateticos de sophismate accusant, dum isti probant dari *formam substantialem materialem*, ideo, quia hæc unacum materia facit *unum per se*, nam hoc ipsum in quæstione est, & exsplicare debent Aristotelici, quid sibi velint illa verba: *unum per se?* si enim dicant esse idem, ac *ens compositum ex materia* & *for-*

forma, est manifesta *petitio principii*, & argumentum talem sensum facit: *Si non essent formæ substantiales, entia naturalia non componerentur ex* MATERIA & FORMIS SUBSTANTIALIBUS: *sed componuntur ex* MATERIA, & FORMIS SUBSTANTIALIBUS: *ergo sunt formæ substantiales.* Porro committitur etiam hæc fallacia a *respondente*, si interrogatus pro *ratione* Theseos affert ipsam *Thesin*, vel illi *Synonymum*, ut si quis ad probandum, *cælum esse rotundum*; assumeret, quod sit *Sphæricum.* Per hoc tamen non prohibetur, quo minus ad probandum *definitum* assumatur *definitio.* (CX. 3.)

CCXXVII. *Corollar.* A *petitione principii* non differt CIRCULUS, & alius quidem est *licitus*, si nempe ex una propositione, cujus veritatem *aliunde* cognosco, alioque argumento probatam scio, aliam deduco, v. g. Quando Catholici contra Heterodoxos ex *S. Scriptura*, illis *nota*, ac *certa*, probant, infallibilem esse *Romanam Ecclesiam*, & dein ex hac *infallibilitate* Ecclesiæ *regrediuntur* (unde & ejusmodi circulus REGRESSUS vocatur) ad probandam *Scripturæ vulgatæ* autho-

Circulus licitus,

Sive Regressus.

authoritatem, *ſenſumque* genuinum, imo motivum unicum *veritatis Eccleſiæ probandæ* non eſt *teſtimonium ſcripturæ*, cum Eccleſia immediate afficiatur MOTIVIS CREDIBILITATIS, ſibi propriis, ut *Theologi probant*, ideoque ſicut licitum eſt, ex *axiomate*, utpote aliquo *notiore*, veritatem aliam deducere: ita etiam *circulus licitus* eſt, ſi *Divinitas ſcripturæ* ex *teſtimonio Eccleſiæ* oſtendatur; non enim antecedentis & conſequentis *eadem* eſt *ratio*, neque *idem* prorſus *motivum*, ulterius non demonſtrabile. Sic etiam ex mundo, ejus *Conditor* (*per ea* ſcilicet, *quæ facta ſunt*, utpote *notiora*, deducendo *inviſibilia*) demonſtrari, & ex *cauſæ* deinde, ſive *artificis* excellentia, *mundi*, ut *operis*, *pulchritudo* rite argui valet. Econtra alius eſt VITIOSUS CIRCULUS, qui committitur, ſi probatur *unum ignotum per alterum æque ignotum*. Ut e. g. ſi quæratur ex Heterodoxis, unde ſciant, *quatuor Evangelia eſſe verbum divinum* præ aliis libris *ſuppoſititiis*, qui olim a SS. Apoſtolis THOMA, BARNABA, ANDREA, & aliis conſcripti dicebantur? *reſpondent*, divinitatem ſcripturæ, ejusque ſenſum & interpretationem eſſe deſumendam

Circulus vitioſus.

ex

ex *interno testimonio spiritus privati*, at si urgeant Catholici, *unde* probent infallibilem veritatem hujus *testimonii interni*? hoc ipsum ex *scriptura*, *quæ se ipsam cujvis manifestaret*, repetunt. An vero hoc non est, ignotum per æque ignotum probare, & in circulo vitioso ambulare?

CCXXVIII. *Scholion.* Solvuntur sophismata 1. *cum fallacia detegitur*; id est. cum exsplicatur sermonis ambiguitas, & *sensus multiplex distinguitur.* 2. Cum Sophisma *irridetur*, & *contemnitur.* 3 Cum *quæstio alio detorquetur*, & adversarius ad novam quæstionem expendendam ex occasione traducitur, ita Cl. PURCHOTIUS *log. p.* 3. *c.* 8. addit vero, quod *prima* tantum solvendi sophismatis ratio *vero sapienti* conveniat, nec posterioribus, nisi *raro*, & cum aliter *Sophistæ pervicacia* vinci non potest, sit utendum. Nam ad eas quoque artes (pergit ille) ipsi quoque Sophistæ, ac malæ fidei homines sæpe confugiunt, qui, cum validis adversariorum rationibus urgeri se undequaque sentiunt, quæstionem propositam declinant, novasque, & prorsus impertinentes diffi-

Modus solvendi Sophismata.

difficultates fubftituunt, aut ambages quærunt, vel contemptu tantum aliquo, feu irrifione, additis quandoque dicteriis, refpondent, ut ipfi inter peritos triumphent, & adverfarios in contemptum inducant. &c. Uti paffim hodie experiuntur Theologi POLEMICI Catholici. Plura ad hanc differtationem pertinentia traduntur in *Logices parte II.* PRACTICA, *Differt. III.*

DISSERTATIO IV.
DE METHODO.

SECTIO I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT METHODUS?

CCXXIX. METHODUS, cujus *radicem* conftituere videntur græca vocabula μετὰ *poft*, *per*, & ὁδὸσ *via*, *auxilium*, definitur a TULLIO *l.* 2. *de leg.* conformiter Etymologiæ: *Via brevis, aut ratio ordinata inquirendi verum, fi adhuc lateat, verumque ipfum, fi inventum fuerit, expo-*

Methodus.

ponendi. Frustra profecto *perceptionum*, *judiciorum*, ac *ratiociniorum* leges Logica doceret, nisi & *ordinem* præscriberet, has omnes mentis operationes rite *disponendi*, tum ad *veritatis* adhuc latentis *cognitionem*, certius & facilius assequendam, tum etiam *ad veritatem* jam *cognitam*, aliis clarius solidiusque *communicandam*. Id vero unice fit per bonam Methodum, non quidem, quasi per eam *ratiocinandi* aut *capacitas*, aut *facultas*, acquiri ab aliquo possit (utpote quæ sola *exercitatione* comparatur) sed quod *rectius*, atque *ordinatius*, servatis Methodi regulis, quivis ratiocinetur. Possunt hæ quidem regulæ sola lectione eorum librorum, in quibus exacte observantur, addisci, quin imo non alia re melius ac plenius discuntur, teste Malebranchio; attamen ut ad eam lectionem præparato animo accedatur, juvat sequentia præscire. Ejus utilitas.

CCXXX. Sunt, qui acriter contendunt, *Methodum* esse *quartam mentis operationem*, a tribus cæteris *distinctam*, ipsa enim, inquiunt, neque aliquid *percipit*, neque *judicat*, neque *unum ex alio infert;* sed solummodo An Methodus sit quarta mentis operatio?

per-

perceptiones, *judicia*, *& discursus antea formatos dirigit*, *ordinat*, *& inter se confert*: quemadmodum igitur *judicium* a *perceptione*, *discursus* a *judicio* distinguitur, licet in discursu judicium, in judicio perceptio *contineatur*, ita & *Methodum* a cæteris tribus cogitationum speciebus distingui oportet, quamvis illa cogitationes jam ante formatas supponat, & quodammodo *complectatur*. Ast NEGANT alii, ad *perceptionem*, *judicium*, atque *discursum*, eandem revocantes, tanquam illarum *perfectionem*, atque *complementum*: imo ad solum *judicium*, & *discursum* ab aliis (quorum sententiæ etiam ego accedo) refertur; per *judicium* enim (asserunt isti) decernimus, partes alicujus sententiæ *hoc vel illo modo* esse *disponendas*; per *discursum* autem *rationem* afferimus, *cur* hoc vel illo modo *illas* disponamus, & sane *Methodus* nil aliud est, quam *series judiciorum*, *& illationum*, *per quam in debitum ordinem singula rediguntur*, sive judicando & ratiocinando cuilibet propositioni locus suus determinatur, ad hoc, ut *judicia* & *ratiocinia* sint *perfecta* atque *completa*, quæ absque *Methodo* tantum *imperfecta*, *incompleta*, atque *confusa* existe-

ſterent: *ſicut* autem (inquit Cl. P. HAUSER. *Phil. Ration. Tom. I. P. IV. Log. Q. I.*) *Logicus* PERFECTUS *ab* IMPERFECTO *eſſentialiter differre non cenſetur, ita neque tractatio Methodica haberi debet pro artefacto logico*, ESSENTIALITER DIVERSO, *ab artefactis aliarum operationum mentis*, & ſicut *ex arte* v. g. Cytharam pulſans, *Cytharedus* eſt, etſi nondum *Apollo* ſit, ſic etiam, qui *ad regulas* judicat, & ratiocinatur, *logicus* eſt, quamquam, ſi *judicia* atque *ratiocinia* ORDINATE ediſſerat, *perfectior* ſit.

CCXXXI. Duplex potiſſimum datur methodus. I. ANALYTICA, ſeu *reſolutoria*, a græca voce ἀνάλυσις, RESOLUTIO, eſtque *rei cujuspiam in ſuas cauſas, ac partes reductio*, dum nempe aliqua propoſitio demonſtranda in ſua, ex quibus componitur, principia (*Axiomata*, ac *definitiones*) reſolvitur, ac veluti *per partes* excutitur, ita, ut ab eo, quod in quæſtione *notum* eſt, ad id, quod eſt *ignotum*, ſumpto exordio, pedetentim fiat progreſſio, donec ad finem quæſtionis perveniatur, quæſitaque veritas *inveniatur*; unde & Methodus INVENTIONIS dicitur. Comparatur ea cum mo- Methodus Analytica.

do, quo quis v. g. noti cujusdam hominis Genealogiam exhibiturus, ad ejus Patrem, a patre ad Avum, ab hoc usque ad primum familiæ parentem regreditur. 2. SYNTHETICA, seu *compositionis*, a græco σύνθεσις, COMPOSITIO, est, si ex principiis *universalibus* ad *particularia* fiat descensus, a *genere* scilicet ad *speciem*, a *specie* ad *individua*, hac ratione, ut semper in *præmissis* ponantur ob oculos *lumine naturæ nota*, sensibus obvia, aut in bona *hypothesi* fundata, *animadversionibus*que illustrata, dein vero ex *eventibus obscuriora* manifestentur, atque adeo *veritas inventa congruo modo*, & *ordine aliis exponatur*, propter quod etiam Methodus DOCTRINÆ appellatur. Sic nos Methodo SYNTHETICA in *Logica* hucusque progressi, ab *ideis* ac *terminis*, quæ prima scientiarum *elementa*, maxime *simplicia*, captuque facillima sunt, ad *judicia* & *propositiones*, quæ ex *ideis terminis*que habentur, descendimus, inde ad *ratiocinationes*, quæ *ideas* & *judicia*, *terminos* & *propositiones* simul complectuntur, denique ad *Methodi* tractationem (in qua priora omnia eodem velut communi loco congregantur) via plana

Synthetica,

Quænam in præsenti Logica tractanda adhibita sit?

hucus-

hucusque pervenimus: Econtra Methodo ANALYTICA in tradenda logica incederet, atque ad eundem ſcopum, *non tamen ſine multis ambagibus*, perveniret, qui a *Methodo* exorſus, illam reſolveret in ea, ex quibus coaleſcit, ac primo quidem ſecerneret *ratiocinia*, ab his ad *judicia*, atque *ideas* pergeret. Cæterum

CCXXXII. Methodum SYNTHETICAM omnium optime ac rigidiſſime obſervant MATHEMATICI, unde & methodus MATHEMATICA dicitur, & quidem, ſi per eam veritas inquiritur *a poſteriori*, per *obſervationes* ſcilicet, *experimenta* certa, vel per *Hypotheſes* genuinas, prout *Aſtronomis* in uſu eſt, ASTRONOMICA: ſin autem *a priori*, hoc eſt, ex *definitionibus*, *Axiomatibus*, & *principiis generalibus* poſitis infertur veritas, ut *Geometræ* paſſim procedere ſolent, *Methodus* GEOMETRICA appellari conſuevit, cujus excellentiam Mathematici ita deprædicant, ut huic uni omnem *demonſtrationis* efficaciam attribuant, ita, ut nulla diſciplina ad ullum certitudinis, aut demonſtrationis gradum, in eorum ſententia, pertingere poſſit, niſi hac methodo pertractetur.

Methodus Mathematica.

Aſtronomica.

Geometrica.

Ejus præſtantia.

Ast bona horum Authorum venia cum Cl. P. Agnello Merz, Ord. Eremit. S. August. *in suo Schem. Phil. Eclect.* §. *XXXI.* aliisque dixerim, *nullam* methodum *ex se* esse *demonstrativam*, consequenter nec Geometricam; quod enim *Mathesis* veritates *proprias* adeo solide, & vix non omnes *demonstrative* pertractet, non *Methodi* adhibitæ effectus est, sed quod *hæc scientia* ejusque veritates *certis ac evidentibus principiis* nitantur: in aliis autem facultatibus, quæ materias tantum *probabiles* pertractare solent, Methodus illa, etiam ad amussim, ac *cum omni rigore* observata, ullum certitudinis, aut *demonstrationis geometricæ* gradum nunquam inducet. Interim non negaverim, Methodum *Syntheticam* præ *Analytica*, utpote quæ multo est *simplicior*, a *docentibus* insigni cum fructu, atque *utilitate* adhiberi posse, ac debere, si *materia* permittat; illa enim summam discentibus *claritatem* præstat, nam quia per Methodum *Mathematicam* semper ponuntur 1. *definitiones* reales, & nominales (CVI. & CVII.) 2 *Postulata*, *Hypotheses*, & *Lemmata* (Dissert. II. Sect. III.) 3. *Axiomata*, *Theoremata*, *Problemata*, 4. *Corollaria*, *Scholia*

Synthetica præstat Analyticæ.

lia (loc. cit.) & quandoque etiam *praxes*, hinc discentibus statim apparet, quid *primarium*, quidve *secundarium*, aut *consectarium* sit, sicque de proposita Thesi *ideas distinctas*, & *adæquatas* hauriendo, facillime in *judiciis*, & *discursibus* eruendis procedent. Optat proinde mertito Cl. P. HAUSER, ut *præfata Methodus* STUDIO PRIVATO, *a præclaris ingeniis adhibeatur*, *ad omnem rigoris vim*: *imo* SCHOLIS *quoque* (inquit cit. Cl. Auctor) *hæc recte commendaretur*, *si istæ nonnisi ingenia* MATHEMATICA, *id est*, *subtilitatis capacia*, & *laboris patientia admitterent*; *ubi vero talia ingenia desunt*, vult, ut methodus Mathematica, *seposito tantisper rigore*, & *retentis præcipuis legibus suis*, *se accommodet materiæ*, & *discipulis*.

CCXXXIII. Ex simultaneo porro Methodi *Analyticæ* & *Syntheticæ* usu resultat alia *mixta*, quæ, quia in SCHOLIS plerumque adhibetur, SCHOLASTICA dicitur. In ea præmittuntur continuo, quæ sequentibus intelligendis, atque demonstrandis inserviunt, ita tamen ut *eodem loco* pertractentur omnia, ad *idem* subjectum, quantum fieri potest, pertinentia, nulla habita ratio- Quid sit Methodus scholastica.

ratione, quomodo cognitio unius *dependeat ab alia*. In hac Methodo ergo non datur *continua propositionum series*, ut fit in Methodo *Mathematico-Synthetica*, sed per *syllogismos formales* (cum in illa plerumque per *sorites* res agatur) *conclusiones*, ac *theoremata* probantur, & *objectiones* (quibus in *prima methodo* locus nullus relinquitur) accurate solvuntur, atque tyrones utiliter *exercentur*. Ista ut plurimum usus est ipse Wolfius, tum in *philosophia*, tum in *Elementis Matheseos* latinis, quin in ipsa etiam *Geometria*, ut propria confessione testatur *Log.* §. *DCCCXXXIII.* Ipsissima quoque hæc est Methodus, quam passim observant Theologi antiqui, ac Recentiores, ut sunt v. g. Cl. Tournelius, Habert, Gotti, Billuart, &c. Simili denique vix non Methodo in omnium *tribunalium* foris Juris Consulti procedunt; nam 1. clare exponitur *facti species*, statusque controversiæ, additis, si quæ adsunt, *prænotandis*. 2. Ponitur à referente *sententia decisiva*. 3. Subjunguntur *fundamenta*, seu *probationes*. 4. *Refutantur*, quæ ab adversa parte possunt *objici*, solideque enervantur. Quamquam a

Quis usus?

Methodus Juristarum.

Juri-

Juriſtis aliter quoque in *cauſis non criminalibus* agi ſoleat, ſcilicet per 4. *cauſarum* genera, examinando 1 *materiam*, ſeu ſubjectum v. g. *Electionis*, hoc eſt: *quis* eligi poſſit? 2. *Formam*, qua utendum ſit in electione? 3. *Efficientem*, *quis* poſſit eligere? Sic etiam 4. de *finali* cauſa, & de *contrariis* proceditur, nempe *per quæ ceſſet* aliquid? &c.

CCXXXIV. Regulæ Generales utrique Methodo, tam *Analyticæ*, quam *Syntheticæ* communes referuntur ad tres dotes, *1ma* eſt Claritas, quapropter *ſtatus quæſtionis*, niſi *ex terminis* jam pateat, per *notiones claras ac diſtinctas definiendus*, &, ſi plures complectatur partes, accurata *diviſione* exponendus eſt. *2da* eſt brevitas, quæ mire juvat *memoriam*, hinc *diggreſſiones inutiles*, hoc eſt, ad rem propoſitam non pertinentes, queis mens ab ipſa *re principali* avocari queat, caute ſunt evitandæ, nimiaque *prolixitas*, tum in *refutandis* aliorum ſententiis, tum in rationibus pro ſua ſententia ſtabilienda adducendis; Ita tamen, ut ne etiam per *nimiam brevitatem* inducatur *obſcuritas*. 3tia denique eſt Soliditas, ſine qua veritas **Regulæ Generales pro Methodo.**

nullius intellectum *convincit.* Præmittendum ideo semper est solidum aliquod *fundamentum*; ex *phænomenis* certis, *ratione*, vel saltem *bona Hypothesi* firmiter stabilitum; deinceps vero propositiones, quamdiu datur *Materiarum* inter se *nexus*, ita sunt disponendæ, ut semper *posterior* à *præcedente* illustretur, simulque alteri subsequenti demonstrandæ *inserviat.* Ad *soliditatem* quoque facit, si *rebus* magis studeatur, quam *verbis*, & *perspicuitatis* magis ratio habeatur, quam *eloquentiæ*, & *ornatus*, quamquam & hic prætermittendus non est, ut passim modo observant Philosophi recentiores. Regulæ porro aliæ *speciales* Methodi, ex his generalibus facillime deduci possunt, & in *Logicæ Practicæ* (ad quam spectant) *Dissert. IV.* uberius dilucidabuntur. Ne tamen dicta hucusque *de Methodo* aliqua ex parte *manca* aut *obscura* relinquantur, juvat *pro Exemplo* Methodi adhuc quædam afferre.



SE-

SECTIO II.

DE MEDITATIONE PHILOSOPHICA RITE INSTITUENDA, ET VERITATE PER EAM INVENIENDA.

CCXXXV. Meditari in Philosophia nil aliud est, quam *cogitationes nostras*, BONÆ METHODI LEGIBUS CONVENIENTER, *Ita applicare*, *eoque dirigere*, *ut veritates ex veritatibus* (notiones scilicet ex notionibus, propositiones ex propositionibus) *eruamus*. Adeoque *Meditatio* se habet ut *iter*, quod conficimus; *bona* vero *Methodus* se tenet instar *viæ*, per *quam* incedimus: sicut autem per viam *ignotam* progredi secure nemo valet, ita etiam, qui *philosophice meditari* cupit, *Methodi leges* probe cognitas habere debet; nec illas tantum, sed & *plures* jam *veritates*; secus enim quomodo *veritates ex veritatibus*, *propositiones ex propositionibus* eruere poterit? unde non tam pro *Tyronibus*, quibus *paucæ* veritates perspectæ sunt, quam pro *Magistris* Meditari philosophice quid sit?

gistris, plurimarum veritatum præsciis, sic *meditari* quadrat, attamen, quoniam cum tempore in ætate virili ad praxin deducere haud poterunt tyrones, quod in florentibus annis nunquam didicere, in eorum gratiam elegans Meditationis exemplum, ex BAUMEISTERI *Elementis Philos. recent. Log. P. II. C V.* depromptum, hoc loco apponam, ex quo *series*, *continuatioque cogitationum* perspici valent.

Exemplum Meditationis Philosophicæ.

CCXXXVI. Fac, te velle quid commentari (inquit cit. Auctor) DE ELOQUENTIÆ NATURA & CHARACTERIBUS, ita ut, libris tantisper sepositis, omnia *propria meditatione* eruas, tum *secundum meditationis*, *bonæque methodi regulas* ita procedes.

§. I.

De Natura & Characteribus eloquentiæ.

Sollicitus esto de *definitione* ELOQUENTIÆ; hanc autem tibi facile formabis, si *Casus speciales*, in quibus quis *eloquentia* dicitur *instructus*, rite fueris contemplatus, eosdemque ita *inter se contuleris*, ut ex his notionem *universalem* ELOQUENTIÆ abstrahas. Prodibit autem, si *regulis suppeditatis convenienter* meditatus fueris, hæc DE-

DEFINITIO ELOQUENTIÆ: *Eloquentia est facultas pulchre loquendi.*

§. II.

Hac DEFINITIONE Eloquentiæ præmissa, attende ad *notas* & PARTES, quæ in definitione *eloquentiæ* occurrunt, eandemque constituunt; adeoque explica, quid sit *pulchre loqui. Oratio* scilicet *pulchra* est, *quæ placet*, & is *pulchre* loquitur, qui *loquitur ita, ut placeat.*

§. III.

Ex his definitionibus deducas *Axiomata.*(CXXXVI.) Fluunt autem ex definitione ELOQUENTIÆ hæc

AXIOMATA. 1. *Quicunque eloquentia est instructus, gaudet facultate pulchre loquendi.* 2. *Ab eloquentia oratio pulchra sejungi non potest.* 3. *Qui non facultate pulchre loquendi est præditus, non potest dici eloquens.* 4. *Qui ad eloquentiam pervenire vult, id agat, ut facultatem pulchre loquendi sibi acquirat.*

Ex definitione τῦ PULCHRE LOQUI, sive PULCHRÆ ORATIONIS hæc elicies

AXIOMATA 1. *Quicunque pulchre loquitur, orationem ita conformat, ut au-*

audientibus placeat. 2. *Quæcunque oratio est apta ad placendum, ea est pulchra.* 3. *Nemo loquendo placere potest, nisi qui pulchre loquitur.*

§. V.

Si interiorem *eloquentiæ*, & *Orationis pulchræ*, quæ ab *Eloquentia* sejungi non potest (§. 3.) naturam penitius vis noscere, rursus definias ea, quæ notionem PULCHRI constituunt. Hic occurrit τὸ PLACERE (§. 2.)

§. VI.

Illud *placet*, *quod voluptatem in nobis producit.* Rursus explices, quid sit VOLUPTAS. *Voluptas* est *sensus perfectionis.* *Perfectio* est *Consensus variorum in uno.*

§. VII.

Has *definitiones* ideo præmittas, ut exinde possint formari *Axiomata*; subservitura tibi in demonstranda *orationis pulchræ*, adeoque *eloquentiæ* natura.

§. VIII.

§. VIII.

Axiomata autem præcipua, quæ ex his *definitionibus* fluunt, sunt hæc fere

1. *Sine voluptate τὸ placere locum habere non potest.* 2. *Nisi sentiantur perfectiones, nulla oritur voluptas.* 3. *Perfectionis sensus, adeoque voluptas esse non potest, nisi adsit perfectio.* 4 *Voluptas produci non potest, nisi perfectionis sensus producatur.* 5. *Ad id, ut in re quapiam insit perfectio, hæc tria requiruntur.* 1. Plura, *sive varia.* 2. Consensus *variorum.* 3. Finis, *sive bonum quoddam, ad quod efficiendum, impetrandumque varia illa consentiant.*

§. IX.

Has definitiones si rite inter se contuleris, ex iis, & axiomatibus sequentia emergent Theoremata (CXXXVI.)

Theorema I. *Quidquid pulchrum est, illud debet esse ad voluptatem in nobis producendam aptum.*

Demonstratio. *Pulchrum enim est, quod placet (§. II.) id autem placet, quod voluptatem* in nobis produxerit (§. VI.)

ergo

ergo quidquid pulchrum est, illud debet ad voluptatem in nobis producendam esse aptum.

Theorema II. *Fundamentum pulchritudinis est rei perfectio.*

Demonstratio. Pulchritudo enim debet ad voluptatem in nobis producendam esse apta. (*Theorema I.*) Voluptas produci non potest, nisi perfectionis sensus producatur (§. VIII. Axioma III.) ergo fundamentum pulchritudinis est rei perfectio.

Theorema III. *Ut res pulchra sit, non sufficit, ut res gaudeat perfectionibus, sed requiritur, ut sentiantur perfectiones.*

Demonstratio. Nisi enim sentiantur perfectiones, nulla oritur voluptas (§. VIII. Axioma II.) Sine voluptate τὸ placere, adeoque etiam Pulchrum (§. II.) locum habere non potest. (§. VIII. *Axioma* I.) Ergo pulchritudo esse non potest, nisi sentiantur perfectiones.

§. X.

Ex quo novum hoc oritur Theorema. *Ut aliqua res sit pulchra, opus est,*

est, ut partes ejus amico quodam consensu ad finem aliquem obtinendum referantur. Sive quod idem est, *consensus variorum in re aliqua ad finem est fundamentum pulchritudinis.*

Demonstratio. Cum enim *pulchritudinis* fundamentum sit *rei perfectio,* (§. *IX. Theorem. II.*) *perfectio* autem *variorum consensu ad finem aliquem obtinendum* contineatur (§. *VIII. Axiom. V.*) manifestum est, ad rei *pulchritudinem* requiri, tanquam *fundamentum, varietatis consensum.*

§. XI.

Occasione hujus *Theorematis* occurrit tibi ad animum, eam partium, in re quapiam convenientiam, quæ ad totius rei finem consequendum relata est, vocari a Philosophis Symmetriam, & *commensurationem.*

§. XII.

Vide ergo novum Theorema. *Ut res aliqua pulchra sit, requiritur partium, ex quibus res constat, Symmetria sive commensus.*

De-

Demonstratio. Cum enim ad id, ut aliqua res *pulchra* sit, requiratur *partium Consensus* amicus ad finem aliquem obtinendum (§. X.) hæc ipsa autem *partium Convenientia* dicatur *Symetria*, sive *commensus* (§. XI.) intelligitur, ad id, ut res pulchra sit, requiri partium, ex quibus res constat, *Symmetriam* sive *Commensum.*

§. XIII.

His ita constitutis, quæ notionem pulchri, generatim considerati, efficiunt, nunc nullo negotio intelliges hæc Consectaria (CXXXVI.)

Consect. I. Oratio pulchra debet ad sensus, mentemque hominis voluptate explendam esse accommodata (§. IX. Theorem. I.)

Consect. II. Omnis orationis pulchræ fundamentum sunt ejusdem perfectiones (§. IX. Theorem. II.)

Consect. III. In oratione itaque pulchra debent varia, quæ in oratione occurrunt, ita inter se concinere, ut id, quod dicendo assequi volumus, sive, quemadmodum Philosophi loquun-

quuntur, ut orationis finem quam facillime obtineant (§. X.)

Consect. IV. Qui ergo perfectiones, & pulchritudinem orationis nôsse, vel dijudicare vult, orationis finem, ad quem ea, quæ loquimur, referri debent, perspectum habeat.

§. XIV.

Hic succurrit tibi ex Logica Axioma illud: *quod ideo loquamur, ut alii nos intelligant, sive debemus esse in loquendo perspicui.*

§. XV.

Ex quo series, continuatioque cogitationum hoc tibi suppeditat Theorema. *Oratio pulchra debet esse perspicua.*

Demonstratio. Cum enim ad orationem pulchram requiratur, ut ea omnia, quæ in ipsa deprehenduntur, consentiant cum fine loquendi (§. XIII. Consect. III.) finis autem loquendi, isque præcipuus sit, ut ab aliis, ad quos loquimur, intelligamur (§. XIV.) sequitur, ut in oratio-

ne pulchra debeat esse verborum consensio cum audientium intelligentia, sive debeat esse perspicua.

§. XVI.

Sponte se tibi nunc offerunt hæc Consectaria, quæ *Theorema* præcedens partu quasi exclusit.

Consect. I. *Ergo oratio pulchra respuit voces inanes, quibus nulla est subjecta sententia.* Voces enim, mente cassæ, sunt ejusmodi, ut neque is, qui loquitur, conceptum sive cogitationem cum iis connectat, neque is, qui audit, conjungere notionem aliquam possit. Atque adeo, ut intelligantur, fieri nequit.

Consect. II. *Ergo oratio pulchra nititur, tanquam fundamento, clara & distincta rerum enunciandarum cognitione.* Quomodo enim oratio pulchra esse posset *perspicua*, nisi coagmentata esset ex vocibus perspicuis, claris, evidentibusque. Quomodo vero voces claræ esse queunt, nisi iis adhæreat idea clara & distincta?

Consect. III. *Orationis ergo pulchræ præsidia desumi debent ex lautiori*

ri eruditionis apparatu, maxime ex philosophia. Hac enim adjutrice, claram distinctamque rerum utilissimarum cognitionem nobis acquirimus.

§. XVII.

Experientia teste novimus, nos, cum ad alios dicimus, id unum persæpe spectare, ut probemus aliis ea, quæ dicimus, audientiumque animos ad credendum flectamus, sive UT PERSUADEAMUS aliis.

§. XVIII.

Unde emergit in cogitationum ordine hoc.

THEOREMA. *Oratio pulchra debet esse ad persuadendum accommodata.*

DEMONSTRATIO. Cum, quæ pulchra est oratio, talis esse non possit, nisi varia, ex quibus conflatur oratio, cum fine loquendi consenserint(§.XIII. Consect. III.) Finis autem, ob quem ad alios loquimur, præter perspicuitatem, sit is, ut efficiamus, ut, quæ vera putamus, alii itidem habeant pro veris, & econtra, quod ipsum *est persuadere* (§.XVII.) Consequens est,

ut oratio pulchra debeat esse ad persuadendum accommodata.

§. XIX.

Hinc fluunt hæc CONSECTARIA.

CONSECT. I. *Ergo in oratione pulchra omnia conquiri debent, quæ ad* ATTENTIONEM *auditorum conciliandam adferre possunt adjumenti.* Quia sine *attentione* non obtinetur *persuasio.*

CONSECT. II. *Ergo in oratione pulchra rationes idoneæ afferendæ sunt, quæ mentem audientium ad assensionem flectunt.*

§. XX.

Ea omnia, quæ orationi adjiciuntur, ut placeat, & voluptati aurium morigeretur, ejus constituunt *ornatum.*

§. XXI.

En novum THEOREMA: *Oratio pulchra debet esse ornata.*

DEMONSTRATIO. Cum enim oratio pulchra debeat placere (§. IV.); consequens est, ut varia sibi, adjecta habeat, quæ efficiunt, ut placeat. In quo

quo cum sit ejus ornatus positus (§. XX.), intelligitur, orationem pulchram debere esse ornatam.

§. XXII.

Inde hoc fluit CONSECTARIUM. *Ergo in oratione pulchra plura verba adhibeantur, quam ad veritatem nude proponendam requiruntur.*

§. XXIII.

Oratio, in qua plura verba, quam ad veritatem nude proponendam requiruntur, dicitur COPIOSA.

§. XXIV.

Novum ergo ex his efficitur THEOREMA. *Oratio pulchra debet esse copiosa.*

DEMONSTRATIO. Cum enim in oratione pulchra *plura verba* adhibeantur, quam ad veritatem nude proponendam requiruntur (§. XXII.), ea autem oratio dicatur *copiosa* (§.XXIII.); consequens est, orationem ornatam debere esse copiosam.

§. XXV.

Cum ex §. XII. tibi constet, orationem pulchram requirere aptam par-

tium, ex quibus illa coagmentetur, *Symmetriam* sive commensum, & ex §. XVI. Confect. I. perspectum habeas, orationem pulchram respuere omnes voces inanes, facile nunc intelligis: 1. *Inanem & ventosam loquacitatem ab oratione pulchra, licet sit copiosa, sejungendam esse, quia inanis loquacitas & tollit aptam partium Symmetriam, & multas voces, mente cassas, admiscet.* 2. *Hinc vides, orationem pulchram debere esse concinnam.*

Demonstratio. Apta enim membrorum congruentia, qua omnes partes in ea, qua coaluerunt, orationis compage, cum quodam justæ magnitudinis decore conveniunt inter sese, & ordine mensuraque conspirant, efficit id, quod dicimus, orationis *concinnitatem* (per definit.)

Cum vero ad id, ut oratio pulchra sit, requiratur partium, ex quibus illa coagmentatur, *Symmetria* sive *commensus* (§. XII.); intelligitur, orationem pulchram debere esse *concinnam.*

§. XXVI.

§. XXVI.

Oratio, in qua verba cum rebus censentiunt, & exæquantur, dicitur *apta*.

§. XXVII.

Oratio pulchra debet esse apta.

Demonstratio. Cum oratio pulchra esse non possit, nisi in ea insint *perfectiones* (§. XIII. Consect. II.); perfectio vero requirat *consensum*(§. VIII.): sequitur, ut in oratione pulchra debeat esse *consensus* cum rebus dicendis, ita ut parva ac tenuia tenui, mediocria temperato, magna sublimi & magnifico dicendi genere exprimantur. Hæc oratio dicitur *apta*, (§. XXVI). ergo oratio pulchra debet esse *apta*.

§. XXVIII.

Ex his *Theorematibus* demonstratis plenius nunc intelligis positiones, ad Eloquentiæ Naturam, & Indolem satius explicandam facientes, quarum nonnullas hic videas.

1. Quandoquidem Eloquentia est facultas pulchre loquendi (§. 1.) atque

adeo pulchra oratio ab ea sejungi nequit (§. III.), vides, eloquentiam esse facultatem perspicue loquendi (§. XV.) quia oratio pulchra debet esse perspicua.

II. Eloquentia respuit voces inanes (§. XVI. Consect. I.), atque adeo eloquentia & loquentia differunt.

III. Eloquentia nititur clara ac distincta rerum enunciandarum cognitione (§. XVI. Consect. II.)

IV. Eloquentiæ præsidia debent peti ex lautiori eruditionis apparatu, maximeque ex Philosophia (§. XVI. Consect. III.); ut ergo eloquentia recte dicatur *loquens sapientia.*

V. Eloquentia est facultas, ad persuadendum apposite dicendi (§. XVIII.)

VI. Eloquentia est facultas ita dicendi, ut rationes idoneæ adferantur, quæ mentem audientium ad assensionem flectant (§. XIX. Consect. II.).

VII. Eloquentia est facultas ornate & copiose dicendi. (§. XXI. & XXIII.)

VIII.

VIII. Eloquentia eſt facultas concinne & apte loquendi (§. XXV. & XXVII.)

Plures propoſitiones, ſi ad cogitandum te dederis, ſe tibi ſponte offerent, ita quidem, ut altera alteram partu quaſi excludat. In quo quanta inſit Voluptas, ii demum nôrunt, qui mentis vires non hebeſcere patiuntur, ſed ingenium, tanquam arcum, intentum habent, & nunc hanc, nunc illam propoſitionem meditando pertractant. Hoc uno exercitio ſi Juvenes, qui in ſcholis humanitatis ad ſtudia incumbunt probe ſubiguntur, dici non poteſt, quantum inde utilitatis ex Logica referatur. Hucusque citatus Auctor, ex quo in gratiam Tyronum, quibus forſan præfatus liber ad manum non eſt, illa deſcripſi, in quorum gratiam etiam Cl. ANTONIUS GENUENSIS, integram, & bene longam APPENDICEM, quæ CHRISTIANI WOLFII de *Methodo Mathematica brevem*, ut vocat, *commentationem* complectitur, Logicæ ſuæ inſeruit. *Poſt Libri V. Cap. VII.* Cæterum in ejusmodi Meditationibus philoſophicis ſollicite cavendum, ne peccetur contra dicta (XXXIII. 6. item CXII.) ne Cautela.

scilicet *demonstratio philosophica* in inanem *garrulitatem* desinat, aut futilem *Logomachiam.* Denique an Methodus *scholastica*, seu *syllogistica* retinenda; an vero, ut quidam optant, e scholis sit eliminanda? videatur *in Logica disputatrice.*

LOGICÆ PARS II. PRACTICA. SIVE DE USU ARTIS LOGICO-CRITICÆ.

PRÆFATIO.

QUoniam (ut SENECA inquit *Epist.* 18.) *sic oportet discere, ut, quæ fuerunt* VERBA, *sint* OPERA, *turpissimumque est, quod nobis objici potest,* VERBA *philosophiæ, non* OPERA *nos tractare. Epist.* 24. LOGICÆque insuper *ex officio competit, ut nos doceat* VERITATEM ET INVENIRE ET DIJUDICARE (XXVIII.) ideo nunc in eo totos nos esse convenit, ut doceamus, quomo-

modo & in *invenienda*, & in *dijudicanda veritate*, iis, quæ *de tribus mentis operationibus*, atque *Methodo* in Logica THEORETICA hactenus pertractavimus, recte uti debeamus; sive ut ARTEM UNIVERSÆ SAPIENTIÆ STUDIUM RITE INSTITUENDI *practice* addiscamus. Hoc igitur ut ordinate fiat, præmissis in Logica Theoretica 4. Dissertationibus Theoreticis, nunc totidem Dissertationes practicas eo ordine subjungemus, ut *primæ*, DE SIMPLICI MENTIS APPREHENSIONE, hic *prima de diversis animi morbis seu erroribus*, *eorumque causis atque remediis*; *2dæ*, de JUDICIO, altera de *Criterio Veritatis*; & *Arte critica*. *3tiæ*, de MENTIS RATIOCINIO, *tertia* pariter de *recto usu ac mediis argumentationum*; *4tæ* Denique *Theoreticæ* DE METHODO, *4ta* pariter practica *de Methodi ad diversa applicatione*, ex æquo respondeat. Sit ergo



DIS-

DISSERTATIO I.

DE
DIVERSIS ANIMI MORBIS, SEU ERRORIBUS, EORUMQUE CAUSIS ATQUE REMEDIIS.

CUm plurimum interſit, ac *primum omnis veritatis principium ſit*: NOSSE SE IPSUM; Hinc ante omnia vires humanæ naturæ indagandæ, perſcrutandæque ſunt, quouſque ſe illæ extendant? ne, cum ÆDIFICIUM VERITATIS, & SAPIENTIÆ nimis altum, atque pretioſum quis moliri tentaverit, neceſſariis in decurſu ſumptibus, atque ſubſidiis deſtitutus, audire cum Sarcaſmo in fine illud Evangelicum teneatur: HIC HOMO CÆPIT ÆDIFICARE, ET NON POTUIT CONSUMMARE. *Luc.* 14. *v.* 30. Fontes autem errorum, qui nos ab inquirenda aut invenienda per Ideas claras, diſtinctas & adæquatas, aqua limpida veritatis abſtrahunt, ac tanquam vectes & ſeræ prohibent, ne tam facile poſſimus adire CORYNTHUM, ex *triplici* ſcaturigine omnes profluunt 1. ex anima. 2. Ex corpore. 3. Ab aliis

aliis causis externis, pandamus ingenii vela, & in altum navigemus, ut fontes illos nedum invenire, sed & præstruere discamus!

SECTIO I.

DE CAUSIS ERRORUM IN *ANIMA* EXISTENIBUS, EORUMQUE REMEDIIS.

CCXXXVII. ERRARE hic dicitur Anima, *quando falsum cognoscit pro vero*, & licet hic error non *propria* ac *formalis*, sed *materialis* tantum *falsitas* dici debeat (cum in *simplici apprehensione*, sive ideis, *formalis* falsitas dari nequeat (*juxta Logic. disputatricem*) plerumque tamen cognitio, vera ac unica hujus falsitatis *occasio* & *causa* existit, quatenus scilicet Mens ex tali cognitione, non satis examinata atque ad limam deducta, Judicium suum *præcipitat*, indeque in *errorem formalem*, qui dici solet, *confusio Judiciorum*, prolabitur. Errores porro in anima alii sunt, qui INTELLECTUM, alii, qui VOLUNTATEM afficiunt. Pri-

Error, seu falsitas materialis.

Error formalis.

Error Theoreticus. *mi* THEORETICI, 2*di* PRACTICI appellantur, nam *illi* tantum circa rerum *affectiones* & *proprietates* versantur e. g. si quis erronee putaret, *animam hominis* Practicus. *esse corpoream*, *isti* vero etiam *actiones* humanas, vel ponendas, vel omittendas respiciunt, ut est v. g. illud Wolfii principium: *homo tenetur commode, & jucunde vivere.* Illi tamen longe periculosiores, curatuque difficiliores sunt quam isti, quia (præterquam quod in *istos* proxime degenerent) intellectum tenebris involvunt, & sub *specie veritatis* ita fascinant, ut rationem saniora suadentem deinceps audire detrectet.

CAUSÆ ERRORUM EX PARTE INTELLECTUS, EORUMQUE REMEDIA.

Imbecillitas mentis humanæ. CCXXXVIII. Causa I. est IMBECILLITAS MENTIS HUMANÆ, & quidem duplex, *intelligendi* una, altera *recordandi.* Enim vero, quæ sciri possunt, infinita sunt, eaque nedum homines, sed nec *Angeli* ipsi plene comprehendere, ac scientia assequi valent; capacitas vero mentis nostræ non solum *finita*, sed etiam ob originalis

nalis peccati labem, ita debilis & limitata est, ut, si cum rerum sciendarum numero comparetur, eam habere proportionem reperiatur, quam habet unitas ad numerum infinitum, prout loquitur Cl. ANTON. GENUENSIS *Log. L. I. C. II. §. II.* Non pauci enim in orbe dantur, qui vix trium idearum nexum perspicere queunt; alii vero hunc quidem inspiciunt, sed plurima tamen alia minime assequuntur, ipsique in mundo perspicacissimi in res *inextricabiles* frequenter incidunt: adde, quod nihil inter homines magis inconstans, & lubricum sit, quam *memoria*, nihilque majori labore comparetur, ac iterum citius amittatur; quæ tamen, cum sit *fulcrum* atque *fundamentum* nostræ scientiæ, robusta & vivida esse, eaque *scientiarum principia*, & quasi *lumina*, quæ semel didicimus, fidelissime retinere, & opportune suppeditare deberet; Cum alias progredi ulterius non valeamus: hujus igitur defectu mens plerumque rerum aut *subtilitati*, aut *obscuritati*, aut *multitudini*, aut *novitati* cedit, atque succumbit.

CCXXXIX.

Remedium.

CCXXXIX. REMEDIUM huic malo opportunum, exhibet monitum APOSTOLI *Rom. XII. v. III. Non plus sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Nempe quilibet (memor, *quid valeant humeri, quid ferre recusent*) se solum impendat studiis *necessariis*, utilibus, ac talibus, quæ aut captum non superant, aut quorum sciendorum *media*, ac *vias* sibi suppetere novit; neque *intellectum*, aut *memoriam* obruat objectis valde *disparatis*, aut omnino *superfluis*, nam plerumque; ut SENECA ait, *necessaria ignoramus, quia superflua discimus.* Inter ea autem, *quæ captum nostrum superant*, recensentur 1. *Mysteria fidei*, quæ tantum *credi*, & non sciri queunt. 2. *Ea, ad quæ cum animi præparatione accedi oportet.* Sic v. g. *Philosophiæ recentioris amator* disciplinas Mathematicas, *Medicinæ Candidatus* præter Physicam, Anatomiam, & historiam naturalem, etiam Staticen, Hydrostaticen, aliasque disciplinas Physico-Mathematicas; *Canonista* Scripturas, Conciliorum ac SS. Pontificum sanctiones, unacum Historia Ecclesiastica &c. nôsse debent. 3. *Quæstiones de mere possibilibus, in quibus studiose perquirendis, mirum est*, inquit Cl. ANT.

GE-

GENUENS. *C. III. §. II. W. Philosophos per plura sæcula occupari potuisse, quasi id eis pensi datum esset, ut in otiosa meditatione contabescerent*, cum tamen nec *rerum naturalium* vires ipsis clare innotescerent.

CCXL. CAUSA II. est Nimius INGENII FERVOR, LABORISQUE IMPATIENTIA. Dantur videlicet in orbe plurimi, qui ea, quæ in scientiis *ardua* sunt, atque *profunda*, aut horrent ingeniis suis delicatis attingere, aut leviter transiliunt, sicque in *superficie* tantum hærent, altum vero sapientiæ mare plenis industriæ velis ingredi, *commoda* ipsorum *vivendi ratio*, vel etiam *ignea ingeniorum vis* ipsos haud sinit, *umbra* veri, ideis *obscuris*, & *obvia* rei verisimilitudine contenti: hi nodos cum Alexandro scindere, quam subtiliter solvere malunt, eisque sufficit ex COMPENDIO quodam aut LEXICO didicisse *terminos artis*, aut *curiosa* attigisse, ita ut in scientia peregrini rudibus haud appareant, parum solliciti de *soliditate* Judicii. Ingenii nimius fervor.

CCXLI. REMEDIA pro ingeniis ejusmodi *præfervidis*, *laborisque impatienti-* Remedia.

X *bus*

bus sunt. I. Curent veri litterarum amantes, a teneris se tradere *Meditationis* labori (CCXXXV.) nec tam rerum sciendarum *copiæ*, quam *soliditati* assuescant inhiare. II. *Volubilitas ingenii* sistatur, tempereturque *morâ*, *repetitione*, ac *reflexione* multiplici, *exercitatione*, *cum doctis communicatione*, brevique *annotatione*, & in *compendium* relatione eorum, quæ *prævio studio* distincte sunt percepta. III. Si occurrant magis *ardua*, atque *perplexa*, suadet Cl. P. HAUSER. *Log. P. II. §. CCL.* ut *characteribus*, vel *signis* in chartam conjiciantur, ibique descripta volvantur, revolvanturque, quo fiat, ut, labore inter *memoriam*, & *manum* quasi diviso, mitigetur reminiscentiæ intensio. Locum præcipue id habet in ARITHMETICÆ, ac GEOMETRIÆ studiis, in quibus nemo sine *calamo*, *plumbagine*, *circulo*, & *norma* proficiet, huc etiam refertur DEMONSTRATIO SYMBOLICA, de qua infra in DISSERTAT. III. hujus LOGICÆ PRACTICÆ erit sermo.

Attentionis defectus.

CCXLII. CAUSA III. Est DEFECTUS ATTENTIONIS (quam; ex WOLFIO definit BAUMEISTER. *Phil. definitiv.* §. DCCXXVIII. esse *facultatem efficiendi*,

ciendi,

ciendi, ut unius rei magis nobis simus conscii, quam alterius, cujus æque nobis poteramus eodem tempore esse conscii) dum scilicet nulla adhibetur circumspectio, tum circa cognoscenda ea, *ex quibus* res *dijudicari*, aut *veritas* investigari debet, tum circa illas *rationes*, quæ mentem ad hoc judicium ferendum inducere, ac permovere solent, an videlicet *objectis* suis datæque *materiæ* congruant? *Attentionem* porro omnium maxime minuunt, atque evertuut AFFECTUS QUICUNQUE PRÆDOMINANTES, de quibus mox *in specie* (CCLIII. & CCLV.) ab illis enim variæ oriri solent *perceptiones* boni vel mali; istas sequuntur variæ *Commotiones* corporis, præcipue sanguinis & nervulorum; his denique succedunt *voluptas*, *dolor*, & *inquietudo* quædam, in quibus ædæquata *affectus* natura consistit: & quibus, ob leges *unionis animæ cum corpore*, mens nostra *vehementius* impellitur, quam *Veritas* ipsi faciat, illiusque *acumen* retunditur; sunt enim juxta PLATONEM affectus hujusmodi *nebulæ*, *quibus serena mentis regio* opacatur, vel, ut PLUTARCHUS loquitur, *Vitra colore perfusa*, quibus rerum colores

Unde oriatur?

lores immutantur, ita ut pro veris & probabilibus adstruantur, non quæ RATIO, sed quæ *affectus* dictat; adeoque *ideæ*, & judicia corrumpuntur, quia corruptus judex, excæcatus est animus, cui pro *lege*, PASSIO, pro *ratione* VOLUNTAS.

Remedia. CCLXIII. REMEDIA malo huic *gravissimo* ista sunt potissima. I. Ex locis propriis, & principiis datæ materiæ congruis omnia prius discutiantur, antequam de præconceptis ideis *judicium* feratur. II. Attentio *ad plura* simul non convertatur; secus enim nulla de re *claras*, *distinctas*, & *adæquatas* ideas hauriet, sed *superficiariam* tantum, aut omnino *falsam* scientiam mens acquiret, juxta illud; *pluribus intentus*, *minor est ad singula sensus*. III. *Serio* ac *ordinate* studendum; nam qui *sine ordine* philosophatur, ad mentis *brevitatem* addit *confusionem*, & qui non *serio* litteris vacat, caret *Zelo* sincero, & *amore efficaci veritatis*, adeoque nunquam evadet SAPIENS. IV. Alte menti insculptum hæreat illud: VINCE TE IPSUM, ideoque animi *cupiditates*, & *affectus prædominantes* assiduo regat RATIO, quæ si ex-

exculta ad clavum sedeat, minor est illorum impetus, minus imperium: nam *affectus ignorantia aluntur.* V. Quæ judicata sunt *præsente affectu vehementiore*, menti serenitate reddita, ad incudem revocentur. Sæpe *nox nocti indicat scientiam*, reditque de mane *consilium*, & *ratio.* VI. Attentioni fovendæ præprimis utile Censet Cl. P. Buffier (citatus a Cl. P. Hauser. *Log. p.* 2. §. CCLI.) Geometriæ studium, illius enim tum *figuris*, tum evidentissimis demonstrationibus, mens tota occupatur, attentioque naturaliter excitatur. VII. Sed & vitandam quoque monet Cl. Purchotius, *Log. P. II. Sect. II. Cap. III. hominum*, *negotiorumque* turbam, quæ ut plurimum animum attentum turbare, & alio divertere solet: inde forsan ansam desumpsere Poetæ, fingendi, quod Musæ non in alio loco libentius, quam in altissimis montium cacuminibus, procul a turba hominum, habitare, & suis singulæ facultatibus vacare consueverint. Plura inferius (CCXXVII.)

CCXLIV. Causa IV. Est Inordinatus sciendi, novaque invenien- Sciendi intemperantia.

DI APPETITUS. Irrequieta nempe, & fastidiosa sunt hominum quorumdam ingenia, putantium, tantum *sciri* posse, quantum *quæri*, iisque minime sufficiunt, quæ ab aliis sunt tradita, vetera plane *omnia* nauseant, & *triticum cum zizaniis*, hoc est, *certa & vera*, cum *incertis* & *falsis*, promiscue evellunt, ac stirpitus eradicant; novas econtra *controversias*, & quæ ex istis sequitur, *ignorantiam* augent, sibi solis sapientes, & per hoc eo ipso enormiter errantes, juxta illud adagium: *stulto Magistrum constituit, qui se sibi discipulum subdit.*

Remedia. CCXLV. REMEDIA sunt. I. Sanam quivis veritatis amans, sui DIFFIDENTIAM contrahat, doctorumque directionem, censuram, & contradictionem, æquo hilarique animo perferat, ac nonnisi humiliter de se, suisque sententiis; de aliis vero bene ac optime sentiat, atque præsumat. II. Si ingenium, forte nimium vivax, præter modum quis experiri velit, satius est, in iis experiri, quæ *manu* geri possunt, quam quæ solo *intellectu*; in illis enim, si res ex voto haud succedant, VIRES tantum periclitantur,

tur, inquit CL. ANT. GEN. In his vero *Veritas* quoque. III. Non omnia *Vetera* continuo abjiciantur, ex eo præcise, quia *Vetera* sunt, sed semper *modus*, & *sanum judicium* adhibeatur, unicaque VERITAS, sive ab *antiquioribus* jam cognita, sive a *Recentioribus* inventa, assensum nostrum trahat, semper ante oculos habendo illud M. PHILAGRII LE ROY. *in præfat. Philos. Eclect.*

Nam neque *prisca* mihi, nec *nova*,
VERA placent.

CAUSÆ ERRORUM EX PARTE VOLUNTATIS, EORUMQUE REMEDIA.

CCXLVI. Ab omnibus indubitanter admittitur, ad hoc, ut aliquis in virum *doctum*, solideque *eruditum* evadat, hæc quatuor potissimum requiri. 1. Ut polleat nativa quadam *mentis perspicacia*. 2. Ut robusta & vivax illi insit *memoria*. 3. Ut ei suppetat optimorum *Magistrorum*, & *librorum* copia. 4. Denique ut gaudeat *seria voluntate*, cum *improbo studio* conjuncta. Requisita ad acquirendam solidam Doctrinam.

 Horum

Horum autem omnium si priora tria tantummodo sint *mediocria*, postremum vero *perfectum*, etsi forsan ille *sero* tandem, at perveniet tamen ad *scientiam*, certe non exiguam: sed si priora tria *egregia* quoque sint, ultimum vero *deficiat*, nemo vel latum unguem in litteris proficiet: caute igitur *occasiones errorum*, quæ se tenent ex parte VOLUNTATIS (cujus in *Intellectum* magnum est imperium) declinandæ, atque *Remedia*, scite medentia, applicanda sunt, si quo *morbo* decumbat *voluntas*.

Voluptates Corporis. CCXLVII. CAUSA I. sunt CORPORIS VOLUPTATES, atque ILLECEBRÆ, supra modum *sensibus* concedi solitæ, nimius præsertim *ciborum*, *vini*que usus, quo *voluntas*, totusque animus enervatur, *acumen* retunditur, & *attentio* (una illa *scientiarum conciliatrix atque magistra*) exulare cogitur, sensimque *voluntas* ita *mollis* redditur, ut nil amplius *arduum* atque *difficile* MENTI imperare audeat; sed & CORPORI quoque timere incipiunt hujusmodi delicatuli voluptatum amatores, adeo, ut *vitæ* spatio detrahi putent horas omnes, quas Meditationi, lectioni,

Et timor vitæ abbreviandæ.

aut

aut scriptioni in Musæis, pulpitis, ac Cathedris impendunt, eoque citius *fatis* concessuros sese existiment, quo diutius atque intensius *Musis* vacaverint.

CCXLVIII. Remedium unicum est fuga voluptatum corporearum, quas merito (ut Poëta Sirenes vocat) *dulce venenum*, *hilares mortes*, *gaudiumque crudele*, appellare licet, imo & *omnis scientiæ naufragium*, id quod indicare forsan voluit nonnemo ex priscis illis Græciæ Sophis, qui, cum ex eo quærerent, qua via & methodo tantum doctrinæ acquisiverit, dixisse fertur: *ideo, quia plus olei in lampade, quam vini in dolio consumpsi!* Cæterum, quod *cibi* potius, & *vini*, aliarumque rerum *intemperantia*, non autem *lectio*, & *meditatio* &c hominibus vitam adimat, lippis & tonsoribus nota, ac undequaque perspecta veritas est; prostant enim in Historia litteraria, exempla plurima virorum, in meditatione, lectione, & exercitatione consumptorum, qui tamen ad decrepitam usque ætatem pervenêre: sic Democritus centenarius, Plato 81 annis natus, legens mortuus est,

Remedium.

Continuum Litterarum studium non obest valetudini.

S. Hyeronymus 91, & nostris temporibus Newtonus circiter 85 annis vixere &c. teste Cl. Ant. Gen. *Log. L. I. C. III.* §. *XIV.* qui tamen *loc. cit.* monet, ut studia recte & *temperanter* instituantur; nam alioquin *studiorum quoque intemperantiam esse* ait.

Opiniones quædam frivolæ.

CCXLIX. Causa II. sunt opiniones quædam frivolæ, quæ ad duas præcipuas reducuntur, 1*ma* est eorum, qui ex *natura* sua, quam non adeo *beneficam* nacti sunt, putant se nimium *imbecilles*, atque ad aliquid *novi* inveniendum *ineptos* existere, ideoque jam, antequam incipiant, animis cadunt; nihil omnino tentantes, at sic etiam nec quidquam proficientes. Certe *hæc opinio*, inquit mox cit. Cl. Auctor §. 13. *plurimum nocuit* Peripateticis, uti observat Verulamius: *scilicet opinabantur, nihil se excogitare posse, quod non melius perspexerit ingenii humani finis* Aristoteles. *Est autem ea opinio omnino falsa, quæ si omnibus Majoribus nostris insedisset animo, glandibus adhuc vesceremur, atque in arundine longa equitaremus.* 2*da* Illorum est, qui putant, litteras pietati adversari, eoquod, teste ipsamet S. Scriptura, Scien-

TIA

TIA INFLET, & consequenter a DEO, qui est VERITAS, non raro abducere soleat: hac de causa RATIONEM, qua nullum majus donum a DEO hominibus est datum, excolere non pauci negligunt, sancte dicamne superstitiosi, an vero superstitiose sancti?

CCL. REMEDIUM UNICUM suppeditat notum illud Ascetarum Axioma: VIRTUS IN MEDIO, item: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Nempe sedulo cavendum, ne sive per *excessum* (CCXLIV.) sive per *defectum* a virtute deflectatur: oportet igitur (in quantum ad 1*mum*) ea etiam pertentare, quæ *Majores nostri* frustra tentaverunt, modo non constet, esse supra captum humanum, probabilisque adsit spes *inventionis*; & certe rerum natura immensus quasi oceanus est, in quo semper aliquid novi expiscari licet, cæterum (in quantum ad *secundum*) quo commodo RATIONEM hominibus providentissimum simul ac benignissimum NUMEN donâsset, si hæc absque pietatis jactura excoli non posset! (nam præstat esse *pecudem*, quam *impium*) bene igitur *usus* ab *abusu* discer-

Remedium.

Scientiæ non adversantur pietati.

scernendus est (CCXX) dein ipsa S. Scriptura docet, ADAMUM & SALOMONEM disciplinis intellectûs fuisse a DEO instructos: at hoc DEUS plane non fecisset, si *scientia probitati* inimica foret, nec etiam ea ipsa S. Scriptura hominem ita frequenter adhortaretur ad sapientiam, atque intellectûs culturam. Postremo illam frivolam opinionem plane evertunt manifesta tot SS. Ecclesiæ Patrum atque Doctorum exempla, quales fuêre CLEMENS ALEXANDRINUS, GREGOR. NAZ, HIERONYMUS, AUGUSTINUS, AMBROSIUS, GREGORIUS M., THOMAS, BONAVENTURA, ANTONINUS, FRANCISCUS SALESIUS &c. qui in omnibus tum VIRTUTIBUS tum LITTERIS simul exculti, in optima forma, AB ACTU AD POTENTIAM posteros concludere docent (CCXIV.) curent itaque, qui ejusmodi sensa gerunt, ne *mentiatur iniquitas sibi, ad excusandas excusationes in peccatis* ACEDIÆ, PIGRITIÆ, *atque* INVIDIÆ, de quibus eos talis *loquela manifestos* plerumque apud sapientes *facit.*

Defectus seriæ voluntatis.

CCLI. CAUSA III. est DEFECTUS AUT SERIÆ VOLUNTATIS, AUT APTI IN LITTE-

TERARUM STUDIIS MAGISTRI. Qui enim solo Parentum aut Superiorum imperio, adacti potius atque compulsi, quam persuasi, litteris insudant, ex defectu debitæ *attentionis*, quam ejusmodi homuli fere nunquam præseferunt, animis continuo alio vagantes, ideas *claras* atque *distinctas* in ea facultate, cui magis incumbunt, quam vacant, nunquam assequentur, & sic ex illarum defectu *docti* nullatenus evadent (XXXIII. 4.) inde prô malum! tot inepti *Judices*, integrarum communitatum *Gubernatores*, quin etiam non raro artium *Professores*, vel potius *dehonestamenta & fœditates* proveniunt, in quo certe Parentes ejusmodi, aut Majores, qui puerorum ac adolescentum suorum indolem, atque capacitatem antea explorare non satagunt, haud leviter peccant, severamque rationem supremo Judici de adempta illis libertate, vitæ statũ eligendi, dare olim cogentur. Nec minus est alterum malum, quod ingeniis quandoque optimis, ab *indoctis*, ineptisque *Doctoribus* evenit; *seu enim*, *quæ* ejusmodi Pseudo-Magistri *tradere solent*, vel debent, *ipsi non intelligunt* (verba sunt Cl. ANTON. GEN-

Inepti artium Magistri ac Professores.

GEN. *L. I. C. III.* §. 17.) *seu inscite, indecore, & sine ulla alliciendi arte tradunt; seu denique nullius momenti sunt, ac prorsus vilia: inde tyrones primum Magistros istos odio habent, tum artes quoque ipsas, ac disciplinas: semel autem sic absterriti discipuli, toto ferme vitæ tempore litteras omnes abhorrebunt.*

Remedia. CCLII. REMEDIA utrique malo ferre possunt PARENTES, ac SUPERIORES, queis *leges* præscribere meum non est, nec etiam hujus *loci*, eoquod solis *tyronibus* ista scribam; Hi itaque pro remedio utantur noto illo Ascetarum Problemate: SI NON ES VOCATUS, FAC TE VOCATUM! & Majorum suorum imperia pro cœli nutu habentes, toto animi conatu, *seriaque voluntate* ad studia se applicent, illam CHRISTI duodennis sententiam frequenter animo recolentes: IN HIS, QUÆ SUNT PATRIS MEI (*qui est in cœlis*) OPORTET ME ESSE. *Luc.* 2. *v.* 49. *Seria voluntas* supplebit omnia, præsertim si accedat *altior finis*, & *improbum studium* (CCXLVI.) Cæterum non possum non hic apponere illam QUINTILIANI *L.* 2. *Instit. Orat.* doctrinam, qua vult, pueros protinus *optimo Præceptori*, & *eminen-*

tissimo

tissimo esse tradendos, eosque vehementer reprehendit, qui putant, instituendis artibus ingenuis aptiorem existere *mediocritatem* Præceptoris; Nam *quis ignorat, quanto sit difficilius dedocere, quæ prius male sunt accepta, quam docere?* Iterato dicit sæpe cit. Cl. Ant. Gen. *Timotheus quidam, clarus in arte tibiarum, duplices idcirco ab iis, quos alius ante ipsum instituisset, exigebat mercedes, quam si rudes traderentur.*

CCLIII. Causa IV. est Philautia, sive inordinatus amor sui ipsius. Pleraque *falsa Judicia*, atque *discursus* ex hoc vitio procedunt, ut præclare ostendit Cl. Auctor artis cogitandi. *Log. P. III. C. XX.* de rebus nimirum fere nunquam judicamus *ipsis ex rebus*, sed ex eo, quod *respectu nostri* sunt, cum tamen veritas a nostris cupiditatibus sit prorsus independens; ejusmodi vero honorifica de nobis, & ingenio nostro præconcepta opinio facit 1. ut arbitremur, omnes nostras cogitationes, omnes sententias, esse tam *claras*, tamque *evidentes*, ut illas proposuisse, ad assensum & fidem a quovis extorquendam sufficiat; eos, qui aliter sentiunt, pro *ignaris*, vel Philautia.

teme-

temerariis habentes, & nequaquam considerantes, si alii aliter sentiant, nos etiam ab aliis dissentire, immeritoque existimari, rationem a nobis stare, cum de iis convincendis agitur, qui nobiscum ideo non sentiunt, quia persuasum habent, nos rationem non esse secutos. 2. Alii sunt, qui non alia, ad quasdam opiniones evertendas, ratione utuntur, quam istâ plane lepidâ: *Si id esset verum, ego non essem vir doctus: ergo id non est verum. Ob hanc præcipue rationem* (scribit cit. Cl. Auctor.) *tamdiu neglecta sunt tot utilissima* REMEDIA, *& certissima* EXPERIMENTA, *quia scilicet, qui illa nescivere, tamdiu fuissent in erroribus versati. Cum tamen isti meminisse deberent, humanum esse errare, posseque homines aliarum rerum scientia eminere, licet illas ignorent, quæ nuper fuerunt adinventæ, & detectæ.* 3. Per *Philautiam nutritur spiritus contradictionis*, inquit etiam Cl. P. HAUSER. Log. P. II. Q. VIII. Art. III. §. CCLIII. *dumque ingenii viribus propriam existimationem tueri deinceps desperat ambitio, sæpe alienam famam tentat supprimere, & ruderibus alienæ, inædificare suam.* Hunc contradicendi spiritum fovent non raro *invidia, æmula-*

la-

latio, *odium*, aliæque *passiones*, rationem excæcantes &c. Vah immanem LERNÆ HYDRAM, vel HERCULI formidandam, ex hoc vitio prodeuntem!

CCLIV. REMEDIUM. Quoniam *contraria contrariis curantur*, ut Medici ajunt, nihil efficacius *inordinato sui amori* mederi valet, quam aurea virtus HUMILITAS. Hanc vel ab ipso PYTHAGORA discamus, nec unquam nos *Sophos*, ideſt SAPIENTES, sed solum PHILOSOPHOS, id eſt, SAPIENTIÆ AMATORES nominemus, & esse existimemus. Profecto hoc vitium (*Philautia*) ubi semel animum occupavit, facit, ut nihil nobis sapiat, nisi *nostrum*; cæteri autem homines trunci sunt, & stipites: cum autem in re litteraria, unus ex optimis sciendi Magistris sit SENSUS DOCTORUM HOMINUM COMMUNIS (CCCIX.) *superbus homo*, ex Judicio suo tantum sapiens, communem hunc sensum non poteſt non insectari vehementer: inde ergo contingit, ut, dum *superbit*, non *erret* tantum, *sed deliret*; notum enim eſt, quod non alii sint in republica litteraria homines, magis *perridiculi*, quam SUPERBI. **Remedium.**

Affectus alii. CCLV. Causa V. Sunt alii Affectus animo dominantes, qui staterae, hoc est, *judicii* aequilibrium ex occasione sinistrae phantasiae inclinant. Sic 1. ex Odio male judicabant Judaei *Joan.* 19. *v.* 7. Contra Christum exclamantes: *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori.* 2. Ex Timore iidem dicebant *Joan.* 11. *V.* 48. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Timori quoque maxime debentur plurimae narrationes Spectrorum, aut Lemurum. Eadem causa vulgo persuasit, Cometas, aut alia *signa caelestia* portendere aliquid mali, quamquam Scripturae Divinae clament: a Signis Caeli nolite metuere. *Jer.* 10. *V.* 2. III. Ex nimio *propriae nationis, patriaeve studio* venit, ut non raro, quae alicubi *dubia*, vel etiam falsa creduntur, alibi pro certissimis habeantur ab integra natione, & ab omnibus hujus *professionis* vel instituti: sic (ut ad dictis fidem faciendam non alia quaeram, quam quae quotidiana sunt) omnium Hispanorum ingenia, teste Cl. Auctore Artis cogitandi, *Log. P.* 3. *C.* 20. *Sect.* 1. adeo sunt ab omnium

Gal-

GALLORUM ingeniis diversa, ut, quod his omnibus, ex solius *rationis* præscripto judicantibus, videtur *verum*, illis ex adverso omnibus eadem Regula utentibus, *falsum* appareat. Item sæpe hæc & similia ratiocinia fiunt: *illa regione sum natus: ergo mihi firmiter credendum, hoc aut istud ibi revera contigisse, quod narro, huic ordini nomen dedi: ergo nil aliud mihi pro vero habendum, quam quod illius Ordinis scriptores docuere.* Nihil hic ponderis (præclare inquit CIT. CL. AUCTOR) nihil hic rationis apparet, cujuscunque *regionis* es, cujuscunque *ordinis*, ea tantum tibi credenda sunt, quæ *vera*, & quæ crederes, *etiamsi esses alterius nationis, ordinis, vel instituti.* IV. Ex DESIDERIO & SPE non nunquam oritur, ut pro re desiderata, aut sperata accipiatur, vel quælibet *similis*, vel *phantasma tantum*, juxta illud: QUOD VOLUMUS, FACILE CREDIMUS. Exemplum rursum habemus in infelici JUDÆORUM natione; *desiderium* enim ingens, quo MESSIAM AVIDISSIME exspectant, & SPES futuræ per eum redemptionis a statu ipsorum miserando, fecerunt, ut pro tali etiam quandoque IMPOSTORES, qui se MES-

SIAM simulaverant, reciperent; sic SABBATAI SEVI Smirnæus, ante centum circiter annos, plusquam ducenta Judæorum millia, ex universa prope Asia, Africa, & Europa ad se excivit, ut Historici referunt. Sic etiam levissimæ fæmellæ (inquit CL. ANT-GEN. *loc supra citato*) tam sæpe cum DEO, Angelis, & Manibus ferunt colloquia, quia DESIDERIUM vires *phantasiæ*, qua fœminæ pollent, ad furorem usque augere potest. V. AMBITIO & AVARITIA facit, ut ejusmodi vitiis dediti frequenter decipi se sinant; & *ambitiosi* quidem ab *Ariolis*, & *Astrologis Judiciariis*, *avari* autem ab Impostoribus *Magis*, & *Chymicis*, a quibus aureos montes sperant, dum occultos thesauros indicare, & *lapidem Philosophicum* conficere, variasque metallorum *Metamorphoses* producere se posse præfricta fronte deblatterant, atque interim ipsorum loculos egregie emungunt, ita, ut, ne dicam aurum, sed nec argentum aut cuprum amplius possideant, juxta illud: *Alchymista nihil habet in Cista.*

CCLVI. REMEDIA desumenda sunt ex illo HORATII monito, ubi dicit: *animum rege, qui nisi paret, imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catena.* Igitur 1. *antequam* feratur *judicium*, aut fiat *discursus*, explorentur omnes animi latebræ, an non forte *animal* pro *ratione* thronum occupet. 2. *Præsente* affectu inordinato nihil statuatur, sed huc potius omnes vires intendantur, ut obvietur ejus augmento, prout recte suadet OVIDIUS, *Principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.* 3. *Post affectum repressum*, aut quomodocunque sublatum, mens rationabiliter se reflectat, ac, si opus est, novo judicio, si erroneum repertum fuerit, illud prævium ac nimis præcipitatum corrigat (CCXLIII. 4. & 5.) Remedia.



SECTIO II.

DE ERRORIBUS, QUI EX CORPORE ORIGINEM DUCUNT.

Pigritia. CCLVII. Causa I. Est Pigritia, seu Vis Inertiæ, corpori connaturalis. Inde venit 1. Ut *pauca* discamus. 2. Ut paulo *difficiliora* leviter transmittamus, atque 3. Ideis magna ex parte *obscuris*, *confusis*, & *inadæquatis* (XXXII.) contenti, vere *scientes*, *solideque docti* nunquam evadamus. Id quod illis usuvenit maxime, qui malunt aliis *credere*, eorumque sententias quascunque obvias memoriter discere, quam rei *veritatem* ipsi *inquirere*, longoque & laborioso *ratiociniorum* nexu operose eruere (CCXL.)

Remedia. CCLVIII. Remedia 1. Servetur monitum S. Ambrosii, *L. de Joseph* dicentis: *Vince naturam diligentia, exclude corporis somnum. Naturam nobis formare non possumus, possumus diligentiam. Nihil est,* inquit Seneca *de ira L. 2. C. 12.*

tam

tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio. Quodcunque sibi imperavit animus, obtinuit: Conemur igitur CONTINUATA *attentione* ac *meditatione* studiorum *habitum* paulatim contrahere, etiamsi sub initium *cum pondere corporis*, tædio, & fastidio colluctari debeamus, ne cessemus; hæc enim impedimenta continuato *exercitio* fient leviora. 2. Fugiamus ea, quæ corpus a sapientiæ studio possunt impedire, ut sunt lauta *Convivia*, intempestivus *somnus* (etenim *non jacet in molli veneranda scientia lecto*) inanis & vana cum *furibus temporis*, id est *amicis*, aut sociis Jovialibus protracta *confabulatio*, nimia *locorum amœnitas*, *ludi*, aliæque vitæ mollioris illecebræ, dicamusque singuli cum SENECA *Epist.* 33. *Malo mihi esse male, quam molliter*: VIROS nos esse meminerimus, quorum est *ad ardua eniti!* 3. Novum indies, non qualiscunque, sed *veræ Germanæque sapientiæ desiderium* in nobis excitemus, memores illius Apophtegmatis, quod teste DIOGENE LAERTIO protulit ARISTIPPUS, Ethnicus Philosophus, cum ex eo nonnemo quæ-

reret, quid profit filio suo, si in litteris instrueretur ? respondit enim : *Hoc et prodest*, *ut in Amphitheatro lapideo Comædiam spectans non sedeat* LAPIS SUPER LAPIDEM. 4. *Doctorum familiari consuetudine* utamur, eos colamus, & frequenter cum illis conversemur, fieri enim non potest, quin animus eorum imaginibus excitetur. 5. Studiorum *habitum* semel contractum *retinere* anxie satagamus, nec unquam *desuetudine* languescere sinamus, amittitur enim facilius, quam acquiritur. Itaque ÆQUABILE *vitæ genus*, in quantum *vires*, *vitæque conditio* permittit, sectemur. 6. Denique corporis *valetudinem*, quæ ad studii fervorem continuandum plurimum valet, perquam caute custodiamus, idque *aurea victûs mediocritate*, *exercitio Corporis* aliquo, sive *motu*, & *curarum*, quoad fieri potest, *vacuitate*.

Temperamentorum vitium.

CCLIX. CAUSA II. Venit a VITIOSIS CORPORUM TEMPERAMENTIS, est autem TEMPRAMENTUM *habitudo diversa partium solidarum*, & *fluidarum in corpore*, totaque dependet tum ab *organorum* structura, tum a natura *humorum*, *sanguinis* præcipue, tum ab aliis

aliis causis extrinsecis, *aere*, *cibo*, *potu &c*: ubi ergo male temperati *humores*, corrupta *organa &c*, ibi sequitur *phantasiæ* corruptio, *sensuumque imagines*, quæ in illam tanquam in *commune receptaculum* confluunt, mire augentur, minuuntur, turbantur, & copulantur, ideoque etiam ab illis, si sint *vividiores & clariores*, multo vehementius animus agitari solet, quam ab imaginationibus *spiritualibus*: Illi ergo, qui *phantasiam* pro *ratione* habent, & *rationem* puram aspernantur, quam minus intelligunt, errores sane plurimos committunt ex eo, *quod*, *quæ* INTELLIGI *debebant*, conentur sibi IMAGINARI, Et quidem pro vario corporum temperamento.

I. SANGUINEI, queis fibræ non sunt nimis laxæ, nec justo strictiores, vasa mediocria, pulsus arteriarum non vehemens, at sufficiens tamen, & *salinæ* particulæ copiosissimæ sanguini innatare dicuntur, *hilarem* habent *phantasiam*, ut *somnia* eorum indicant, quæ nil nisi elegantia, amœna, & læta repræsentant, ideoque etiam, quidquid cognoscunt, colore *phantasiæ* pingunt, mala non augent, sed ex- Sanguinei.

tenuant, nec multum *fufpiciofi*, fed *faciles* & *humani* in vita fociali exiftere folent. II. Econtra MELANCHOLICI, quibus fibræ funt duriores, pulfus arteriarum magnus, fed tardior, & fanguis materia *terreftri* copiofiore præditus (unde in iis etiam diggeftio non ordinate procedit, nec bene fluida fecernuntur) *phantafiam* habent *triftem* atque *confufam*; eorum *fomnia* incendia, ruinas, naufragia, inundationes &c. repræfentant; his minima mala videntur effe ingentia, omnia tuta timent, ideoque *fufpiciofi*, *truces*, & *crudeles*, focietatique graviores ac difficiliores accidere folent. III. PHLEGMATICI, quibus fibræ funt fpongiofæ & laxæ, vafa tenuiora, pulfus parum vehemens, & fanguis multo *phlegmate* præditus, *tardi* effe confpiciuntur, & *dubii*, *fomno* & *pigritiæ* dediti, fublimibusque contemplationibus impares; prout videre eft in *pueris*, qui, cum plerumque temperamento fint *fanguineo*, aut *phlegmatico*, ludis delectantur amœnis, laborem naufeant, *pigritiæ* vacant, & ut parum valent *judicio*, ita fubtilia vix unquam fpeculari amant. IV. CHOLERICI, queis fibræ funt tenuiores, & tenfæ, angu-

Melancholici.

Phlegmatici.

Cholerici.

sta vasa, pulsus celerior, & materia *sulphurea* copiosior, plane *ingeniosi* esse deprehenduntur, & acris ac solidi judicii, laboris patientes, ingentium animorum, acuti, circumspecti, serii, & magnis rebus nati.

Jam ex his patet, malam *corporum temperiem*, quæ cum annis augetur vel minuitur, errorum multiplicium caussam, atque parentem fœcundissimam existere, cum ex illa dependeat ingenii *acumen*, *tarditas*, aut idearum *confusio*, his si addantur corporis *morbi*, & *necessitates* variæ, quibus partim a meditatione & studio litterario avocamur, partim ingenium, solertiam, ac memoriam deperdimus, *cumque ætas insuper nostra, qua vivimus, vix pertingat ad 80 annos, peream, si ex his decem solidi anni in studium sapientiæ impendantur, id est, tres solidæ quotidie horæ, nullo unquam die excepto. Igitur quid mirum est, nos omnes esse ignorantissimos, & infinitis erroribus circumseptos?* Ita denuo Cl. ANT. GEN. *Log. L.* 1. *C.* 5. §. *XII.*

CCLX. REMEDIA GENERALIA pro temperamentorum vitio curando ea- Remedia Generalia.

dem

dem servire possunt, quæ data sunt supra (CCXLI. CCXLIII. CCLVI. & CCLVIII.) queis sequentia addo. 1. Quoniam *omne datum optimum & omne donum perfectum a Patre luminum* venit *Jac.* 1. *v.* 17. preces inprimis & vota cœlo nuncupanda sunt, atque cum SALOMONE ardenter supplicandum est pro SEDIUM DIVINARUM ASSISTRICE SAPIENTIA, ejusque vox, in *humili solitudine* omnium maxime insonans, cum gaudio auscultanda. Remedii hujus efficaciam experti sunt præter citatum SALOMONEM adhuc alii, numero pene infiniti, ut S. THOMAS AQUIN. B ALBERTUS M. SUAREZ &c, & ex SERAPHICO ordine S. BONAVENTURA, qui interroganti quondam intimo familiari atque amico suo S. THOMÆ ANGELICO Doctori, unde ipse tantam scientiam hausisset? Christi e Cruce pendentis effigiem ostendisse dicitur, his verbis eum alloquens: *Ecce tibi! hic mea Bibliotheca est.* SCOTUS quoque PRINCEPS SUBTILIUM, & *Doctor Marianus*, temperamenti sui *tarditatem* primo quidem precibus, ad DEUM ac DEIPARAM fusis deperdidisse, deinceps vero, in summis difficultatibus continuo ad preces confugisse

legi-

legitur (XVI.) *pietas* nempe *ad omnia est utilis.* 2. Corporis sui temperamentum quilibet attente secum perpendat, & si se *phantasiam* nimis vividam, & *inconstantem* habere perspiciat, ei constanter invigilet, curetque, ne de rerum *naturis* ex *phantasia* judicet, neve rem, non qualis *est*, sed qualis *videtur* æstimet. Ratio *phantasiam* ubique dirigat. Ast insuper

Specialia pro Melancholicis.

CCLXI. Remedia specialia pro temperamento tardo, & melancholico præter supra tradita (CCLVIII.) sunt. 1. Conentur ejusmodi homines stimulos sibi addere, seseque ad laborem excitare *æmulatione* æqualium, *lectione librorum criticorum*, conversatione virorum perspicacium, criticorum, & eloquentium, caveant vero a commercio cum *tardis*, & *tetris*; transmeant enim conversatione mores, & phantasia ex eorum plerumque fingitur genio, quibuscum sæpe, & familiariter agimus. 2. Fugiant loca humida & *crassa*, *crassioresque* cibos: inde enim sanguis procreatur pariter *crassus*, qui in temperamentum influit plurimum, hinc utilem tardis ac melancholicis esse ait Cl. An-

TON.

TON. GEN. quamcunque *purgationem*, ea enim, quasi a *fuligine* & *nebula* cerebrum eluitur: lacrymæ quoque ob eandem rationem *Melancholicis* prosunt. 3. Declinent a spectandis exemplis *tragicis*, eorumque lectione, quibus animus aut incalescit, aut nimium tristatur. 4. Quoniam mentis sunt *confusæ* MELANCHOLICI, hinc non alios legant libros, nisi *perspicuos*, & *Methodo* præclara scriptos, maxime *geometricos*, sic discent vitare notiones *confusas*, & *obscuras*. 5. Caveant denique a ferendis *judiciis* nimium *præcipitatis*, hujusmodi enim temperamenti homines ad omnem *stultitiam*, quin & *furorem* proni sunt: quare communis *politicorum* mens est, eos Reipublicæ gerendæ habiles, atque idoneos non existere, quia omnia turbant. SANGUINEI quoque temperamenti homines a judiciis præcipitatis cavere debent; in pueriles enim ineptias proni sunt isti, utpote quibus plus est *ingenii*, quam *judicii*. 6. Postremo TARDI in studiis animum non despondeant, sed meminerint illius adagii:

Pro Sanguineis.

Pro tardis,

Gutta

Gutta cavat lapidem, non vi, sed
sæpe cadendo,
Sic homo fit doctus, non vi, sed
sæpe studendo!

CCLXII. CAUSA III. Est SENSUUM NOSTRORUM FALLACIA. Certum enim est, quod ob sensuum *paucitatem*, & *imperfectionem* plurima ignoremus, ea scilicet, quæ tum propter *exilitatem* ac *parvitatem* suam, tum etiam ob *distantiam* nec sub sensus cadunt, nec cum rebus sensibilibus *connexionem* ullam habent, ut sunt objecta, tam viventia, quam etiam vitæ expertia, numero infinita, genere & natura varia, quæ v. g. in tot planetis & stellis fixis, in totaque aeris, & pene infinita extensione reperiuntur, ac tot insuper palustria, & inertia animantia, quæ vix Microscopio observari queunt. Quid quod & sensus nostri, etiamsi fuerint naturaliter perfecti, sæpissime nos fallant, si secundum illos judicemus, ut *per omnes sensus* probat P. Malebranche. Sensuum fallacia.

Sic (ut de solo OCULO, tanquam præcipuo organo sensorio aliquid tangam) *Oculus* in visione nos decipit Deceptio oculi Multiplex.

1. dum

1. dum putamus, objectum visibile a nobis *extra nos* videri, ut est in se secundum suam substantiam, cum tamen solummodo ejus *imago*, per luminis radios, ex illo corpore undequaque in modum sphæræ reflexos, in oculi nostri retina depicta videatur, haud secus, ac in *speculo* rei *species* & *imago* apparet. Nec 2. per istas rerum externarum imagines exhibetur nobis vera *magnitudo corporum*. Nam si v. g. arenæ minimæ granulum oculo, Microscopio armato intueamur, videbimus illud plus, quam millies, majus, ac nunc videmus, maxime si Microscopium fuerit simile illi, quod a Cl. P. de Lanis manu elaboratum, teste Cl. P. HAUSER. *Phys. Gen. P.* 2. *Q.* 2. *A.* 1. §. *CCXLVI.* corpus *solidum* 27000000 amplificare noverat. Idem efficiunt optima *telescopia* cum rebus *distantibus*; sunt autem *oculi* respectu *animæ*, quod sunt *Microscopium* aut *Telescopium* respectu oculorum, 3. per *oculum* decipimur circa corporum *figuras*, nam v. g. arenæ granula sine Microscopio nobis *rotunda*, aut quasi rotunda esse videntur; applicato autem Microscopio ea variarum, & *ir-*

regularium figurarum esse deprehendimus: turres quoque *quadratæ*, a nobis distantes, apparent ut *rotundæ*. 4. Fallimur ab oculo circa *colores*, quia ab illo tanquam *qualitates* reales, *corporibus* inhærentes referuntur, cum tamen, ut moderni Philosophi communiter tenent, nil aliud sint, quam ipsæ formales *sensationes nostræ*, a variis refractionibus, & reflexionibus *materiæ luminosæ*, ex corporum superficiebus provenientes, ita, ut *extra nos* nec *lumen* proprie, nec *colores* sint, sed tantum *vires* quædam & *textura corporum*, quibus dein ita afficimur, ut *lumen* & *colores* percipiamus &c.

CCLXIII. Remedia. I. De rebus externis solo *sensuum* internuntio non est judicandum; non enim illi *rerum naturæ* sunt aptati, sed *vitæ humanæ usibus*, neque ad hoc facti sunt, ut rerum *essentiam* deferant, sed *existentiam*, & *relationes*. 2. Curandum est, ut *sensus* habeantur, quoad fieri potest, *perfectissimi*, *armandique* propterea sunt *instrumentis optimis*. 3. Idem objectum *pluribus* sensibus, si fieri potest, subjiciatur, *mutata distantia*, *situ*, *medio* &c. 4. Si *ratio*, & *experientia*, **Remedia.**

exhibitionem sensuum *suspectam* aut *dubiam* facit, affirmare quidem licet, rem sic *apparere*, neutiquam, vero *sic esse*. Plura de sensibus in Dissert. II. *Log. Pract. Sect. III.*

SECTIO III.

DE
CAUSIS ERRORUM EXTERNIS.

Educatio mala.

CCLXIV. Causa I. est mala educatio. Equidem communi adagio dicitur, *homines, quanti sunt, educationi, & aliorum consuetudini deberi*, at prô dolor! quam multi dantur parentes (si tamen *parentes* nominandi sunt) qui infantibus & pueris educandis vix ullam navant operam, aut iis *humiles* & *sordidas inclinationes*, & *vitia* etiam sua, vel *exemplis*, vel *verbis* instillant! *vitia* vero educantium alia a *defectu*, alia ab *excessu*, (*virtus* enim consistit *in medio*) originem suam habent; nam 1. alii *nimium* liberis suis *indulgent*, atque connivent, eosque propterea *molles*, *somnolentos*, *arrogantes* & *immorigeros*, aliorumque *vitiorum paternorum sequa-*

Educantium vitia.

ces

ces faciunt. 2. Alii ad alterum *extremum* declinantes, nimia severitate, continuis præcipue *verberibus* igneam puerorum indolem retundunt, & aut *stupidos*, aut certe a liberalibus studiis *abhorrentes*, & de ingenuis servos progignunt, cum tamen *pudore*, *&* *liberalitate* liberi plerumque *efficacius* ac utilius corrigantur, quam *metu*, ut quotidiana experientia demonstrat. Certe QUINTILIANUS inurbanum putat, *verberibus pueros ad officia adigere*, LOCKIUS vero tunc solum ad verbera confugiendum esse ait, *cum alia omnia frustra fuerimus experti.* Accedit quoque, quod pueris diutissime plerumque soleant inhærere, quæ teneris annis percepere, quæque ipsis velut tabulæ rasæ, aut ceræ molli a parentibus ac præceptoribus fuerunt impressa. Inde venit 1. ut videamus MORES quosdam esse in familiis hæreditarios, & varias OPINIONES, aut falsas, aut ridiculas, aut *superstitiosas*. 2. Quoad RELIGIONEM, maximum obstaculum hæreticorum conversionis existere passim deprehendimus *exempla Majorum;* liberi enim & discipuli parentum, & *Magistrorum* Religionem mordicus defendunt, eisque pro omni *ratione*,

aut *revelatione* stat imitatio *Majorum*, nec attendunt, quod & ipsi ab avita Religione, quam eorum Avi, Proavique tenuêre, desciverint. 3. Quoad DISCIPLINAS, & SCIENTIAS, *Majores nostri* (inquit Cl. ANT. GEN. *Log. L.* I. *C.* 5. § *IV.*) *Si paulo urbaniores sint, litterisque operam dederint, inutiles eas reputant disciplinas, quas ipsi non didicerunt, easque tantum commendant, quas didicerunt, hinc videre est, senes dissuadere juvenibus studium* MATHEMATICARUM SCIENTIARUM, LINGUARUM, NOVÆQUE PHILOSOPHIÆ, *exhortarique illos ad scholasticarum disciplinarum eruditionem; putant enim adhuc nec disputari recte sine* SCHOLASTICORUM LOGICA *posse*, *nec esse* THEOLOGUM *sine* PERIPATETICA PHILOSOPHIA. *Præterea opiniones quasdam, manifesto falsas in* THEOLOGIA, PHYSICA, ETHICA, HISTORICA &c. *quas ipsi imberbes didicere, quasque senes turpe putant dedoceri, dum magna severitate defendunt, minoribus propinant, atque communicant.* Hæc ille.

Remedia. CCLXV. REMEDIA. I. PARENTUM, & PRÆCEPTORUM est, *genium* atque *indolem* infantium ac puerorum quam diligentissime explorare; prima enim vitæ

vitæ *aurora* reliquæ vitæ *splendorem*, Educantium officia.
aut *nebulas*, vel *caliginem* plerumque præsagire solet, juxta illud: *quod Juvenis suescit, senex dimittere nescit.* Item: *Urit mature, quod vult urtica manere.* Sic quondam ex ligni fasciculo, quod puer PROTAGORAS humeris suis ingeniose aptavit, conjecit DEMOCRITUS, magnum in illo existere *acumen* ingenii, ac reflexionum *capacitatem.* Pariter ex famuli TOXIQUIRI sagacitate mira, qua ligna non tantum ordinate humeris suis imponere, sed & in fornace titiones adornare consueverat, herus ipsius, etsi litteris incultus, altiora illi vaticinans, arma tractandi artem ut addisceret, Auctor ei fuit, qua brevi temporis spatio exacte apprehensa, militiam secutus, mox inter suos ita inclaruit, ut summus JAPONIÆ Monarcha sub TAICOSAMÆ nomine evaserit. Denique de SIXTO V. P. M. quid contigerit, omnibus notum est, nempe a quodam SERAPH. ORD. nostri Ss. Theologiæ Magistro, cui diversa interroganti promptissime respondit Juvenis ille (FELIX PERRETI antea dictus) porcos pascens, in conventum adductus, templi & culinæ servitiis,

una & litteris, quibus applicabatur, ita vacavit, ut post aliquot annos Seraphico Ordini inter CLERICOS adscriptus, ac postea suo tempore etiam DOCTORATUS laurea in S. Ordine insignitus, eidemque ut VICARIUS APOSTOLICUS a summa Sede præpositus, tandem S. Purpuram, ac ipsam denique Tiaram Pontificiam sit consecutus. 2. Iidem illis, in tenera adhuc ætate constitutis, *vultu*, *gestu*, *verbis*, & *actionibus*, nil nisi *magnum*, *nobile*, *honestum*, *justum*, *generosum*, uno verbo VIRTUTEM inspirare debent, & quidquid virtutem efficit, quia teste HORATIO: *quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.*

Quo ordine instruendi sint pueri? 3. Quoniam in pueris non RATIO, sed SENSUS, & PHANTASIA vigent, hinc censet mox cit. Cl. ANT. GEN. in iis rebus primum exercendos esse pueros, quæ objecta *sensuum*, & *phantasiæ* esse possunt, nempe in GEOGRAPHIA, & HISTORIA NATURALI, tum ad *inveniendum* quoque aptos esse reddendos, quod præstant partim studia GEOMETRICA, partim PHILOSOPHICA, ac demum ad PURA INTELLIGIBILIA paulatim manuducendos, omnium vero postremo in POLITICA,

in

in qua acre JUDICIUM requiritur, esse instruendos, nihil autem tam pueris nocere, ait quam præsentem usum, eos in LINGUIS PEREGRINIS, & exoticis instruendi; *sic enim* (*rationem* affert) *eorum sola excolitur* MEMORIA *tanta vocabulorum farragine*; INGENIUM *vero*, & JUDICIUM *negligitur. Ideoque factum semper putavi, quam ob rem in* GRÆCIA *plures olim fuerint uno seculo Philosophi, quam pluribus in tota* EUROPA; GRÆCI *enim, cum linguas externas discere non cogerentur, ab ipsa statim* INFANTIA *philosophabantur, nec ingenium, & perspicacitatem usu* MEMORIÆ *conterebant.* Vult igitur, ut *linguarum peregrinarum* studium tunc solum suscipiatur, ubi post excultos *sensus*, & *phantasiam* vires paulo majores *ingenium*, & *judicium* acceperit. 3. Illi, qui in *pueritia sua* se non bene educatos, aut institutos fuisse, dolenter agnoscunt, sedulo curent se ipsos adjuvare, atque ita vitam litterariam vivere incipiant, tanquam si heri, aut nudius tertius nati, atque in lucem progeniti essent, diligentiam geminent memores illius: VENDUNT DÎ CUNCTA LABORE, præprimis autem utantur amicis perspicacioribus,

Male educatorum officium.

 & sin-

& sinceris, atque ab illis reprehensiones læto, hilarique vultu excipiant, libros quoque, quorum sunt plures egregii, *de Juvenum educatione* legant, ac imitentur.

Authoritatis abusus.

CCLXVI. Causa II. est Authoritatis Abusus, sequitur hic error ex mala *educatione*, ut mox dictum est (CCLXIV. 3.) ex *nimia* nempe in Præceptores, quondam in prima juventute habitos, *reverentia*, multa nascuntur Præjudicia (seu nimis *præcipitanter* concepta *judicia*) quæ non facile eradicari ex animo queunt, & quæ nobiscum quodammodo nata; sensim quoque incrementa in animo capiunt; nam ut ait Poeta Tragicus in Troade: *Dediscit animus sero, quod didicit diu.* Atque id in causa est (inquit Cl. Purchotius Log. P. 2. Sect. I. c. III.) cur Senes pertinacius *præjudicia* sua tueantur, nec a Junioribus erudiri se facile, aut libenter patiantur.

Præjudiciorum origo.

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;

Vel

Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicêre, senes perdenda fateri.

Ut egregie canit HORATIUS, *Epist.* 1. *l.* 2. Hac de causa (ut de *Philosophia peripatetica* taceam) PHILOSOPHIA PLATONICA vel in ipsa Christiana Religione hæreses plurimas peperit, quod PLATO tanquam Philosophorum DEUS ALIQUIS coleretur. Porro de MAGISTRIS & PRÆCEPTORIBUS quod dictum est, etiam de LIBRIS dictum esse volo, quia hi sunt velut MORTUI quidam MAGISTRI.

CCLXVII. REMEDIUM UNICUM est, ut quis de *rerum veritate*, humanarumque *mentium cogitatis* non ex ullo PRÆJUDICIO, sed ex *sana* RATIONE (excipe semper: in casu, ubi FIDES, veræque ECCLESIÆ definitio obstat) judicium ferat, juxta monitum S. AUG. *L.* 2. *de Musica. C.* 1. ita dicentis: *Primo ita quæramus, quasi omnino rudes harum rerum simus, ut ad omnia nos* RATIO *potius perducat, quam inveterata* CONSUETUDO, *quam* PRÆJUDICATA AUCTORITAS. *Neque enim*, ut idem ille Remedium.

S. Ecclesiæ Doctor loquitur *Epist.* 148. *quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, Divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum:* & vere; nam *mundi senium*, & integra ætas pro vera *antiquitate* sunt habenda; sicut ergo *maturius judicium*, & majorem rerum humanarum *notitiam* ab homine *sene*, quam a *juvene* exspectamus, sic & a *nostra ætate* senescente plura & majora, quam a *priscis temporibus*, in *scientia* tunc quasi adhuc juvenescentibus, sperari convenit. Hinc si fides est adhibenda LACTANTIO *L.* 2. *Div. Inst. C.* 8. *Cum sapere, id est, veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui* SINE ULLO JUDICIO *inventa* MAJORUM *probant, & ab aliis* PECUDUM MORE *ducuntur: Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putent fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia* MINORES *vocantur,*

aut

aut illi desipuerint, quia MAJORES *nominantur.* Id vero in rebus præsertim mere ad PHILOSOPHIAM pertinentibus ferendum non est, eoquod ista facultas non sit STUDIUM eorum, quæ sapientes dixerunt, sed ipsius SAPIENTIÆ (III.) quæ tanquam vera *scientia*, non *dictis antiquorum*, sed *principiis* certissimis, *definitionibus*, *Axiomatibus,experientiis,&c.* innititur: Igitur a *studioso veritatis* sedulo cavendum, ne *clausis oculis*, & *voluntarie cæcus ducem* sequatur *quemcunque*, sed ad propriam quoque lucem, a DEO sibi accensam, viam, qua ducitur, examinet, ut non, *qua itur*, sed *qua eundum* sit, clare perspiciat; aliorum enim doctrinas, & dogmata inquirere, iisque *serviliter* inhærere, non est, *scire*, sed *credere*, non *Philosophum*, sed *philosophi servum* esse. Ea de causa sentiendum est cum PLINIO Juniore *L.6. Epist.* 15. dicente: *sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio; neque enim quasi lassa, & effœta natura nihil jam laudabile parit.*

Limitatio pro Tyronibus.

Attamen hic bene notat Cl. P. DONAT. *a Transfig. Domini*, discrimen esse

ſe faciendum inter TYRONES, & PROVECTIORES. *Tyrones*, inquit, in verba Magiſtri jurare initio debere vix eſt dubium, cum omnes adeo diſciplinæ, agnoſcente etiam ARISTOTELE, *a fide Magiſtris habita* initium ducant: ſed neque tyronum *imperitia* admittit, ut, quæ e ſingulis Philoſophorum ſectis *præcipua* ſunt, prudenter *eligere*, & in rem ſuam conferre poſſint. At vero *provectioribus* profuerit, ſi Pythagoricum illud, αὐτὸς ἔφα, *ipſe dixit*, penitus negligant, neque *quis?* ſed *quid?* & *qua ratione?* pronuntiârit, expendant, tum vero poſtea *libertate* illa *mentis* ſuæ utantur, quam optimo Creatori acceptam referunt, id ſemper ſtudioſiſſime curantes, ne nimium ſibi fidentes in *SS. Fidei Myſteria*, aut *rectam* ipſam *rationem* offendant.

Conſuetudo cum populo, & rudibus.

CCLXVIII. CAUSA III. eſt CONSUETUDO CUM POPULO, ET RUDIBUS. Quot *præjudiciis plebs* agatur, vix dici poteſt! paſſim & ubique videre in populo licet *errores* infinitos, *fabellas* aniles, *illuſiones ſenſuum*, & *phantaſiæ* (qua rudes ob robuſtiorem cerebri maſſam, & ſanguinis abundantiam

præ-

præprimis pollent) pro veritatibus haberi conspicimus : & quidem pro diversitate *climatum*, *temperamentorum*, ac *morum*, apud diversas nationes diversæ quoque falsæ opiniones sunt (unde & *nationum odia*, & *bella æterna*, teste JUVENALI *Satyra* 15) quodque omnium dolendum maxime, vulgus, cum *phantasiæ* mancipatum, & parum capax *rationis* existat, errores suos, quos ipsum animadvertere nequit, etiam a nullo dedoceri potest, nec ullus *ob populi dominantem auctoritatem* id præstare audet: adeo nempe non pauca in vita hac perpetrantur, quæ cordati viri *querantur* potius, quam *emendent*! Mens porro nostra, quæ omnium rerum ignara, corpus ingressa est, sola *sensatione*, & *phantasia* ducibus, in infantia a populo, & rudibus discit, quæ dein per totam nos vitam perturbant, omnesque *cogitationes*, & *actiones* nostras atro quasi colore inficiunt, & obscurant. Præjudiciorum infantiæ altera origo.

CCLXIX. REMEDIA. 1. Ea vocabula, quæ pueri didicimus, horumque vocabulorum *potestas*, postquam adolevimus, ad examen revocari debet, maxime si a simplicibus tantum *mulierculis*, Remedia.

culis, nostris olim *nutricibus*, aliisque litterarum plane rudibus, menti nostræ advenerint. 2. Caute imposterum cum ignaro *vulgo* de rebus ad *litteraturam* pertinentibus conversandum, assiduo autem cum *doctis*, junctam cum *doctrina prudentiam*, morumque *probitatem* habentibus. 3. Depuretur mens ab *affectibus nationalibus*, ac imprudenti *Patriæ amore*. Cæterum

CCLXX. Scholion. Quoniam regulæ hucusque datæ, curtam tyronum *memoriam* obruere, ideoque *confusionem* idearum in eorum intellectu progenerare queunt, hinc in illorum gratiam dicta hactenus omnia in *prima* hac *dissertatione* Logicæ Practicæ, in compendium contraho, cunctaque remedia, pro tollendis errorum caussis allata, ad sequentia duo reduco.



RE-

REMEDIA GENERALIA AD TOLLENDOS ERRORES.

I.

Dubitatio sana.

CCLXXI. EQuidem hic non intelligo, nec approbo *insanam* illam, *sterilem*, ac plane ridiculam ACADEMICORUM, & PYRRHONICORUM dubitationem, qui *de rebus omnino omnibus* dubitabant; nec ullo alio fine, aut commodo ad dubitandum movebantur, quam *ut perpetuo dubitarent*, & assensum circa res omnes cohiberent: imo etiam, ut de CARTESIO dicitur, res omnes *pro falsis* habebant; sed aliam suadeo *dubitationem*, *sanam*, & *utilem*, per quam tamdiu inhibetur assensus, donec id, de quo judicandum est, æqua lance fuerit examinatum, longaque, & attenta *meditatione* perpensum, ut judicium, quod deinde fit, *prudenter*, & secundum RECTÆ RATIONIS dictamen ferri, sicque ab omni errore, quantum per humanam diligentiam caveri potest, vindicari queat. Dubitatio sana.

Cæ-

Non est adhibenda in rebus fidei.

Cæterum, cum diversi sint *certitudinis*, & *evidentiæ gradus*, pro diversa rerum, de quibus judicandum est, conditione (CXXXIV.) semper habenda est ratio MATERIÆ, quæ tractatur; sic enim v. g. in rebus FIDEI DIVINÆ subjectis *evidentia*, aut *demonstratio* per argumenta *naturalia* minime quærenda est; *in talibus* enim *rebus*, ut loquitur S. AUG. *Epist.* 137. *N.* 8. quæ nostram intelligendi vim longe superant, *tota ratio facti est potentia facientis.* Similiter in *quæstionibus* FACTI, sive iis, quæ ad *Historiam* pertinent, etiam sola *certitudo moralis* sufficit (n. c.) In PHYSICA quoque bene nobiscum actum putamus, si *probabilem* cuique effectui *causam* assignare possimus, sed in rebus METAPYHSICIS, aut GEOMETRICIS, accuratæ, evidentesque DEMONSTRATIONES requiruntur, ut mentis nostræ assensus extorqueatur, summeque cavendum, ne forte nobis rei SPECIES, & UMBRA pro VERITATE obrepat atque illudat, porro etiam bene monet Cl. PURCHOTIUS. *Log. P.* 2. *Sect.* 1. *C.* 3. hanc *regulam* non esse ad praxin rerum, quæ *celeritatem* postulant, adhibendam, sed in iis, quæ *ad vitæ usum*, aut *negotia* gerenda spectant,

Quid in rebus facti?

In Physicis? aut Metaphysicis, vel Geometricis?

Denique in negotiis gerendis?

ctant, ſola VERISIMILITUDINE contentos nos eſſe debere, nec rationes *ad amuſſim* ſemper eſſe exigendas, niſi ubi *in materia, vel ſpeculationi Philoſophicæ ſubjecta*, vel *dillationis patiente* verſari nos contigerit, in aliis vero multa eſſe in omnem eventum permittenda, dummodo TEMERITATI & PRÆCIPITATIONI nihil concedamus. Igitur CARTESIANUM illud Axioma: DE REBUS OMNIBUS EST DUBITANDUM, ſuas patitur *exceptiones*, ac *limitationes.*

II.
Attentio debita.

CCLXXII. Quemadmodum ad objecta *ſenſibilia* videnda ſatis haud eſt, ea eſſe a ſole undique *illuminata*, ſed habere oportet *oculos apertos*, atque in illorum aſpectu defixos, ſæpeque contingit, ut *præſentia* non videamus, ſi oculos *alio* convertamus: ita pariter, ſi in *intellectu* deſit ATTENTIO, neque ille ideis contemplandis ſic applicetur, ut *immotus* perſtet, earum *relationes*, & *connexionem*, ac *veritatem* nullo pacto cognoſcet. Id unusquisque experitur, dum animo *parum attento*, ac varias in partes diſtracto ad aliquid Attentio debita.

contemplandum se tradit: nam & *revocare* illum assiduo cogitur, ac plerumque, illo refractario, omnem *contemplationem intermittere.* Igitur ut res quælibet *attento*, ut decet, *animo* considerari possit, præter superius dicta (CCXLIII.) sequentia plurimum conducunt. 1. MEDITATIONI (CCXXXV.) assuefaciendus est animus, longoque *usu*, & *studio* efficiendum, ut se ipse *colligere* queat. 2. Locus etiam *idoneus* requiritur, a turba, & strepitu hominum remotus. 3. TEMPUS quoddam, meditationi *aptum* eligendum, nempe illud, quo mens nec nimio labore *defatigata*, nec multiplici rerum consideratione *distracta*, liberius meditationi vacare potest, quale est tempus *matutinum*, juxta illud CÆLESTIS SAPIENTIÆ effatum *Prov. C.* 8. ℣. 17. *Ego diligentes me diligo*: & *qui* MANE *vigilant ad me*, *invenient me.* Plura *media attentionis conciliandæ* adhuc videri possunt apud Cl. ANT. GEN. *Log. L.* 5. *C.* 3. §. 7. & *seq.* Inter alia autem media, quæ torpentem animum concutiunt, & ingenium accendunt, numerat quoque *agitationem sanguinis*, *spirituum*, & *cerebri*: nam, ut inquit *loc. cit.* §. 13. qui

Attentionis conciliandæ remedia.

qui copiosiori *sanguine*, & *calidiore* sunt, mente etiam sunt *alacriori*: ergo, quæcunque remedia *calorem* quemdam in nobis progignunt, ingenium quoque, & attentionem acuunt. *Sæpius expertus sum* (ipsius verba sunt) *me corpore juxta, & animo torpentem, disputatione paulo agitatiori, scriptione, voce elatiore, frictione frontis, atque similibus adminiculis, vehementer ad inquirendum fuisse concitatum. At* SCRIPTIO (mox addit) *arcanum illud est maximum mentis & excitandæ, & augendæ. Nullum aliud illi æquale sum expertus, id ego paucis præcipio, ne pluribus exsplicatum, quasi vulgare contemnatur.* SCIANT TYRONES, HOC UNUM TOT HOMINES EFFECISSE PRÆSTANTISSIMOS. Et alibi Tyronem sic alloquitur: *Stylo utere quodsi nondum aptus es commentando; saltem optimum librum seligito, & describito. Ita Judicium tuum in optimi auctoris Judicio formabis, gustumque optimi indues.*

Postremo etiam puerorum *educatoribus*, ac PROFESSORIBUS aliquod medium suppeditat, quo puerorum, ac Juvenum *acumen*, & *attentionem* alant, nempe: ingenium *curiosum*, &

versatile pueris (inquit) natura dedit, ut in omnibus passim illis videre licet, quos prava educatio nondum corrupit. *Si hanc igitur* CURIOSITATEM *sequi, & non extinguere, sed incendere sciamus, aut vehementer fallor, aut ea sola ad sapientiam pueros, & adolescentes perducet. Naturam humanam ignorant ii educatores, & Magistri, qui aut metu, aut ferocia quadam, aut verberibus nobilissimum hoc in pueris ad sapientiam calcar extinquunt.* SOCRATES *in eo erat excellentissimus, ut* CURIOSITATE *hac uteretur ad abstrusissima quæque pueros docenda: eam fovebat, excitabat, sequebatur.* Hæc doctissimus ille Philosophus Neapolitanus, simulque acutissimus Criseos Magister. *Loc. cit.* §. 14.

DISSERTATIO II.

DE

CRITERIO VERITATIS, ET ARTE CRITICA.

BEne habet! quæ mentem aut ab investiganda Veritate absterrere, aut in errores quotidianos atque

que graviſſimos præcipitare queunt, enarrata nunc, exſplicataque ſunt: ea ergo ſi probe fuerint *perſpecta*, *exercitio*que ipſo mentis in ſuccum converſa, & ſanguinem, ſatis habiles; & ad iter UNIVERSÆ SAPIENTIÆ STUDIUM RITE INSTITUENDI (XXV.) ingrediendum accincti erimus! nunc ad ulteriora gradum facimus.

SECTIO I.

DE CRITERIO, AC FONTIBUS VERITATIS IN GENERE.

CCLXXIII. QUoniam *falſitas* non raro Veritatis larvam induit, ideo quædam Regula, ſive *Criterium*, ſeu, ut CICERO loquitur. *L.* 1. *de Finib. Judicium veritatis* inquiri debet, ad quod tanquam certum ac *infallibile*, omne judicium noſtrum, atque cognitio, veluti ad *lydium lapidem* examinetur, atque intellectus noſter *conſtanter* ac *infallibiliter*, ſe quidpiam cognoſcere *certo* ſciat, hoc vero ARS CRITICA no- Ars critica.

 bis

bis (XXVIII.) suppeditat a græco vocabulo κριτικὸς, latine *judicans*, derivata; estque *ars illa cujus ope ac regulis in re litteraria vera a falsis dijudicamus*, non autem ea, quæ cum *Satyra* atque *obtrectationibus* confusa, nostris temporibus adeo male audit apud ignarum vulgus: paucis per CRITERIUM VERITATIS hic intelligo *regulam, per quam examinantur ideæ, ac judicia & discursus, ut reflexe haberi pro veris possint.* Sive, ut alii definiunt: *Criterium veritatis est nota quædam, nobis intime præsens, ex qua omnino convincamur, nos in hac aliqua rei alicujus cognitione non falli.*

Criterium veritatis.

Veritas Ethica quid sit?

CCLXXIV. Loquor autem præcise de veritate LOGICA, (CXXXII.) non de veritate ETHICA *seu morali*, aut de *veritate*, quam vocant METAPHISICAM; *Veritas* enim *Ethica* est *concordia sententiarum animi cum signis, quibus illæ exprimi solent*, vel, ut S. AUG. *L. de Mend. N.* 4. ait: *Est enuntiatio, cum volitione verum enuntiandi;* Ideoque qui sic loquuntur, *ut sentiunt*, VERIDICI appellantur, econtra MENDACIUM, huic *veritati* oppositum, dicitur *disconvenientia verborum, aut actionum cum ani-*

Mendacium.

mo,

mo: unde & fieri poteſt, ut quis *falſum* dicens, non *mentiatur*, ſi nempe verum *putet*, quod dicit, ſed habere tunc dicitur ſolam *ignorantiam*: ſicut e diverſo etiam fieri poteſt, ut quis *verum* enuntiet, & tamen MENDAX ſit; ſi nimirum INTUS *pro falſo* habeat, quod ORE *verum* eſſe proloquitur. Mendax.
Veritas METAPHYSICA, ſive *eſſentialis* eſt, *per quam res eſt id, quod eſſe in natura debet.* Huic veritati nihil eſt contrarium; nequit enim res non eſſe, quod eſt. Sed, ut dixi, de his veritatibus hic non loquor; *prima* enim ad *Ethicam*, 2*da* ad *Metaphyſicam* ſpectat: ſola autem illa 3*tia* ſeu *Logica*, ſic dicta, quia in λόγοισ, hoc eſt, mentis noſtræ *conceptibus* ſpectatur, hujus fori nunc eſt, daturque in omnibus tribus animæ operationibus, in Logica THEORETICA explicatis, ſcilicet tum in IDEIS, quando iſtæ conveniunt cum re cognita (XXXVI.) tum in *judiciis*, & *propoſitionibus*, cũ affirmanda affirmantur, & neganda negantur (CXXXII) tum denique *in ratiociniis*, & SYLLOGISMIS, ſi nempe & *præmiſſæ* fuerint *veræ*, ex quibus concluſio fluit, & *regulæ* ratiocinandi, nexuſque legitime

Veritas Metaphyſica.

Veritas Logica.

obfervetur. Jam circa hujus *veritatis criterium*

I.

RECENSENTUR VV. PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ DE VERITATIS CRITERIO.

Quale veritatis Criterium ftatuerit Pytagoras?

CCLXXV. I. PYTHAGORAS cum fuis, haud ullius per SENSUS nos veritatis confcios fieri poffe contendens, pro legitimo veritatis criterio ftatuebat *folam* MENTEM, feu *animam hominis*, purgatam tamen, ut fic eo facilius cum MENTE COMMUNI uniatur, five cum ANIMA UNIVERSI, quam mundo ineffe fingebat, & a qua quafi decerptas *particulas* effe dicebat omnium *hominum animas*: inde & HERACLITUS, PYTHAGORÆ in hac ridicula *fabula* fectator, dicere folebat, quod, dum fomnum caperent homines, ad tempus fiat *feparatio mentis communis* & *particularis*; cum vero vigilarent, per ipfas quafi portas fiat *attentio hujus ad illam &c.* Aft valeant hæc commenta, veræ fidei con-

contraria! II. PLATO *solas ideas* sciri posse dicebat: per IDEAS vero probabilius intellexisse creditur *communes quasdam formas, ex quibus hæc, quæ nos sentimus, singularia, fluant, & propagentur, tanquam umbræ a suis corporibus:* sicut igitur, qui *umbras* cognoscere vult, *corpora* contemplatur, ex quibus *umbræ proveniunt*; ita, qui *sensibilia* hæc cognoscere vult, *ideas* juxta PLATONEM contemplari debet, quæ solæ *existant*, & *eodem* semper *modo* existant: igitur non *homo* est, inquit PLATO, qui cognoscitur, sed *idea hominis*, sive HUMANITAS, quia, ut scribit SENECA *Epist.* 65. HOMINES *quidem pereunt, ipsa autem* HUMANITAS, *ad quam homo effingitur, permanet.* Ideoque etiam PLATO nullam de *sensibilibus* SCIENTIAM, sed solam haberi posse OPINIONEM contendit. III. EPICUREI econtra SENSIBUS plus, quam *Menti* tribuebant, sensusque nec fallere unquam, nec falli posse putabant: hinc *visa* omnia *vera* esse pronuntiabant, & *opiniones* tantum, quæ visorum *judicia* continerent, alias esse *veras*, alias *falsas* dicebant, sive ideas *sensibus* perceptas solum *falsas* fieri asserebant per superveniens mentis *præci-*

Plato.

Epicurei.

pitatum judicium, uti nos quoque de *idea falsa* in *Log. disputatrice* dicimus.

Aristoteles. IV. Aristoteles cum aliis quibusdam, quos inter præcipui Speusippus, & Isocrates, Platonis sectatores, duo distinguens rerum genera, 1. earum, quæ sub *sensus* tantum, 2. & earum, quæ sub *intellectum* cadunt, pro criterio *sensibilium* sensus, pro *intelligibilium* vero, Intellectum statuit: *intellectum* tamen docuit esse principale criterium, *sensus* vero nonnisi minus principale, atque intellectui

Et Peripatetici. inserviens. *V.* Peripatetici in hoc sequuntur suum parentem, ideoque Intellectum Regulis Logicalibus, de triplici modo sciendi (scilicet de *definitione*, *divisione*, & *argumentatione*) Imbutum, pro *principali* veritatis investigandæ *criterio* habent, *sensus* autem nominant criterium *minus principale*, *secundarium*, ac *instrumentale*.

Acataleptici. *VI.* Denique Acataleptici, Pyrrhonici, ac Sceptici (XII.) *nullam* omnino esse *rationem veri a falso discernendi* contenderunt, atque contendunt, uti videre est in *Hypothyposibus Pyrrhonicis Sexti Empirici.* De postremis ejusmodi hominum monstris vere inquit Cl. Ant. Gen. *Log. L.* 3.

C. 3.

C. 3. §. 2. *eos non monitoris, nec doctoris, sed tutoris a judice dati indigere.*

II.

RECENTIORUM PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ, DE VERITATIS CRITERIO.

CCLXXVI. I. CARTESIUS unicum *veritatis criterium* statuit CLARAM, ET DISTINCTAM PERCEPTIONEM, sive hanc *propositionem complexam*: *quidquid in idea clara, atque distincta alicujus rei comprehenditur, illud de ea re certissime potest affirmari;* & vicissim: *illud eodem modo negari potest, quod, perceptis propositionis terminis, ideæ rei repugnare clare ac distincte constiterit.* II. Cl. P. MALEBRANCHE criterium veri posuit in ÆTERNA COACTIONE ANIMI, qua fieri asserit, ut nequeamus EVIDENTIBUS non assentiri. Sic enim inquit *L.* 1. *de inquir. ver. C.* 2. §. 4. *Ne assensum plenum unquam præbeas, nisi propositionibus, adeo evidenter veris, ut illum sine interno quodam cruciatu, tacitoque rationis murmure non possis denegare, id est, si clare intel-*

Cartesius. Malebranchius.

telligas, te libertate tua perperam usurum, si assensum tuum denegares. III. Neque huic quoad *rem* dissentire videtur Cl. P. BUFFIER, qui, ut refert

P. Puffier. Cl. P. HAUSER. *Log. P.* 2. *Art.* 3. §. 175. criterium veritatis posuit in INTIMA SUBJECTI ET PRÆDICATI CONVENIENTIA, per quam fieret, ut in prædicato involvatur subjectum, nec possit intelligi perfecte notio *attributi*, sive prædicati, quin in ea contineatur *subjectum*, vel *in se*, vel saltem *in adjunctis* spectatum. IV. Ejusdem forsitan sententiæ fuit quoque Cl. TSCHIRNHAUSEN, qui in sua Philosophia, quam

Tschirnhausen. vocat MEDICINAM MENTIS *P.* 2. *Sect.* 1. ait, *verum esse id omne, quod concipi, falsum quod non concipi potest.* Per τὸ *concipi posse* autem intelligit illud, *quod* SOLIS VERBIS *in mente alterius, qui id ignorat,* EANDEM, & *æque perfectam; ac ipsi ea de re habemus, notitiam excitare valet.* V. Cl. HUETIUS nullum in

Huetius. humana RATIONE veritatis criterium agnoscens, solam DEI AUTHORITATEM *certam* esse docuit. Verum, ut præclare inquit Cl. ANT. GEN. hæc sententia, dum nimium *Rationem* propter Religionem deprimit, eo ipso *primum Religionis fulcrum* evertit, nosque in fœdissimum

ſimum dejicit PYRRHONISMUM; nam ſi *ratio* nihil certi nec de DEO, nec de MUNDI ORIGINE docet, tunc ille, qui ad REVELATIONEM appellat, aut ad judicem appellat, quem omnino ignorat, aut ad *privatum* cujusque *ſpiritum* confugit, ſicque eo ipſo FANATISMUM inducit: Nempe Cl. hic AUCTOR voluit omnino declinare ſententiam illam peſſimam nefarii SPINOZÆ, qui (*per exceſſum*) humanam RATIONEM pro adæquato *veritatis criterio* ſtatuebat, impie de illa affirmans, quod ſit ipſiſſima DEI RATIO, ſive aliqua *particula Divinæ Mentis*, qui error in *Metaphyſica* de *origine Mentis humanæ* ſic refutatur. 1. DEI *ratio*, totaque adeo ejus *ſubſtantia* eſt *ſimpliciſſima*; ergo in partes dividi nequit. 2. Eſt *infinita*; & conſequenter ſi *ratio noſtra* ipſa eſſet *DEI ratio*, nihil prorſus *ignorare* poſſemus, eoquod *infinitæ rationi* omnia aperta ſint. Quis autem adeo exiſtit *amens*, ut ſibi perſuadeat, ſe nihil ignorare? VI. LEUBNITIUS tandem tria veritatis agnoſcendæ Criteria ſtatuit. 1. INTTELLECTUM, 2. SENSUS, 3. & AUTHORITATEM, ex quibus, per modum *criterii* MATERIALIS conſideratis, oriri voluit

Spinoza.

Leubnitius.

luit EVIDENTIAM MENTIS, in qua FORMALE, & ADÆQUATUM, AC ULTIMATUM veritatis criterium collocat, & quidem in rebus mere *intelligibilibus*, *abstractis*, ac *immaterialibus*, EVIDENTIAM INTELLECTUS; in rebus vero *sensibilibus* EVIDENTIAM SENSUUM; denique in *rebus facti*, factisve Historicis EVIDENTIAM AUTHORITATIS requirit *in Theodicea Tom* 2. *pag*. 327. Huic sententiæ etiam subscribit Cl. ANT. GENUENSIS. *Log. L.* 3. *C.* 3. §. 8. *& seq.*

Quomodo hæ diversæ sententiæ possint conciliari?

CCLXXVII. Quidquid sit de diversis hisce Auctorum sententiis, queis *unusquisque in suo sensu abundat*, mihi horum plerique *in re* convenire videntur, & *de vocibus* disputare nec libet, nec vacat, puto equidem, si accurata distinctio adhibeatur inter FONTES VERITATIS, & inter ipsum CRITERIUM VERITATIS, sententias vix non omnes Philosophorum christiane sentientium conciliari posse. Per FONTES autem VERITATIS intelligo *vias* & *media*, ad veritatem eruendam, acquirendamque sapientiam non modo utilia, sed & necessaria, suntque communi omnium Judicio hæc

qua-

quatuor. 1. AUCTORITAS. 2. EXPERIMENTA SENSUUM externorum, 3. INTIMA CONSCIENTIA, 4. INTELECTUS, seu RATIOCINIUM. Fontes Veritatis.

Nempe quæcunque *ſcire* poſſumus, ſunt aut *externa*, aut *interna*. 1. EXTERNA: ſi ſint *ſenſibilia*, *ſolis ſenſuum experimentis* innoteſcunt. Sin autem *inſenſibilia ſint*, ut *ſpiritus*, *vires activæ*, phænomenorum *Cauſæ* &c. Per *Ratiocinium* indagantur. 2. INTERNA, ut ſunt *actus*, & *paſſiones* animæ rationalis *intima conſcientia* (ad quam etiam *communis omnium perſuaſio* referri poteſt) cognoſcuntur. 3. Tandem quæ *captum* mentis noſtræ excedunt, & per *ratiocinium* inveniri non poſſunt, ſola *auctoritate*, vel *Divina*, ſi res *fidei ſupernaturalis* exiſtant, vel *humana*, ſi ad *quæſtionem facti* pertineant, perveſtiganda ſunt. Ex hiſce ergo quatuor *fontibus* hauriri poteſt ac debet omnis omnino *veritas* tam in rebus mere *intelligibilibus*, quam in *ſenſibilibus*, ac etiam in *credibilibus*, omneque adeo JUDICIUM, ac RATIOCINIUM, ut *veritati* conſonet, inde accurate deducendum firmiterque demonſtrandum eſt.

Porro

Porro cum nemo in *judicando*, vel *ratiocinando* absque nævo, erroris que periculo procedere queat, nisi omnia insuper ejus *judicia* ac *ratiocinia* præscriptam a Logica *formam* servent, hoc est, nisi cunctæ propositiones sint *regulis* in *Logica Theoretica* traditis conformes, & argumentationes concludant *vi formæ* (CLXXVI.) Hinc eædem REGULÆ communes LOGICÆ pro CRITERIO saltem *materiali* eruendæ ex prædictis 4. fontibus VERITATIS haud inepte statui possunt, sive *pro norma, secundum quam examinentur ideæ, ac Judicia, & discursus, ut reflexe haberi pro veris possint* (CCLXXIII.)

Criterium Veritatis.

Et ex his denique regulis ipsa MENTIS EVIDENTIA oritur, tanquam *nota, nobis intime præsens, ex qua omnino convincamur, nos in hac aliqua rei alicujus cognitione non falli* (n. c.) quæ *formale adæquatum* ac *ultimatum* omnis *Veritatis criterium* constituit, enunciationesque, vel a nobis, vel ab aliis factas ut *evidentes* (CXXXIV.) proponit. Per hanc igitur distinctionem puto utrique scholæ, tam PERIPATETICÆ, quam NEOTERICæ posse satisfieri. Et quidem de REGULIS LOGICÆ, *mentis evidentiam* parere valentibus, satis in Lo-

Logica Theoretica dictum est, de *Criterio autem veritatis* plura in *Logica disputatrice* pertractantur, nunc quatuor illos veritatis fontes, ad Artem criticam præprimis spectantes, quantum satis est elucidabo. Igitur

SECTIO II.

DE FONTIBUS VERITATIS IN SPECIE.

ARTICULUS I.

DE VALORE, ET USU AUTHORITATIS, ET PRIMO QUIDEM DE AUTHORITATE DIVINA.

CCLXXVIII. Authoritas in genere est *excellentia Personæ, ac dignitas, ob quam in dicendo verax (*CCLXXIV.*) seu ejus dictum ac testimonium verum censetur, & dignum, cui assensus prudens præstetur.* Assensus, quem propositioni aut facto præbemus ob solam loquentis authoritatem, Fides dicitur, & alia quidem est Fides Divina, cum assenti- mur

Authoritas.

Fides Divina.

mur ob revelationem a solo Deo fa-
Humana. ctam, alia HUMANA (de qua in Art. seq. sunt nempe quam plurima, quæ non *sciri*, sed *credi* tantum possunt, ea scilicet omnia, quæ ad *fidem* & *Religionis arcana* spectant, de quibus præclare inquit S. Ambros. *de Trinitate*: *Aufer* ARGUMENTA, *ubi* Fides *quæritur; in ipsis Gymnasiis suis jam Dialectica tacet*: Piscatoribus *creditur non* Dialecticis: *authoritas* ergo *Divina*, quia consistit in *dignitate infinita*, seu in sapientia, & veracitate DEI revelantis, fallereque pariter, & falli nescia, est *primus* ac principalis omnis *veritatis* FONS, ac *prima regula*.

Authoritas Divina.

CCLXXIX. Ut quis vero hac authoritate niti queat, tria requiruntur 1. constare debet, *DEUM* revera *esse locutum*. 2. Quænam sint genuina Dei loquentis *verba*? & 3. quis *proprius* illorum verborum *sensus*? Hæc porro omnia non per solum *verbum DEI scriptum*, seu S. Scripturam, sed etiam per verbum DEI *traditum*, hoc est, per Divinas & Apostolicas Traditiones, item per *Ecclesiæ universæ consensum*, per *Conciliorum œcumenicorum Canones*, & per *S. Pontificis*, Chri-

Unde nobis innotescat?

Christi in terris Vicarii, *definitiones*, decisionesque nobis innotescere multis probant Theologi positivi Catholici contra Heterodoxos, ex quibus si quis quærat: unde ipsis evidenter constet, hanc aliquam veritatem a DEO esse revelatam? Respondent; id erui ex *sola* Scriptura S. sive ex Libris V. & N. Testamenti. Ast si eos urgeant Catholici, unde ipsis denuo constet, 1. Libros hosce esse *divinos*, 2. eos hodiedum *sinceros* & *integros* extare, nec esse corruptos, 3. aut *in proprio* ac genuino *sensu*, circa singula fidei divinæ Mysteria, a se, vel a suis sic dictis *Pastoribus* intelligi? &c. Hic enimvero aqua illis hærere debet; cum nos econtra, *Ecclesiæ* Catholicæ certis ac evidentibus *notis*, atque cætûs a DEO constituti *indiciis* præfulgentis, authoritate moti, prudentissimeque nixi, & libros hosce divinos, & multa alia divinitus revelata esse credamus, dicente veraciter S. Augustino: *Ego Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret authoritas!* Acatholici autem in circulo ambulant (CCXXVII.)

Acatholici committunt circulum vitiosum.

Regulæ pro cognoscendo libro Canonico.

CCLXXX. Regulæ ad cognoscendum, quod revera in aliquo libro contineantur Verba Divina, a Criticis hæ assignantur. 1. Attendendum, *quinam fuerint illi*, a quibus scriptus fuisse dicitur ille liber? 2. An liber sit *genuinus*, id est, ab eo scriptus, cui tribuitur, vel *eo tempore* scriptus, quo palam enuntiatur? 3. An sit *integer*? 4. Quid de illo *viri coævi* senserint, aut proxime sequentes? 5. An *potuerit* aliqua *fraus* subesse, & an cujusquam *interfuerit*, librum depravare, ac corrumpere? 6. An, quæ in illo libro continentur, sint *falsa*, aut *impia*, aut saltem *frivola* ac *futilia*? An constet, libri illius Auctores, miraculis doctrinam illam confirmâsse? 8. An *prophetiæ* in eo libro scriptæ, opere completæ fuerint, nec ne? &c. Sane ad has regulas si examinentur tam Judæorum Thalmud, quam Turcarum Alcoranus, liquido apparebit, ejusmodi libros nec ore *divino dictatos*, nec *digito DEI scriptos esse*: Quid quod etiam Biblia, a Martino Luthero edita, partum esse *spurium*, atque *corruptum* exinde facile probetur? nil dicam de aliis ejusdem voluminibus, maxime quæ lingua vernacula ab eodem

dem edita DISCURSUS MENSALES audiunt, qui pias honestiorum Lutheranorum aures ita jam dudum offendêre, ut æternis, si potuissent, jam pridem damnassent tenebris!

CCLXXXI. REGULÆ aliæ *post cognitam revelationem* & quidem *generales* circa *authoritatem divinam* sunt sequentes. I. *Ea omnia assensu firmissimo credenda sunt, quæ DEUS revelavit, & per Ecclesiam suam credenda proposuit*; hæc enim omnia *metaphysice certa* nobis esse debent (CXXXIV.) quia DEUS potest plura *efficere*, quam *limitatus* noster intellectus *capere*, & quidem non solum de iis, quæ ad DOCTRINAM, sed etiam quæ ad HISTORIAM spectant, id intelligendum est, quia in QUACUNQUE materia DEUM falli aut fallere posse prorsus repugnat. II. In rebus FIDEI *intrinseca ratio.*, aut *demonstratio* petenda non est; alias enim jam non *autboritas* dicentis (ut fides exigit) sed *rationis vis*, & *evidentia* ad assensum nos moveret, adeoque nullus tunc *fidei* locus foret, *quæ enim apparent*, inquit S. GREGOR. Pap. *Hom.* 26. *jam* FIDEM *non habent*, *sed* AGNITIONEM. Hinc III. Licet ad Philosophum non

Regulæ post cognitam revelationem.

spectet, *fidei* & *Theologiæ revelatæ* principia seu fundamenta expendere, non licet tamen illi eas sequi opiniones, aut eas statuere naturæ leges, quæ *fidei principiis* adversantur. IV. In iis rebus, quæ ad *fidem* vel *immediate* pertinent, vel saltem cum fide *connexæ* sunt, attamen *ratione naturali* demonstrari satis nequeunt, Philosophi Christiani officium est, momenta *ex divina authoritate petita*, ad illarum veritatem demonstrandam adducere, nequis forte, *sola ratione naturali* minus efficaci suffultus, eas in dubium vocare præsumat. V. Quæ Deus revelat, etsi *supra rationem* sint, *contra rationem* tamen, aut *falsa* esse nullatenus possunt; absolute enim implicat, ut infinita sapientia ob illimitatam rerum omnium *scientiam* possit falli, infinitave *bonitas* nos fallat, sicut & implicat, ut veritas veritati contraria sit: hinc bene in Concilio Lateranensi sub Leone X. in Bulla: *Apostolici Regiminis*, damnati sunt asserentes, *animam rationalem* PHILOSOPHICE *mortalem*, & *solum* THEOLOGICE *immortalem existere;* nec minus *temeraria* est illa nonnullorum Philosophorum replica, qui, dum sententiam

Quod *Theologice* verum est, *Philosophice* falsum esse non potest.

tiam suam ex *fidei* argumentis solide impugnari audiunt, aliud non reponunt, quam quod illam *secundum solius Philosophiæ*, *seu naturæ placita* defendant: quasi vero licitum esset Philosopho, in *veritate* inquirenda unice occupato, sententiam ejusmodi propugnare, quæ cum *infallibili veritate* nequeat conciliari! VI. Sententia Philosophica *in litterali sensu S. Scripturæ fundata*, etsi neque ad *fidem*, neque ad *mores* pertineat, *temere* mutanda non est: præsertim si pro *litterali* sensu *communior stet SS. Patrum*, & *Ecclesiæ authoritas*; nempe conformiter regulæ a S. AUG. traditæ, & ab omnibus Theologis receptæ, quæ sic sonat: *Verba S. Scripturæ accipi debent in sensu proprio*, & *litterali*, *nisi*, *ut ab eo recedamus*, *aut evidens ratio cogat*, *aut alius scripturæ textus*, *aut traditio*, *aut communissima Patrum authoritas alium sensum adstruat.* VII. Quemadmodum falsum est, in philosophicis controversiis *nullam* unquam S. Scripturæ auctoritatem adhiberi oportere, ita etiam *reverentiæ* parum consulitur, si textus S. Scripturæ, vel SS. Patrum, aut Conciliorum sententiæ & Canones, ad

A Sensu litterali S. Script. sine necessitate recedendum non est.

S. Scriptura abutendum non est.

ad res mere philosophicas *leviter*, & *sine gravi ratione* transferantur, aut *temere detorqueantur*; nam S. Scripturæ ubique propositum non fuit, neque Ecclesiæ *finis* aut *intentio* esse censetur, nos erudire *in profanis*, cum *fide*, & *moribus* neutiquam connexis: *S. Scriptura*, ut rursum ait S. Aug. *Christianos nos facere volebat, non Mathematicos*: adde: *nec Philosophos*. VIII. Illud denique firmissime tenendumest, quod *in materia Religionis* omnes SS. Patres docent, cum enim isti fuerint a DEO inspirati, atque ad homines in iis, quæ *ad Religionem* spectant, erudiendos missi, *omnes* errâsse fieri non potuit; quanquam eorumq; *quilibet* in particulari adeo infallibilis non fuerit, ut non quandoque pro more humano in aliquo erraverit, ut *Theologi positivi* atque *Dogmatici* declarant.

Regula circa SS. Ecclesiæ Patres, in materia Religionis.

CCLXXXII. *Scholion*. I. Regula ultima solum valet *pro materiis ad Religionem spectantibus*; nam *in disciplinis naturalibus, humanisque artibus authoritatem SS. Patrum majoris non esse ponderis, quam sit authoritas illorum Philosophorum, quos ipsi Patres secuti sunt,* cum

In scientiis naturalibus.

cum aliis docet Cl. Ludov. Anton. MURATORIUS. *L.* I. *de Moderamine Ingeniorum. C.* 31. & quidem ex hac ratione, quia *in hisce artibus humanis ac scientiis non* CHRISTUM, *sed* PLATONEM, *sed* ARISTOTELEM, *sed* AVICENNAM, *homines scilicet impios, aut cæcos habuere Magistros, aut suum intellectum fallacem, aut alios homines, erroribus obnoxios secuti sunt.* Similem in modum etiam loquitur Cl. MELCHIOR CANUS. *L.* 7. *de Loc. Theolog.* & S. HIERON. *Epist.* 152. *ad Minerium* sic ait: *Hoc dictavi, quod eruditi viri de utroque sentiunt loco, & quibus suas vellent probare sententias, vestræ prudentiæ exponens; neque enim tanta est meæ pusillitatis authoritas, qui nihil sum, & invidorum morsibus pateo, quanta eorum, qui nos præcesserunt: nec juxta Pythagoræ discipulos, præjudicata* DOCTORIS OPINIO, *sed doctrinæ* RATIO *ponderanda est. Si quis contrariæ factionis immurmuret, sciat, me illud Apostoli libenter audire:* OMNIA PROBATE, QUOD BONUM EST, TENETE! S. vero ALBERTUS M. *in Commentar. Arist. circa finem* inquit: *In his nihil dixi secundum opinionem meam propriam, sed juxta ratio-*

nes Peripateticorum, & *ideo illos laudet*, *vel reprehendat*, *non me.*

Doctores primæ Classis reverendi sunt.

CCLXXXIII. *Scholion* II. Nihilominus tamen etiam in hac parte SS. PATRIBUS, ſicuti & DOCTORIBUS PRIMÆ CLASSIS *multum* ſemper deferendum eſt, adeo, ut niſi *evidens ratio*, vel *manifeſta experientia* ab eorum doctrina in ſcientiis *naturalibus* nos cogat recedere, id non aliter fiat, niſi SALVA, quæ illis Jure debetur, REVERENTIA; quamvis enim decipi, atque in errorem induci etiam illi potuerint, ac re ipſa quoque ſubinde erraverint, æquum eſt tamen, ut nos potius, quam illa ſumma ingenia falli arbitremur. Videatur ANNATUS in *Apparatu* &c. *L.* 4. *Art.* 4.

ARTICULUS II.

DE AUTHORITATE HUMANA.

CCLXXXIV. Authoritas hominis loquentis vel fidem facit circa DOGMATA; & *Author* DOGMATICUS, vel circa FACTA, & HISTORICUS audit. AUTHOR NEMPE Do-

Author Dogmaticus.

Dogmaticus est, qui dogmata, seu veritates universales proponit, & probat, vel qui aliorum sententias, ut suas, affirmative tenet, ac docendo aliis persuadere nititur. Ad hanc classem spectant omnes libri *Theologici*, *Juridici*, *Medici*, ac *Philosophici*. Author Historicus est, qui aliquid, suo, vel præterito tempore, a popularibus, aut extraneis *dictum*, aut factum *narrando* exponit, & ejusmodi *narratio* Historia dicitur, daturque triplex Historiarum genus. 1. *Historia Politica*, 2. *Naturalis*, 3. Et *litteraria*. Historicus.

CCLXXXV. Historia Politica est, quæ enarrat res, quæ Hominibus accidunt, & alia rursum 1. Divina dicitur, quæ complectitur res, a Deo *propter homines*, vel *apud homines* unquam gestas, sive est ipsa S. *Scriptura V. & N. Testamenti*. 2. *Religiosa*, seu Ecclesiastica, quæ refert res ab hominibus *propter DEUM*, & erga DEUM factas, ut est v. g. Historia Ecclesiastica Clariss. PP. Amat. de Graveson, Utriusque Nostri Pagii, Fleury, Hazart &c. 3. Profana, in qua res hominum nec divinæ Historia Politica. Divina. Ecclesiastica. Profana.

nec

nec sacræ recensentur, estque iterum aut Historia *Generalis*, qua res *totius* humani generis, aut *particularis*, qua *unius* tantum populi vel nationis gesta exponuntur, huc etiam pertinent *vitæ*, quibus alicujus hominis aut herois acta continentur, ut sunt *vitæ illustrium Imperatorum Plutarchi*, & aliæ, quæ in omnium manibus videntur. *Historiæ* porro *Ecclesiasticæ* Scopus est, fata & vicissitudines *Ecclesiæ* in medium proferre, *errores* item, errorumque que remedia in omnibus sæculis, ante oculos ponere, *providentiam*que Divini Numinis, ludentis in orbe terrarum, hominum animis tenaciter imprimere. Historiæ autem *profanæ* finis est, ejusmodi exempla recensere, quibus *Politices* præcepta firmentur, ad hoc, ut Rerum publicarum incrementa & decrementa explicentur, additis ubique *caussis*, ut posteri caveant, ne sero cum Phrygibus sapiant.

Finis Historiarum.

CCLXXXVI. Historia naturalis affert ea, quæ ad *physicam* rerum *naturam* spectant, & plurimas sub se continet partes: describit nempe phœno-

Historia naturalis.

me-

mena quæcunque, in rebus corporeis unquam obſervata e. g. circa *homines*, *bruta*, *plantas*, *aquas*, *mineralia*, *fontes*, *montes*, *aërem*, *ventos*, *planetas &c.* Eſt hæc ſtudiorum omnium ſane pulcherrima, vitæque etiam, & hominum ſocietati *utiliſſima*. HISTORIA denique LITTERARIA *Virorum litteratorum vitas*, *opiniones*, & *ſcripta* enarrat, itemque *initia* & *progreſſus artium*, *atque facultatum*, ut ſunt *Novellæ Litterariæ*, *Acta eruditorum*, *Bibliothecæ ſelectæ*. Hæc Hiſtoriæ pars a moderno ſæculo, quod jure per Antonomaſiam SÆCULUM DOCTUM nuncupatur, ut plurimum exculta, & fere in immenſum aucta eſt. Ejus maxime *finis* eſt, ut cognitio veritatum ab aliis inventarum alios quoque ad ſimilia auſa animet, & quaſi facem præferat, ſubſidiaque ſuppeditet, quibus ARS HEURISTICA, ſive INVENIENDI, nova ſemper novaque incrementa accipiat, quo nil utilius. Hiſtoia Litteraria. Ars Heuriſtica.

CCLXXXVII. Circa *Auctorem Dogmaticum*, infallibilitatis dono non donatum GENERALIS REGULA hæc eſt: *Authoritas cujusvis in ferendis dogmatibus tanti eſt valoris, quanti ponderis eſt* RATIO, Regula generalis pro Authore dogmatico.

Dotes ejus particulares. TIO, *quam affert*. *Particulares* autem dotes sequentes habeat. I. Ut ejusmodi Auctor aliquam sententiam sua authoritate probabilem reddat, debet asserere, quæ *sibi* videntur, non quæ *aliis* tantum, hoc enim etiam *rudes* & *imperiti* possunt. II. Debet esse *liber a præjudiciis*, & *nulli addictus* nisi quatenus pro illo stat *ratio*. III. Bene calleat artem *Logicam*, & *Criticam*; harum enim artium adminiculo *veritas* detegitur, & ad *sanum* de rebus omnibus ferendum *judicium* mens dirigitur. IV. *Bonæ Methodi leges* (CCXXXIV.) accurate observet, sine his enim res clare, *distincte*, & *ordinate* non explicantur. V. Caveat, *ne textus*, quos citat, *truncet*, *aut documenta* malitiose *supprimat*, quæ illius sententiæ præjudicare videntur, neve eorum sensum in alienum detorqueat; atque ideo textus fere omnes (nisi de Auctoris *sinceritate* aperte ac evidenter constet) in fonte inquirendi sunt: si quis hujus culpæ reus inveniatur, hoc ipso *animum fallendi* habere prudenter censendus est, & sic aut nullam meretur fidem, aut saltem de suæ doctrinæ veritate ipsemet *incertus* esse argui potest, putans scilicet, iis momen-

mentis, quæ ob id malitiose silet, eam posse convelli. VI. Ad veritatem suæ sententiæ conciliandam non sufficit (nisi altera sententia sit *contradictorie* opposita) ut contraria opinio *falsa* esse ostendatur, sed debet quoque positivis rationibus eam confirmare; secus enim posset contingere ut earum sententiarum nulla sit vera. Sic teste LACTANTIO L. *de ira DEI. C.* II. TULLIUS in *l. de Nat. Deor.* egregie refutavit *publicas Religiones* tunc usitatas, attamen *veram*, quam ignorabat nec invenit, nec induxit. Si tamen altera sententia sit *contradictorie* opposita, illa debet *certo* esse *vera*, si ista falsa sit demonstrata (CLIII.) VII. Nihil denique afferre, scriptisque suis immiscere debet, quod in contrariam sententiam, ejusque Patronos *odium* excitare queat; hoc enim animi pessime affecti, ac inordinatis passionibus occupati indicium est, ac proinde fundatæ suspicioni, ne Author ejusmodi *iniquus* sit *Judex*, ansam præbet; opinari enim tunc licet, non *amorem veritatis*, ut decet, sed *livorem* atque *invidiam*, illud esse totum, quod Authorem impulit ad hanc sententiam tenendam præ altera.

CCLXXXVIII.

Historicorum dotes.

CCLXXXVIII. Ut fides secure Historico tribui queat, duæ in ipso quam maxime dotes inesse debent. 1. Scientia, scilicet, ut ampla mentis vi, *ingenii* acumine, atque acri limatoque *judicio* polleat, ne facile decipiatur ipse, & ut fraudibus aliorum detegendis sit aptus, falsaque a veris, res gestas a fabulis distinguendi peritus. Debet insuper ad manus habuisse vias ac rationes & *media*, queis *in rei notitiam* venire potuerit. Hac de causa si v. g. quidam scriptores *externi* describant mores, genium & consuetudines *Germanorum*, quibuscum nunquam conversati sunt, neque etiam ab aliis viris *expertis*, & fide dignis res istas se accepisse probent, nullam plane fidem merentur, idem dicendum est de illis, qui talium disciplinarum, quas ipsi omnino *ignorant*, Historiam compilant, ut est v. g. Laertius cum aliis quibusdam Philosophiæ Historicis, sicut & parum attendenda sunt *experimenta naturalia* ex authoribus, *Physicæ ignaris*, desumpta. 2. Requiritur probitas, ut nullo scilicet *partium studio* trahatur, nullaque *amoris*, *odii*, *spei* vel *timoris* affectione sit præoccupatus; attendendum

est

est ideo ad illius *vitam*, *mores*, *Religionem*, item an non fuerit pronus ad *nova*, ac *inaudita* tradenda? An non nimium *credulus*, *simplex*, aut omnino *mendax*? ob partium studium *domestici* Historici plerumque suspecti sunt, quales censentur *Græci* omnes, & de Livio, & Cæsare id non pauci tenent. Ex his adhuc fluunt sequentes

CCLXXXIX. Regulæ pro Authore Historico dijudicando. I. *Quæ omnes*, *vel plures historici* Cooevi, & Oculares *narrant*, nemine contradicente, *hæc omnia recipienda, certaque habenda sunt.* Sic fidem plane meretur Cochlæus in iis, quæ de Luthero scripsit, utpote cui *Coævus* fuit, plurimique Protestantes Lutheri tempore viventes, eadem de parente suo commemorant. Nam testes Cooevi, & Oculares rem scire *potuerunt*: & maxime, si sint natione diversi, & Religione discordes, ad mendacium stabiliendum simul omnes conspirasse minime præsumendi sunt. II. Etiam veris proxima *censenda sunt ea*, *quæ* pauci *coævi* (habentes *dotes* veri Historici) *referunt*, *aliis non contradicentibus*; testes enim *coævi*, etsi *oculares* non

Regulæ quoad testium authoritatem.

fuerint, æquiparantur *ocularibus*, quia licet ipsi rem non viderunt, eam saltem a Viris fide dignis, & *oculatis* accepisse censentur. III. *Testimonium* TESTIS, OMNI EXCEPTIONE MAJORIS MORALITER *certum haberi debet.* Tale est v. g. Testimonium S. AUG. *L. 22. de Civ. DEI.* narrantis *mira* quædam, nempe illuminationem cæci Mediolani factam suo tempore per attactum Reliquiarum SS. GERVASII, ET PROTASII MM. IV. *Si quidam Historici affirmant factum, alii vero negant, eorum examinandæ sunt dotes, iisque, qui excellunt, fides adhibenda est.* Ad hanc regulam Noster PAGIUS critice expendit factum MARCELLINI P. & M. inter scriptores autem *æquales* in hoc casu nullum plane judicium est ferendum. V. *Si Coævi omnes taceant, etiam magnus Recentiorum consensus est suspectus.* Posteriores enim scriptores rebus *Vetustis* nihil addere authoritatis possunt, sed tempus plurimum detrahere potuit. Unde HERODOTUS, populares rumores passim secutus, dubiam meretur fidem, eademque ex causa plurima, quæ Acatholici de ROMANORUM PONTIFICUM rebus male gestis, & erroribus prætensis referunt, ad

fa-

fabulas & detractiones pertinent, maxime illud putidum figmentum de Papissa JOANNA. VI. *Testis semel malitiose mendax in nulla sua assertione dignus est fide.* Sic TULLIUS in *Orat. pro* C. RABIRIO præclare inquit: *Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiamsi per plures DEOS juret, non oportet.* Nam in tali scriptore adest hoc ipso sufficiens præsumptio *internæ malitiæ.* VII. *Quæ Historici narrant Coævi, in dubium vocanda non sunt, ea solum de causa, quod alius, aut alii etiam coævi* TACEANT. Nam qui aliquid *tacet*, id per hoc non *negat*, sed vel *negligentiæ*, aut ad summum *malitiæ* accusari potest; secus foret, si exponerentur facta quædam a testibus non *coævis*, neque *ocularibus*, quæ tamen *nemo Coævorum* aut ocularium Historicorum narrat, etiam cum narrare POTUISSENT, & DEBUISSENT: (*juxta Reg. V. præc.*) VIII. *In iis Historiis, quæ plusculum* ATTENTIONIS *requirunt, sive quæ ad* DOCTRINAM *pertinent, magis Viro* DOCTO, *quam* BONO *credendum est: Sin autem facta enarrantur, quæ nonnisi* USU SENSUUM, *nec magna adeo attentione indigent, Viro* BONO *æqualiter credendum est, ac Viro* DOCTO,

imo quandoque MAGIS, si scilicet PARTIUM STUDIUM metuitur. Sic v. g. Si *eruditus Physicus* vel *Mathematicus* quædam naturæ Phænomena insolita narret, huic magis credendum est, quam alteri utut *probo*, attamen rerum physicarum *ignaro*, ac *simplici*: econtra in rebus aperte *sensibilibus*, speculationique haud subjectis istius *sinceritas*, quam habere præsumitur, plane sufficit, ut pro idoneo teste habeatur, nam vir *probus* ægrius quam *doctus* mentiri solet, nec ita facile de *studio partium* suspectus est. Intellige, *si ille vir probus sit simul oculatus.* IX. *Nimia styli cura sæpe dubiam, aut improbabilem reddit Authoris fidem.* Veritas enim multis pigmentis, fucoque illita, atque abscondita ægre discernitur a *falso*, aut *verisimili*, & ejusmodi Historicus *styli* potius *exercendi gratia*, quam *veritatis amore* scripsisse credi potest. Sic suspectæ in multis fidei habetur CURTIUS. Calamistrato sæpe ac tumido scribendi genere usus, maxime in oratione illa, quam a Scythico Legato ad Alexandrum habitam fuisse narrat. Et hæ sunt regulæ potiores; secun-

dum

dum quas de TESTIBUS judicandum, sequuntur nunc etiam

CCXC. REGULÆ CIRCA REM IPSAM SEU HISTORIAM DIJUDICANDAM. I. *Historia haberi non debet id, quod claris rationibus repugnat.* Ideo omnes facti alicujus *circumstantiæ* non solum *externæ* (quæ *testem* seu *Authorem* concernunt) sed etiam *internæ* attente considerandæ sunt, hoc est, illæ, quæ factum ipsum *antecedunt*, *comitantur*, & *sequuntur*, an scilicet nulla earum moraliter ratione *loci*, *personæ*, aut *temporis* sit impossibilis; & an una non *pugnet* cum altera? circumstantiæ sic consideratæ detegent falsitatem multarum rerum. e. g. Quas affert AULUS GELLIUS in suis *Noct. Attic.* præsertim *L.* 9. *C.* 4. Huc etiam reducit Cl. ANT. GENUENS. ea, quæ narrantur de PHÆNICE, de *lapide* CERAUNIO, de LAURO, & sexcentis aliis. Alii quoque ad hanc classem referunt, quæ de *Virgula divinatoria*, uti vocant, & de *pulvere Sympathetico* in distantiam *nimis longam* agente &c. quidam Physici narrant. II. *Factum Historicum sufficienti testimonio probatum, pro* VERO *tenendum est, etiamsi ea, quæ in* Regulæ quoad rem ipsam.

contrarium objiciuntur, POSSIBILIBUS *tantum*, *ac* VEROSIMILIBUS CONJECTURIS *refutentur*; secus quippe dubitari posset *de* millenis narrationibus, quæ tamen *certissima* sunt. Exemplum affert Cl. AUCTOR ARTIS COGITANDI. *P.* 4. *C.* 13. ex libris *Regum* & *Paralipomenon*, de annis variorum Regum, in Judæ & Israelis regimine transactis, qui conciliari non possunt, nisi Regum aliquibus *duo* regnandi *initia* assignentur; unum *vivis*, alterum *mortuis* parentibus: nec tamen *positive* probari potest, hunc vel illum Regem cum Patre Regni societatem habuisse, sed dicendum, sufficere, id *possibile* esse, & alias sæpius accidisse, ut possit jure *supponi* tanquam necessaria circumstantia ad Historias alioquin *certas* conciliandas. Sic pariter negari non potest, S. PETRUM Romæ fuisse; id enim testantur Scriptores Ecclesiastici fere omnes, etiam antiquissimi, ut S. PAPIAS, S. DYONYSIUS, S. CAJUS, S. IRENÆUS, TERTULLIANUS &c. Nec *unus* potest produci, qui id *negaverit*: attamen quidam nostræ ætatis Heterodoxi tentabant hanc veritatem solis quibusdam *conjecturis* convellere, dicentes, quod D. PAU-

LUS

LUS mentionem nunquam faciat S. PETRI in Epistolis Roma scriptis, &c. quando a Catholicis audiunt, illum *potuisse* tunc Roma abfuisse (non enim ita sedem ibi suam fixisse censendus est, quin sæpissime digressus, aliis in locis Evangelium disseminaverit) Respondent, hoc *sine probatione* dici, quod plane ridiculum est, quia, cum res gesta, quam negare soli ipsi præsumunt, *certissimo* nitatur testimonio, hinc, si quid probare intendunt, ostendant ejus cum SS. Litteris *repugnantiam*! III. *Factum Historicum non ideo statim ut falsum rejiciendum est, quia moribus & opinionibus præsentibus adversatur; aut quia continet aliquid, cujus causa nobis ignota est.* Nam *quoad primum*, mores & opiniones hominum cum tempore mutantur, & in diversis regionibus v. g. in *Sina* vel *Imperio Japponico* longe aliæ defacto vigent consuetudines, quam in *Germania*, aut *Gallia*, sed & *mores Germanorum* hodie longe alii sunt, quam quos olim descripsit TACITUS vel LIVIUS, quamquam ille *prior* Jure a Criticis arguatur de nimio *partium studio*, *odio* scilicet in Germanos, & *amore* erga suos Ro-

manos, quorum infensissimi hostes erant illi TEUTONES. *Quoad 2dum* dantur multæ res, quarum eventus nobis sunt certissimi e. g. concussio Urbis *Ulyssiponensis*, aliarumque per *terræ motum*, *fulminis* item horrenda vis, *attractio Magnetis*, *æstus marini* constans reciprocatio, phœnomena *Electrica &c.* Causæ tamen ejusmodi eventuum (saltem *adæquatæ*) rationi nostræ ut plurimum sunt imperviæ.

SECTIO III.

DE SENSIBUS EXTERNIS, ET EXPERIENTIA, TANQUAM ALTERO VERITATIS FONTE.

ARTICULUS I.

DE VALORE, ET USU SENSUUM EXTERNORUM.

Sensus. CCXCI. SENSUS pro *potentia* acceptus, est *vis animæ nostræ a DEO insita, qua corporum extra nos existentium impressiones, in organo sensorio*

rio externo factas, *atque mediantibus spiritibus animalibus ad cerebrum propagatas percipiens, ad intelligendum, quamdiu in corpore humano est*, *determinatur*, prout in *Physica*, & ex parte etiam in *Psychologia* docetur. SENSUS vero, ut *actus* consideratus, seu potius SENSATIO, est ipsa *actualis perceptio*, seu *actio*, qua objectum externum ab anima *percipitur*. ORGANUM denique SENSORIUM est pars illa corporis, qua mediante objectorum sensibilium impressiones ad cerebrum, indeque ad animam, ibi vel maxime residentem (ut recentiores loqui amant) deferuntur, sunt autem 5 organa sensoria 1. *oculus*, instrumentum *visus*, 2. *aures*, organa *auditus*, 3. *nares*, *olfactus* officinæ, 4. *lingua* cum *papillis suis*, instrumentum *gustus*. 5. *Fibrillæ* denique *nerveæ*, per totum corpus dispersæ, quibus *tactus* perficitur.

Sensatio.

Organum sensorium.

CCXCII. Ad sentiendum *corpus*, & *anima* simul concurrunt, *corpus* nempe mutationes, a rebus externis in organis sensoriis productas, patitur & recipit: *anima* vero mutationes in organis sensoriis factas, atque ad cerebrum velocissime propagatas sibi repræ-

Sensatio quomodo fiat juxta RR?

præsentat. Recentiores rem sic explicant. e. g. *Audiatur fragor explosi tormenti bellici.* Tum id ita fit, ut *motus aeris tremulus*, qui vehementiori corporum agitatione aut conflictu efficitur (in quo *sonus* consistit) ad flexuosos, & labyrintheos aurium meatus (*cochleam* vocant) deferatur, continuetur, atque ibi reconditum *auditus organum* percellat: mox iste impetus mediantibus spiritibus animalibus, per nervos acusticos citissime discurrentibus, communicatus cerebro *similem* ibi *motionem* excitat, *hæc ad* CORPUS. Similis hic motus cerebri non quidem est ipsa *sensatio*, aut rei *perceptio*, sed tamen *conditio*, qua præsente, ANIMA eodem temporis momento, sese determinat ad eliciendam sensationem, *soni* validissimi impressioni respondentem.

CCXCIII. Præter alios supra recensitos (CCLXII. CCLXXV. & CCLXXVI.) testimonio sensuum penitus diffidentes, longius progressi IDEALISTÆ realem *mundi*, *corporumque* existentiam negant, fingentes sibi mundum duntaxat *idealem*: sed & EGOISTÆ (sic dicti,) *solam suam mentem* re ipsa existere asserunt,

Idealistæ.

Egoistæ.

runt, alia vero omnia, de quibus anima *cogitare* potest, nil aliud esse somniant, quam suas *ideas*, aut realem saltem corporis ullius existentiam *demonstrari* posse negant. Ast valeant ejusmodi deliria! quod sensus possint esse veritatis fons, aperte probat S. AUGUSTINUS, *contra Academ. L.* 3. dicens: *Absit a nobis, ut ea, quæ per sensus corporis didicimus, vera esse dubitemus; per eos enim didicimus cœlum & terram, & ea, quæ in eis nota sunt*, & TERTULLIANO teste, *ne Apostolis quidem ludificata natura est, fidelis fuit &* VISUS & AUDITUS *in monte, fidelis &* GUSTUS *vini illius - in nuptiis Galileæ. Fidelis &* TACTUS *exinde creduli Thomæ. Recita Joannis testimonium*: QUOD VIDIMUS, *inquit*, *quod* AUDIVIMUS &c. Sensus possunt esse veritatis fons.

CCXCIV. USUS vero sensuum externorum locum tantummodo habet in illis scientiis, ubi *objecta sensibilia* tractantur, in quibus (servatis mox n. seq. apponendis cautelis) tanquam *principia*, & *argumentorum* atque *demonstrationum fontes* bene adhiberi possunt, non item in aliis disciplinis, imo in istis sæpe imperio rationis coerceri & corrigi debent, ne tumultuantes autho- Usus sensuum.

thoritati divinæ obsistant, aut *judicio falso* ansam præbeant. In prioris ergo generis facultatibus

Sensus nunquam fallunt per se.

CCXCV. REGULA GENERALIS hæc est: *sensus nostri externi*, POSITIS OMNIBUS AD SENTIENDUM REQUISITIS, *nunquam nos fallunt*, *si* FALLERE *idem est*, *ac* FALSUM PROPONERE; nam sensus nec *affirmant*, nec *negant*, semperque objecta ita repræsentant, prout hæc in his circumstantiis *distantiæ*, *loci*, *figuræ*, *medii*, *&c.* afficiunt organum sensorium, quod ab objecto determinatum *necessario* agit, fere sicut *speculum debet* exhibere suum objectum eodem modo, quo istud per species immissas in illud incurrit, nec propterea unquam *fallax* dici potest: *sensus* ergo *immediate* & *formaliter* nunquam fallunt, attamen *occasio* erroris & fallaciæ esse possunt, si JUDICIUM nimis præcipitanter ex sensibus formetur, *non attentis prius omnibus circumstantiis*, unde præclare S. *Augustinus ait* L. de vera Relig. N. 61. *Corporea species, quia nullam voluntatem habet, non mentitur. - - Si quis remum frangi in aqua opinatur, &, cum inde aufertur, integrari*, NON MALUM HABET

IN-

INTERNUNTIUM, SED MALUS EST JUDEX; *nam ille pro ſua natura non potuit aliter in aqua ſentire, nec aliter debuit; ſi enim aliud eſt aer, aliud aqua, juſtum eſt, ut aliter in aere, aliter in aqua ſentiatur: quare* OCULUS RECTE VIDET, SED ANIMUS PERVERSE JUDICAT: in Myſteriis vero FIDEI (v. g. in SS. EUCHARISTIA) SENSUS per REVELATIONEM facile corriguntur.

CCXCVI. REGULÆ PARTICULARES pro ſano ex ſenſibus ferendo judicio ſunt ſequentes I. ORGANA SENSORIA (CCXCI.) *ſint ſana & integra, nulloque vitio laborantia.* Nam *cæcus* v. g. aut *luſcus* de coloribus apte judicare non poteſt, & *febri*, aut alio morbo decumbens ad *ſaporem* diverſum ciborum dignoſcendum ineptus exiſtit. II. OBJECTA SENSIBILIA *non ſint nimis ab organis ſenſoriis remota*; ſecus enim debilius iſta afficient, adeoque repræſentatio rei perceptæ in anima erit *obſcura*, ob *debilem* nempe *motionem* in cerebro excitatam (CCXCII.) & conſequenter mens, ſecundum *obſcuram* hanc repræſentationem *judicans* facillime in errorem inducetur. Sic v. g. quia immenſa ſolis *diſtantia* abſorbet com-

Requiſita ad bene ſentiendum.

1. Ex parte organi.

2. Ex parte objecti.

complures radios, sive species ex convexa illius figura oculis submissas, ipse apparet instar *disci*, utut de se *globi* figuram habeat. III. Medium (seu illud corpus, quod inter objectum & organum interiacet, e. g. *aer*, *aqua*, *vitrum &c.*) *semper idem & uniforme sit*; nam si medium variatur, etiam objecti impressio variabitur, atque aliud a se apparebit. e. g. Oculus cœruleo, viridi aut flavo vitro armatus omnia videt simili colore imbuta. Item radii solares ex medio *densiore* v. g. aqua in medium *rarius*, v. g. aerem progredientes, a perpendiculo solent recedere, ut Opticis notissimum est, unde & causam assignant, cur remus in aqua videatur fractus.

3. Ex parte medii.

Aliæ adhuc Regulæ circa sensuum usum.

CCXCVII. *Corollaria.* I. Ea ergo, quæ per sensus nobis adveniunt, *paulo attentius* contemplari decet; nam quo acrius rei perceptæ attenditur, eo *clarior* erit perceptio, minusque errandi periculo nos exponemus. II. Si objectum semper *eodem modo in quibuscunque circumstantiis* organo sensorio imprimitur, prudenter illud, quod sic apparet, eidem reipsa inesse affirmari poterit. e. g. *Ferrum* censetur *grave*,

ve, quia quomodocunque immutatum, habet aliquod *pondus*, seu *gravitatem* in quocunque demum hæc consistat: econtra non valet hæc illatio: *Aqua aliquando*, nempe quando *glacie* constricta est, *non habet fluiditatem*: *ergo non est fluida.* Mutentur enim *circumstantiæ*, & aquæ applicetur *calor*, mox incipiet *diffluere.* Huc etiam servit, quod supra (XXXIII. 3.) dictum est. III. Ut *sensuum testimonium* tanquam *certum & infallibile* haberi possit, regulæ datæ quandoque non sufficiunt, sed insuper attendendum est, an testimonium hoc sit sanæ *rationi*, *fidei*, & *communi aliorum experientiæ* conforme? *nemo* enim *omnibus horis sapit*, sed etiam *quandoque bonus dormitat Homerus.*

ARTICULUS II.

DE EXPERIENTIA, ET EXPERIMENTIS PHYSICIS.

CCXCVIII. Experientia est cognitio, quæ acquiritur attendendo ad res, sensibus obvias, sive, ut ait Cl. P. Fort. a Brix. est *cogni-* Experientia.

cognitio nullo docente per usum acquisita, porro cum omnes *sensus* nostri sint vel *interni*, vel *externi*, etiam *experientia* dividitur in *internam*, qua ea tantum, quæ *intus* & in mente nostra contingunt, nobis sistimus, & in *externam*, qua res *extra nos* positas, & organa nostra sensoria moventes nobis repræsentamus, & de hac tantum *posteriore* hic nobis est sermo, de *priore* vero *Sect. seq.* dicetur. Sic v. g. per experientiam *internam* novimus, toties in anima nostra oriri *tædium*, quoties aliquid nobis repræsentatur *ut malum*. Per *experientiam* autem *externam* liquet, quod *Magnes* attrahat ferrum, *gravia* remoto impedimento cadant deorsum, *aqua* madefaciat &c. Experientia *externa* rursum duplex est. 1. *Communis*, seu *vulgaris*, estque circa ea, quæ adminiculo sensuum *vulgus* æque observat, ac *eruditi*, unde & OBSERVATIO dicitur. e. g. *Apparitio Iridis*, *Eclypsis Lunæ &c.* 2. *Erudita* sive *artificalis* habetur circa ea naturæ phænomena, quæ nonnisi ab *eruditis*, accedente hominum opera, observantur, & proprio nomine dicuntur EXPERIMENTA: e. g. descensus Mercurii ex tubo sub recipiente, post-

Interna.

Externa.

Communis, seu observatio.

Erudita, sive Experimentum.

postquam aer gravitans, tanquam causa ascensus illius, mediante Antlia pnevmatica fuit extractus &c. aliaque experimenta, ad ÆROMETRIAM, HYDROSTATICAM. OPTICAM, &c. spectantia. Si tamen corpus, *eodem statu artificiali perdurante*, varie mutetur, ad *observationes* pertinet, uti fit v. g. in *Barometris*, *Thermometris*, pro varia aeris mutatione. Porro PHOENOMENON dicitur, *quidquid consideratione dignum apparet*, & *sensibus subjacet*, adeoque est nomen commune tum *observationibus*, tum *experimentis*. Et quoniam hæc de *experimentis physicis* materia moderno tempore tam frequens & usitata est, ne circa illam errare nos contingat, Logicæ quoque Practicæ officium est, idoneis regulis, saltem *generalibus* (nam *particulares* ad Physicam *experimentalem* spectant) tyroni præcavere. Sunt autem

Phœnomenon.

CCXCIX. REGULÆ UNIVERSALES AD EXPERIMENTA ET OBSERVATIONES INSTITUENDAS. I. *Qui experiri aliquid per artem cupit, generalia saltem principia atque Problemata illius artis seu scientiæ ad quam objectum experimento subjiciendum spectat, probe calleat, simulque in instrumentis tractandis sufficienter versatus sit*, secus enim aut effectus *nullus*,

Regulæ pro Experimentis faciendis.

aut *dubius* sequetur, nullamque ipsi *utilitatem commodumve* præstabit, cum facile prætermitti quædam possint, quæ erant observanda, cum ingenti *temporis*, *expensarumque* jactura: hinc suspecta plerumque haberi debent experimenta a *vulgaribus* hominibus, agrestibus, & simplicibus facta. II. *Deponenda sunt experimentatori omnia* PRÆJUDICIA (CCLXIV. CCLXVI. CCLXVIII.) *maxime vero ei cavendum a vitio* SUBREPTIONIS, quod tunc contingere solet, si quis *sensibus* percepisse putat, & pro *experientia* habet, quod tamen solo *discursu* atque *ratiocinio* ab experientia colligit, vel quod per *imaginationem* aliunde ipsi succurrit. e. g. per *experientiam* quidem deprehenditur, quod *magnes* attrahat ferrum: at *causa* hujus attractionis vel maxime latet: si quis autem dicere voluerit, *per* EXPERIENTIAM *constare*, id provenire ab *effluviis*, ex magnete erumpentibus, vitium *subreptionis* committit, eoquod illud, quod per RATIOCINIUM ex experientia concludit, pro ipsa EXPERIENTIA habeat: similiter errat, qui strepitum v. g. sonumque de nocte in ædibus audiens, ex *metu* mox *judicat*, hunc tumultum nonnisi a *spectro* ex-

Subreptionis vitium.

ci-

citari posse, adeoque *ratiocinium*, ex metu conceptum, pro ipsa *sensione*, & *experientia* habet. III. *Circa res tantum* SINGULARES, & EXISTENTES *experimenta fieri possunt*; experientia enim *sensatione* efficitur (n. præc.) nihil autem *in sensus* cadit, nisi quod *existit*, quod enim non existit, organa sensoria *movere* nequit, quod tamen ad sensationem requiritur (CCXCII.) at omne, quod existit, *est singulare*, seu *omnimode determinatum* (XLV.) qui ergo propositionem quamdam in Physica per *experientiam* probare intendit, necessario casum quemdam *singularem* afferre debet, *universalia* enim experiri non valemus; quia non *immediate* nostris *sensibus* subjiciuntur: atque ideo probe etiam distingui debet inter *experientiam* DE EFFECTU, & inter *experientiam* DE CAUSA, cum sæpe experiamur *effectum*, cujus *causa* nedum *sub sensus*, sed nec *sub intellectum* cadit. IV. *Certum sibi* FINEM *in experientia quadam facienda, aut exhibenda, Experimentator præfigat*; alias enim *curiositas*, *sensuumque libertas* nimium evagata, attentionem objecto debitam (CCLXXII.) minuet, aut omnino destruet, sicque animus

speciosa quadam circumstantia totus abreptus omittet ea inquirere, atque accuratius discutere, quæ ad præsentem controversiam decidendam quam maxime inserviunt. V. *Eadem experimenta, quæ alibi a pluribus facta, aut in Actis etiam publicis alicujus Universitatis pro* VERIS *vulgo sparguntur, si commode fieri potest, iterum ad lancem revocentur, & cum aliis conferantur, seduloque perspiciatur, an conveniant, necne?* multa enim experimenta pro *veris* jactata *falsa* deinde fuisse reperta probat MUSCHENBROECKIUS Experimentator summus *in præfat. experiment.* Item ex accuratis ejusmodi observationibus facilius intelligitur tum CAUSA phœnomeni, tum etiam VARIATIONIS *experimentorum* ratio. VI. *Omnes experimenti* CIRCUMSTANTIÆ *accuratissime sunt observandæ.* Attendendum nempe ad *locum*, aut *regionem*, ubi experimentum exhibetur, aut exhibitum fuit, ad *tempus*, *anni tempestatem*, *aëris vicissitudinem &c.* quibus mutatis etiam frequenter experimenta mutantur, aliique effectus prodeunt. Unde etiam a modernis Physicis instrumenta, in faciendo experimento adhibita, passim delineari, actionesque sin-

fingulæ, & cautelæ fufceptæ enumerari folent. Plures, easque *pro praxi* utiliffimas regulas tradit Cl. P. HAUSER *Log. P.* 4. *Q.* 5. *Art.* 4. inter alias vero §. 496. vult, ut, *Bonorum inftrumentorum delectus habeatur*, & jure quidem; fecus enim, fi non fint accurate elaborata, experientiæ etiam certiffimæ non poterunt illis exhiberi: attendendum vero eft in inftrumentis ad alterationes ac *viciffitudines* tempeftatum, *calorem*, *frigus*, *humiditatem &c.* item ad *longum* eorum *ufum*, quo facile atteri, ficque vitium contrahere poffunt: nunquam autem ad *extrema* tentanda urgeantur, ne, fi etiam firmiffima fuerint, fubito crepent, ac in frufta abeant. Videantur quoque regulæ fupra traditæ (CCXCVI. & CCXCVII.)

CCC. *Scholion.* Cæterum *ars experimentandi*, ut idem ille cit. Cl. Author præclare probat, non eft *otioforum hominum*, *aut fabrilis cerebri occupatio*, uti quidam dicere audent ex eorum numero, qui, *quæcunque ignorant*, *blafphemant*, cum *ingenium* non minus *fummum*, quam etiam *dexteritatem permagnam* poftulet, adeo, ut illam Præftantia artis experimentandi.

 artem

artem nemo nisi *perfectus Mathematicus* cum fructu pertractare valeat, eoquod *naturæ vires* ubique mensurandæ sint, id quod solius *Matheseos subsidio* fieri potest; quare *non erit Philosopho indignus labor movere Antliam* (concludit denique) *quemadmodum nec Herculi probrosus fuit tractasse clavam*: exinde nempe locupletatur *Historia naturalis*, novæ rerum vires deteguntur, cum sæpe experimenta eliciant effectum minime prævisum, ut simili modo noster P. BERTHOLDUS SCHWARZ pulveris pyrii confectionem ex insperato invenisse dicitur, & sic usum quoque aliquem EXPERIMENTA in *humana Societate* habent, *bonoque publico*, nisi mala voluntas iisdem abutatur, inserviunt, præterquam quod *mentem Experimentatoris* in dies *capaciorem* reddant, *peritiorem*que.

Atque utilitas.



SE-

SECTIO IV.

DECLARATUR, QUOMODO EXPERIENTIÆ JUNGENDA SIT RATIO?

CCCI. RAtio in *sensu proprio*, prout hic accipitur, est ea *mentis humanæ facultas*, *per quam rerum ac Veritatum* NEXUM *distincte perspicere*, *unumque ex alio inferre valet*. Illam esse unam ex præcipuis *veritatis fontibus* atque *criteriis*, exinde patet, quia, si neque in RATIOCINII *forma*, neque in *materiæ nexu* error commissus est, summa in nobis *certitudo* exsurgit, nos in conclusionibus, *per ratiocinium* inde deductis *falli* omnino *non posse*: profecto sine *ratione* authoritas humana nihil probat (CCLXVII.) & *sensuum* quoque *experientiæ* nisi *ratio* accedat, putabimus *baculum* aquis immersum esse *curvum*, & *solem* aut *stellas* esse terra longe *minores*. Et quidem circa *authoritatem* quomodo ratio procedere debeat, dictum est (a N. CCLXXXVIII. *usque ad* N. CCXCI. *exclusive*) circa *experientiam* vero quomodo se gerere menti sit

Ratio quid sit?

Rationis valor.

utile ac necessarium? nunc docebitur. Nempe

Ratio Experientiæ conjuncta esse debet.

CCCII. Regula Generalis est: Experientia et Ratio conjunctæ esse debent: Experientia enim Sensuum *rationi* viam aperire debet, per quam ignota naturæ arcana perscrutari & genuinam *Corporum naturam* indagare queat: sicque mens prohibetur, ne modos, & causas phœnomenorum *fingat*, mundumque *Idealem* in cerebro creet, *vitio* Subreptionis capta (CCXCIX. 2.) vicissim Ratio experimenta jam *facta* comparat, vel etiam *nova* instituit, quibus ulterius naturæ adyta mens penetret, & quod quærit, in apricum proferat, totumque Systema aliquod Philosophiæ, usibus vitæ tam Utilis, quam Jucundæ adornet, ut libri Neotericorum obvii testantur, quo vero hæc *Rationis* cum *Experientia* conjunctio sine errandi periculo sit, observandæ sunt sequentes

Quomodo ratiocinandum ab experientiis?

CCCIII. Regulæ particulares, quæ serviunt ad bene Ratiocinandum *ab experientiis*. 1. *Experimenti aut Phænomeni causæ* Omnes, *quotquot haberi pos-*

possunt, *indagentur*. Eo magis enim *vera* illius causa patefiet, dum econtra ii, qui in *Physicis* alteri *credere*, *determinatoque* Systemati *tanquam saxo* adhærere malunt, ut loquitur Cl. Ant. Genuensis, nihil unquam *investigabunt*, nec ullum in *scientiis* acquirendis *gradum facient*. Sic ille Newtonianos increpat, hoc est, illos Philosophos, qui Attractionis Newtonianæ (in *Physica* perquam celebris) vocabulo contenti, nihil ulterius perquirunt, *attractionem* vero *ipsam*, quid sit, & *quænam* ejus *causa*? penitus ignorant. Idem forsan dicendum de antiquorum *formis substantialibus*, & *qualitatibus occultis*.

II. *Ex omnibus causis* Possibilibus *ea habenda est pro* Vera, *quæ* salva Re *abesse*, *vel auferri nequit*; hoc quippe signum est, illam in Re ipsa certo contineri, & non in solo nostro *ratiocinio*. Sic v. g. Dum radiis solaribus, e. g. rubris, prismate refractis competit idem angulus, etiam pro diversis circumstantiis, inde probabiliter saltem concludunt Newtoniani, illam determinatam *refrangibilitatem*, Coloremque ex refrangibilitate oriundum inexistere ipsis Radiis *sola-*

ribus, & non OBJECTIS, colorem referentibus, econtra *pyramidalem* IGNI *figuram* non deberi, illumque *ex natura sua* sursum non tendere, inde probabiliter deducunt Neoterici, quia sub Recipiente positus, exhausto per Antliam *aere*, eam figuram minime retinet, sed potius in *ovalem* decrescens, tandem omnino extinguitur, & quasi in terram cadit, pariter quia Mercurius *in* Barometro, quamprimum removetur aer sub recipiente, delabitur, & quamprimum rursus intromittitur, ascendit, ideo ejus ascensus jure *prementi aeri*, non autem *metui vacui* (qui, præterquam quod sit terminus *Metaphoricus*, extracto aere utique *major* esse deberet) a Recentioribus adscribitur. Denique ex hac Regula *certo* etiam colligitur, quod *ignis sit calidus*, quia *salva ignis substantia* nunqnam (saltem naturæ viribus) ab eo *calor* abesse potest. III. *Si quædam ita* INSIMUL *in rerum natura ponuntur, ut unum sine altero nunquam observetur existere*, PROBABILITER *unum alterius causa dici potest*, sic quia *æstus maris Lunæ* cursum perpetuo sequitur, inferri *probabiliter* potest, a *Luna* quasdam mari mutationes induci. Di-

xi

xi *probabiliter*, nam poteſt etiam contingere, ut unum alteri ſit mere *per accidens* conjunctum, ut v. g. æſtus & *paroxiſmus febrilis* cum certa dierum atque *horarum revolutione* conjunctus eſt, aut ſigna MAGICA (*phyſice* loquendo) cum effectibus maleficis &c. IV. Si *clare*, & *diſtincte* non pateat, quænam ſit alicujus phœnomeni *vera* cauſa, &, ſi *certi* non ſimus, nos *omnes poſſibiles* cauſas in mentem revocaſſe; nil *certi* de illa ſtatui, aut prudenter affirmari poteſt, ſed potius *probabilitas* inveſtigari debet, ita ſcilicet, ut pro *cauſa Phænomeni* aſſignetur ea, in qua *major* ſit illius producendi *ratio ſufficiens*, rejicianturque cauſæ aliæ, in quibus *minor* eſt hujusmodi *ſufficiens ratio*. Juxta hanc regulam frequenter procedere debent MEDICI in inveſtigandis morborum cauſis. Unde habetur illud: *Felix, qui rerum poterit cognoſcere cauſas.* Quemadmodum ea, quæ SENSUS recte diſpoſiti, optimeque valentes *clare*, *diſtincte*, & *uniformiter* nobis exhibent, exiſtere in hoc univerſo *certo* affirmare valemus (CCXCVII. 2.) Ita *male agunt, qui promiſcue omnia rejiciunt, quæ* SENSI-

BUS

BUS *non apparent;* nam tanta non eſt *ſenſuum* noſtrorum *vis* & acumen, ut illorum ope *omnia* comprehendere poſſimus. Sic male quidam in *Phyſica* negant, *internas* mixti corporis *ſubtiliores particulas continuo motu* agitari, easque ex illius poris aſſiduo erumpere, atque in omnem partem ſeſe diffundere: vel alii *ſubtilem* quamdam *materiam*, omnium corporum poros permeantem e natura tollunt, quia *videri*, aut *tangi* nequit, quæ tamen ex naturæ phænomenis vix non *evidenter* eruitur. Certe *cæcus* aut *ſurdus* male negaret *ſonum*, aut *lumen*, vel *colores*, quia ejusmodi ipſi non *ſentiunt*: ſic *a pari*. VI. *Si tamen certo conſtiterit, ea, quæ non ſentiuntur, talis eſſe naturæ, ut nequeant eſſe vera*, NISI SUB SENSUS CADANT; *aut ſi ab aliarum rerum circumſtantium, ac vere ſenſibilium affectionibus, obſevationibusque certo erui poteſt, ea aut omnino in rerum natura dari, vel exiſtere non poſſe, aut ſaltem eſſe* SUPERFLUA, *merito non acceptantur.* Huc pertinent *tot*, & tam *diſtinctæ* inter ſe *ſubtiles materiæ*, pro explicandis rerum phœnomenis a nonnullis Philoſophis Experimentalibus excogitatæ, nam aliam

v. g.

v. g. Dicunt esse materiam *luminosam*: aliam *gravitantem*, aliam *electricam*, aliam *calorificam* &c. Imo vix non *pro quolibet novo phænomeno* explicando, novam quoque ac distinctam assignant materiam, cum tamen earum aliquæ vel nullo modo admittendæ, vel saltem *superfluæ* sint, eoquod *una aut altera*, vario motu aut quiete affecta, pro *pluribus* naturæ effectibus atque phoenomenis exsplicandis satisfacere queat. Demum servari quoque debent dicta (CCXXV.)

CCCIV. *Corollarium.* Quamvis & *notiones*, & *Judicia* per experientiam formata, sint *singularia* (CCXCIX. 3.) notiones tamen *singulares* in *universales* possunt mutari, atque adeo experientiæ ope pervenire valemus ad notiones *distinctas universales*, sive ad *definitiones* (CIII.) Ad hoc autem obtinendum Baumeisterus *Elem. Phil. Recent.* §. 166. tradit sequentes regulas. — Definitiones ab experientiis quomodo sint formandæ?

I. *Tot fiant judicia* intuitiva, *quot circa rem perceptam fieri possunt.* Definitur autem *Judicium intuitivum* ab eodem *Philos. definit.* §. 64. esse id, *quo enti cuidam tribuimus, quæ in ipsius notione comprehensa intuemur.* e. g. *Pluvia* — Judicium intuitivum.

tri-

tribuimus *humiditatem*, quia idea, quam de *pluvia* habemus: eam *humidam* nobis repræsentat, hinc judicium: *pluvia est humida*, est *intuitivum*, & per hoc distinguitur a *judicio discursivo*, sive *Dianœtico*, quod per *ratiocinium* elicitur. e. g. Si Cajum videris *iratum*, tunc ex hoc judicio intuitivo: *Cajus est iratus*, & ex alio, quod ope memoriæ tibi occurrit: IRATUS *non est mentis compos*, tertium elicis: *Cajus non est mentis compos*, quod est judicium *discursivum*. II. *Omitte prædicata, quæ vocant*, ACCIDENTALIA, *sive quæ rei non* CONSTANTER *insunt*, & *elige attributa*, CONSTANTER *inexistentia*, *eaque a* PARTICULARIBUS *determinationibus*, *quibus forsan involuta sunt*, *libera*, ac GENERALI *nomine enuntia*. III. *Facilius autem succedet negotium*, *si* PLURA EXEMPLA *inter se contuleris*, *atque accurate perpenderis*, *in quo exempla perpetuo* CONVENIANT, & *in quo a se* DIFFERANT. e. g. Fac te velle scire, quid notio GULÆ universalior involvat? I. Circumspice *casus individuales*, in quibus *gulosum* observare licet, & forma exinde plura *judicia intuitiva*. E. g. *Cajus appetit aves*, *pullos*, *carnem vitulinam*, *cervinam* &c. *poma*, *uvas*, *bellaria* &c. *vinum Rhenanum*,

Dianœticum, seu discursivum.

num, *Mosellanum*, *Austriacum*, *Hungaricum*, *Burgundicum*, *Hispanicum &c.* *nullo habito ordine*, *& ratione temporis*, *sine modo &c.* 2. Similem vides Sempronium, hoc forsan cum discrimine, quod *alios* cibos, *alio tempore &c.* appetat. Jam ex his 3. deprehendes, APPETITUM INORDINATUM inesse gulæ *constanter*, item ESCULENTA, *suis tamen determinationibus involuta*, APPETI. 4. Igitur hæc *particularia* enuntia termino *generico* CIBI, & POTUS, dabiturque *gulæ notio universalis*, seu *definitio a posteriori*, sic formata: GULA EST INORDINATUS APPETITUS CIBI ET POTUS.

CCCV. *Scholion.* Omnibus, qui juventutem ad humanitatem erudiunt, auctor suasorque existit cit. BAUMEISTERUS. *Loc. Cit.* §. 165. ut eos, quos docent, in ejusmodi *definitionibus* conficiendis solerter exerceant, ait enim: *Dici non potest*, *quanti intersit ad emendandam acuendamque juvenum intelligendi vim*, *ut perspicue ipsis tradatur via & ratio*, *a posteriori*, *sive per experientiam notiones universales distinctas*, *sive definitiones efformandi.*



SE-

SECTIO V.

DE

SENSU INTIMO, AC COMMUNI OMNIUM PERSUASIONE.

Sensus intimus.

CCCVI. SENSUS INTIMUS vocatur illa mentis nostræ vis, & facultas, qua mens *se ipsam* intime cognoscit, ac per hoc *suarum operationum*, ac mutationum sibi *intus* conscia est. Alii illam etiam appellant TESTIMONIUM CONSCIENTIÆ, & *intimam experientiam earum rerum, quæ intra animam contingunt, affectionum* nempe *cognitionum, & motuum internorum*, de quibus omnibus per *sensum intimum*, seu *conscientiam* METAPHYSICE CERTI reddimur. e. g. Nos *existere, vivere, gaudere, tristari &c.* Igitur

Est radix primorum Religionum.

CCCVII. *Corollaria.* I. Sensus intimus est *radix primorum principiorum.* e. g. *Idem non potest simul esse, & non esse;* quippe *per sensum intimum* anima, *si sit debite attenta*, percipit idearum suarum *identitatem, distinctionem, connexionem &c.* Sic e. g. intime sibi conscia

conscia est, ideam *solis*, quam actu in se producit, non esse ideam *cœli*, sed esse *id*, *quod est*, & *non aliud*. II. Consequentia *ex actuali cognitione* tanquam suo *principio*, vel *antecedente* clare deducta plane *evidens* est. e. g. Illud CARTESII: COGITO: ERGO SUM; *cogitare* enim nequeo, nisi *existam*, & evidenter scio, me existere, si scio, me *cogitare*, quamquam hoc PRIMUM *omnis veritatis principium* dici nequeat, ut in ONTOLOGIA docetur. III. Sensus intimus *non parit certitudinem* objectorum, quæ *extra animam* existunt. Sic e. g. in eo, qui forte *somniat*, se ex summo ædificii cujusdam fastigio in terram lapsum crura fregisse, *judicat*que, se propterea vehementer *dolere*, circa hoc judicium, quod est de *actu* animæ *interno* (nempe de *doloris* affectu) nititur testimonio *conscientiæ* suæ, & non errat; si autem judicet, se revera *crura fregisse*, hoc judicium est circa objectum animæ *externum*, & *falsum* est, ut ex somno expergefactus mox sentiet. IV. Ut sensus intimus non fallat, *conscientia* debet esse *pacata*, & nullis *affectibus inordinatis* circumsepta (CCLV.) V. *Sensus intimus* non debet extendi ad res *fidei*, ut quidam fanatici, *spiritu privato* delusi fecêre

Non parit certitudinem objectorum externorum.

Debet esse liber a passionibus,

Nec ad res fidei extendi.

somniantes, se *sensum intimum* habere etiam *Mysteriorum Divinorum*, eumque *regulam fidei*, atque *Religionis arbitrum* pessime statuentes; *Spiritus* enim *contradictionis*, quem parit ejusmodi *spiritus privatus*, plane *ex DEO*, qui est æterna *veritas*, procedere nequit; id quod utinam heterodoxi, ab *una*, *sancta*, *Catholica*, & *Apostolica* Ecclesia alieni tandem aliquando intelligerent, atque ad *unitatem* fidei, *extra quam nulla salus* est, *ex corde* redirent!

Corporum existentia pro re certa habenda est.

CCCVIII. *Scholion.* Refutari vix meretur insana IDEALISTARUM (CCXCIII) opinio, nullum aliud *veritatis criterium* admittentium, quam SENSUM INTIMUM, ideoque docentium, dubium esse, an existant *extra nos* re ipsa CORPORA, sive an a corporibus patiamur quasdam impressiones? licet enim (arguunt) nullum re ipsa corpus existeret, dummodo DEUS mentem nostram afficeret eo modo, quo illa affici se nunc experitur ab *igne* v. g. *eadem* foret *conscientia intima*. Ast nolunt perspicere, ejusmodi Sycophantæ, quod sic pariter inferri queat, dubiam esse *existentiam* proprii ipsorum *corporis*, cum soli *animæ* possit DEUS im-

impressiones comunicare, quales nunc a corpore percipit, & sic incertum plane foret, an ipsimet in hoc mundo existerent? &c.

CCCIX. SENSUS COMMUNIS, seu Sensus COMMUNIS OMNIUM PERSUASIO est *vis* OMNIBUS *hominibus*, *vel longe* MAJORI PARTI *naturaliter insita*, *qua rationis usum habentes* STABILITER *inclinari se sentiunt ad* COMMUNE & UNIFORME *judicium circa quædam*, *quæ intimo sensu non percipiuntur*. Persuasio hæc naturalis omnium hominum, omnium locorum ac temporum, doctorum æque ac indoctorum *certitudinem metaphysicam* (CXXXIV.) parit. Sic certi sumus 1. *Mundum* hunc, & corpora in illo existentia, non *a se ipsis*, sed ab aliqua *causa primâ* prodiisse, & consequenter DEUM EXISTERE, 2. hunc DEUM esse *remuneratorem bonorum*, & *vindicem malorum*, id enim omnes ubique rationes docuêre, quamvis in ratione, determinata *præmii*, aut *pœnæ* ex *particularibus* erroribus non convenerint. 3. Inesse hominibus *potentiam agendi pro libitu suo* citra *coactionem* vel *necessitatem*. 4. Animam hominis esse *immortalem*, ut pleræque scholæ docent,

Sensus communis.

Quid per eum sciamus?

cent, &c. Vis nempe, & inftinctus ejusmodi UNIVERSALIS falli non poteft, quia ipfi *naturæ rationali* ab ente fupremo impreffa eft, ipfo CICERONE tefte, qui *QQ. Tufc. C.* 13. vere inquit: *Omni in re omnium gentium confenfio* LEX NATURÆ *putanda eft*: alias enim natura rationalis ad aliquid *rationi repugnans*, fcilicet ad *falfum*, tanquam ad *malum* fuum homines omnes rationales induceret, nec error hic UNIVERSALIS deponi poffet, aut actu deponeretur, nifi a *paucis*, a fana ratione nimium quantum deflectentibus SCEPTICIS, & vitiorum cœno aurium tenus immerfis SYBARITIS, quæ funt fequelæ primis principiis contrariæ, & in DEum *blafphemæ*.

Non fallit.

CCCX. *Scholia*. I. A *fenfu communi* excludimus illam five *rudium*, five etiam *doctorum* perfuafionem, quæ ante omnem veritatis inquifitionem non ex ipfo *naturæ inftinctu*, fed ex *præjudiciis* hauritur, & errori obnoxia eft (CCLXVI & CCLXVIII.) unde follicite monet S. AUGUSTINUS *L.* 2. *contra Julian. C.* 10. *ad aliquid inveniendum nihil* MULTITUDINEM *prodeffe* COECORUM. II. *Senfus communis* a *fenfu*


Differt a fenfu particulari.

A fenfu intimo.

su intimo per hoc differt, quod veritates *sensu intimo* cognitæ sint *evidentes*, cum vivacissime mentem nostram perstringant (CXXXIV.) nullamque *obscuritatem* admittant, id quod non contingit circa veritates per *sensum communem* cognitas, utpote quæ tantum versantur circa objecta nobis *externa*, adeoque non ita *vivide* mentem nostram afficiunt. III. Differt quoque *sensus communis naturæ* ab *ideis innatis* CARTESII ex duplici capite. 1. Quia *sensus communis* (*lumen naturæ* etiam vocatur) est tantum *potentia* ac *dispositio naturalis* ad certas quasdam cognitiones, *idea* vero est *cognitio actualis* (XXIX.) 2. Idea est *simplex objecti repræsentatio* (n. c.) illa autem *communis* omnium *persuasio* ad *judicium* spectat, eo ipso, quod sit UNIVERSALE NATURÆ JUDICIUM.

Et ab Ideis innatis.

Ad Judicium spectat.



SECTIO VI.

DE ALIO ADHUC VERITATIS INQUIRENDÆ ADMINICULO, NEMPE DE HYPOTHESI.

CCCXI. CUm ob intellectus nostri *imbecillitatem* (CCXXXVIII.) improbo etiam labore complurium rerum *scientiam* obtinere non possimus, solaque *probabilitate* contenti esse debeamus, hinc in rebus physicis quandoque aliqua HYPOTHESIS (CXXXVI. 8.) adhiberi ad investigandam veritatem solet, ne cum scientiarum damno cognitio rerum plurimarum omnino intermitti debeat. Et alia quidem Hypothesis dicitur POSSIBILIS, in qua assumuntur ea, quæ absque implicantia ita se habere, & existere possunt. alia IMPOSSIBILIS, quæ assumit *implicantiam* aut *contradictionem* involventia. Ad Hypothesin *possibilem* inveniendam conducunt quam maxime 1. ampla *ingenii* facundi capacitas, 2. maturum *judicium*, 3. *observationes*, & *experimenta*,

Hypothesis possibilis.

menta. 4. *Analogia*, sive *scientia proportionum*, qua ex *simili* effectu causa *similis* deducitur, *omnibus*que, vel saltem *potioribus* phœnomenis adaptatur. Hinc præterea

CCCXII. Ad *bonam Hypothesin* requiritur, ut non solum ipsa ab omni *contradictione* sit immunis, neque *principio* alias *noto* adversetur, sed etiam *effectus*, & *phœnomena* (CCXCVIII.) quæ ad propositam quæstionem spectant, per eandem *accurate explicari* queant, hoc est, *faciliter*, *simpliciter*, & *uniformiter*, prout *natura* ubique operatur. Quid ad eam requiratur?

CCCXIII. *Corollarium* I. Igitur in statuenda *Hypothesi* non sola sufficit *experientia* & *observatio*, sed etiam accedere debet intellectus *ratiocinium*, sive *ratio* (CCCII.) *eidem* enim phœnomeno explicando *diversæ* quandoque sufficiunt Hypotheses, uti contingit circa Hypotheses *Tychonicam* & *Copernicanam*, teste Cl. P. FORT. A BRIX. *Physic. Partic.* P. I. *Sect.* 5. §. 3448. & quidem *Hypothesis* evadet vel *magis*, vel *minus probabilis*, prout *plura*, vel *pauciora* explicat *phœnomena*,

&, si iis positis, quæ ponit Hypothesis, ponuntur phœnomena omnia, & istis sublatis ipsa quoque Hypothesis tollitur: eadem Hypothesis nedum *probabilissima*, sed etiam *certa* dici potest: at si vel UNUM, quod observatur, phœnomen ejusmodi Hypothesi CERTO *repugnat*, *improbabilis*, *falsa*que evadit. Sicut &

Hypothesis falsa quæ sit?

CCCXIV. *Corollarium* II. *Hypothesis spuria aut falsa* censenda est. 1. Quæ non habet FACILITATEM phœnomena explicandi, sed *principia* nimis *recondita*, *causas*que valde *obscuras*, & captu *difficiles* assignat. 2. Quæ caret SIMPLICITATE, hoc est, quæ ad explicationes suas non *unam*, sed *plures* adhibet *causas*, *motus*, aut *materias diversas*. 3. Cui deest UNIFORMITAS, sive quæ diversis observationibus plane non satisfacit, nisi NOTABILITER *immutata substantia*, sicque modum *extraordinarium* in operando inferens, *analogiam* cum similibus causis non servat. 4. Denique quæ pro *causa*, & quidem *unica*, assignat solam *concausam*, aut *conditionem*, vel *medium* &c. (CCXXIII) Particularia de ejusmodi *Hypothesibus* exempla in *Physica* occur-

currunt, hic sufficiat habere aliquod *criterium* illas *prudenter dijudicandi.*

CCCXV. Hypothesis impossibilis (CCCXI.) quandoque in aliis etiam scientiis (præterquam *Mathematicis*) si *justa* subsit *causa*, nempe *ad veritatem* aliquam *illustrandam*, aut ad *falsum detegendum* adhibetur, ut v. g. in *Theologia naturali;* an admisso etiam *processu in infinitum, existentia DEI* contra Atheos adhuc demonstrari possit? item in *Theologia Dogmatica*, *contra Græcos*, an, si per *impossibile* Spiritus S. non procederet a Filio, adhuc ab eo distingueretur? Mathematici vero hujus generis Hypotheses ad eruendam, aut clarius exhibendam suarum conclusionum veritatem omnium maxime usurpant, ut est v. g. *quantitas indivisibilis* in Geometria, & varii *circuli solidi* in Astrologia, quos ad *Systema universi* explicandum adhibent, talis est quoque Regula falsi, ut vocant, in Arithmetica, vel potius Regula suppositionis, sic dicta, quia quantitas *ficta*, seu *falsa* ponitur, aut quasi *supponitur* pro *vera*, ita, ut per eam non doceatur inquirere *falsum*, sed ut ex positione numeri, qui *putatur*

Hypothesis impossibilis, quando usurpetur?

Regula falsi.

satisfacturus quæstioni, inveniatur numerus quæstionis *verus*, eoquod posterior eandem rationem habeat ad suum quæstionis terminum, quam prior ad suum. Collocatur nempe in illa regula 1. Numerus suppositiitius. 2. Hypothesis, 3. numerus in quæstione notus. Videamus in exemplo, quod ex ARITHMETICA Cl. P. HUBERTI. *C.* 2. §. 49. *IV.* huc appono.

E. g. Tres debent 2700 aureos, ita ut secundus debeat duplum primi, & tertius duplum secundi, quantum proinde debent singuli? en PROBLEMA! (CXXXVI. 4.)

SOLUTIO, suppone *primum* debere *unum* aureum, debebit *secundus duos* aureos, *tertius quatuor*, summa omnium erit $=$ 7. Unde dices (per *regulam proportionum*, vulgo *detri*) ut se habet summa 7 ad 1, ita summa 2700 ad X, id est $385\frac{5}{7}$ quod est debitum *primi.* Hoc inventum duplica: nempe $385 \times 2 = 770$, estque debitum *secundi*, hujus duplum dat debitum tertii, nempe $770 \times 2 = 1540$. Jam $1540 \times 770 \times 385\frac{5}{7} = 2700$. Q. E. F.

SE-

SECTIO VII.

DE ARTE HERMENEUTICA, SEU ALIORUM JUDICIA INTERPRETANDI.

POstquam explicavimus hactenus rationem *verum inveniendi*, & ex 4. fontibus limpidissimam *Sapientiæ* aquam hauriendi, restat nunc pariter, ut ostendamus, qua *attentione* & *cautela* opus sit in propositionibus & *veritatibus*, quas *alii* invenerunt, *examinandis*, atque *dijudicandis*. Cum vero inventæ ab aliis veritates in *libris* contineantur, tradere oportet Tyronibus *Regulas*, ad quas aliorum *libri*, & *scripta* queant dijudicari, quoniam item de *libris* ipsis multiplex, & quandoque vix solvendum oriri solet dubium, an scilicet liber, qui huic vel illi authori adscribitur, sit *genuinus* illius partus, an vero *spurius*, & a malevolis *corruptus*, falsoque illi *suppositus*? ante omnia indicandæ sunt *Regulæ*, queis libri *integri* ac *genuini* a *spuriis* dignoscendi sint? Igitur

AR-

ARTICULUS I.

ASSIGNANTUR REGULÆ HERMENEUTICÆ, AD LIBROS GENUINOS A SPURIIS DIGNOSCENDOS.

CCCXVI. Dici non potest, quod *fraudes* ab antiquis circa *libros* vel *depravatos*, vel *mutilatos*, vel omnino *suppositos* factæ sint. Omnium maxime dolendum est, quod in primis christianismi sæculis, ut non sine gemitu queruntur Ecclesiæ Patres, ad authoritatem suis deliriis atque erroribus conciliandam Heterodoxi libros quondam in vulgus sparserint APOCRYPHOS, id est, *fraude* falso authori *suppositos*, aut alia de causa ab Ecclesia *legi prohibitos*, quales GELASIUS Papa *in decreto de libris Apocryphis*, itemque Cl. P. JOSEPHUS DE TURRE *in suis Institutionibus Biblicis* plurimos enumerant, uti videre est in PROLEGOMENIS *Scripturæ sacræ*, *ad usum Cleri* AUGUSTANI editis.) P. I. Q. 8. Sciant igitur, qui aliorum *authoritatem* sequi amant, rem plenam laboris esse plerumque, *genuina* veterum scripta a *spuriis* internoscere: sed

Quid sint libri Apocryphi?

&post-

& poſtquam ea quis internoſcere potuerit, multo adhuc operoſius eſt, ea diſtinguere, quæ ſunt *ab ipſo Authore* ſcripta, ab iis, quæ *aliunde* adſuta, atque infarta fuerint, quæve aut *tempus* deleverit vel addiderit? itaque pro difficultate hac, ſaltem aliqua ex parte, ſuperanda præter regulas ſuperius traditas de *Libris divinis* (CCLXXX.) à Criticis tradi ſolent ſequentes.

CCCXVII. Regulæ pro Libris veris dignoscendis a supposititiis. I. *Suppoſiti libri indicium eſt, ſi in vetuſtis codicibus is alteri adſcribatur Authori, aut ſi nullus antiquorum mentionem de eo faciat*, quam tamen facile *potuiſſet*, ac *debuiſſet* facere, maxime, ſi alia ejusdem Authoris opera ſolerter ab iis fuêre recenſita: nulla enim eſt ratio, cur illius eſſe non credatur, cujus nomen in antiquis manuſcriptis præſefert, vel econtra cur ejusdem ſit, ſi nullus Coævorum reſciverit (CCLXXXIX.) II. *Si ſtylus libri, alicui Authori adſcripti, penitus differat ab eo, quem ſcriptor ille in aliis ſuis operibus certe genuinis adhibuit, probabile ut plurimum eſt, opus eſſe alterius.* Suppoſititii libri quomodo ſint dignoſcendi.

rius. Monet hic tamen Cl. Mabillonius *de stud. Monast. P.* 2. *C.* 13. Caute circa hanc Regulam procedi oportere, nam *unus, idemque Auctor in aliquo interdum opere qua elegantior, quave neglectior apparet, ut in Patrum Homiliis sæpe notatur; præterea idem Auctor jam ætate confectus videtur sibi ipsi, cum adhuc junior esset, plerumque dissimilis, quin imo magna e contrario in Auctorum stylo uniformitas sæpe numero cernitur, qui sibi Synchroni* (Coævi) *existere -- denique Didascalorum stylum Discipulos ad unguem fuisse aliquando imitatos minime latet, ut liquet ex* Nicolao Claravallensi, *qui illum* Doctoris Melliflui *plane est assecutus. Quæ omnia nemo, nisi maturo fuerit ingenio præditus, scripturarumque peritissimus, facile comperiet.* III. *Liber suppositititius censeri debet, in quo sententiæ continentur, iis contrariæ, quas scriptor, cujus nomen præfert, constanter defendit, maxime in re alicujus momenti*, nequaquam enim verisimile est, scriptorem prudentem, gravem & eruditum sibi adeo adversari, quin saltem aliquo in loco tantæ mutationis *mentionem* fecerit. Ad hanc Regulam apud Cl. Waddingum non nul-

li examinant *libros Physicorum* DOCTORIS SUBTILIS, eosque ut *suppositititios* rejiciunt, quia in multis aperte contradicunt ejusdem *sententiarum* libris. Nihilominus tamen hæc regula non est sine exceptione, nam potuit utique Author *doctior* factus, alia scribere, nec interim priorum recordari, quod iis, *qui plura* scribunt, facile contingere valet, aut potuit esse de sua sententia *dubius*, adeoque in diversis locis diversas tueri sententias, ut de CICERONE & PLATONE critici affirmant. IV. *Liber, in quo vel personæ referuntur, ævo scriptoris, cui liber ille vulgo inscribitur, certo posteriores, vel Vocabula, quæ longe postquam Auctor scripserat, usitata fuere, probabiliter pro suppositio habendus est.* Nam impossibile videtur, ut quis ejusmodi *personas* & *vocabula* commemoret, quæ certo *posteriora* Authore sunt. Sed & hæc regula *caute* adhibenda est, potuit enim hujuscemodi vitium *ex posterorum* quoque malitia in librum illum irrepsisse, ex adnotationibus scilicet ab aliquo alio posteriore *in margine* positis. V. *Liber indoctus, aut inscitia refertus, non potest (saltem* TOTUS *) viro docto attribui, nec liber*

Fabulas *continens viro sano ac prudenti, etsi in vetustis etiam codicibus, ipsius nomen inscriptum gerat.* Ex hac Regula tum alios libros, tum præsertim *sermones ad FF. in eremo.* S. Augustino quidam abjudicant, quia credere nolunt, virum doctum, qualis S. Aug. erat, narrare posse, se, cum Episcopus esset Hypponensis, in Æthiopiam profectum, ibi *unoculos*, *centauros*, & alia id genus portentosa oculis suis vidisse. VI. Liber, in quo tractantur controversiæ, longe post tempora illius scriptoris exortæ, probabiliter aut *spurius* est, aut *interpolatus.* Ex hoc argumento plerique negant, Symbolum Athanasianum, quicunque &c. esse a S. Athanasio compositum, quia in ipso præter cæteras, *Nestoriana*, & *Eutychiana* hæresis, diu post Athanasium ortæ, aperte refutari videntur. VII. *Interpolati libri argumentum est, si in VV. Codicibus aliquid desideretur, quod invenitur in novis: mutilati autem libri indicium est, si aliquid sit in novis, quod est expressum in vetustis.* Ex hoc Canone rejiciuntur Biblia a Martino Luthero edita, itemque merito *antiqui* Codices præponuntur *novis*, &

qui-

quidem ex eadem ratione, qua in *vetustis* Historiis perpendendis *antiqui* Historici & *Coævi*, reique gnari *recentioribus* præferuntur. VIII. *Liber genuinus ille habendus est, qui ex* MANUSCRIPTIS *fide dignis, ex* UNIFORMITATE STYLI *atque* DOCTRINÆ, *ex* VETERUM TESTIMONIO, *&* *ex* REBUS GESTIS, *quæ in eo narrantur*, AUTHENTICUS *esse probatur.* Ratio patet *a contrario*, nempe ex signis, queis probatum est librum esse *supposititium.* **Liber genuinus quis sit habendus?**

CCCXVIII. *Scholion. Errorum*, qui in libros *vetustiores* irrepsere, *causæ* assignantur ferme sequentes 1. VETUSTAS TEMPORIS, quæ fecit, ut antiquissimæ membranæ & chartæ vel *laceræ* ad posteros pervenerint, vel ita situ affectæ, ut litteræ multæ penitus deletæ oculis non apparerent, uti videre est in multis veterum libris v. g. *Ciceronis*, *Curtii*, & aliorum, in quibus plurimæ factæ sunt lacunæ, quæ vel nullo ingenio expleri possunt; aut, si compleantur, desiderium tamen in nobis *verorum* scriptoris *verborum* relinquunt. 2. LIBRARII, quorum opera & expensis libri quon- **Causæ errorum in libris.**

dam omnes aliorum manu *describi* debebant, eoquod ignota antiquis fuerit *ars typographica*, utpote primum circa decimi quinti sæculi Æræ Christianæ medietatem a Germanis aut inventa, aut cognita: quot autem menda inter scribendum irrepere queant, nemo ignorare potest, qui unquam scripsit: *incuriæ scribentium*, eorumque *inscitiæ* accedere etiam potuit *imperitia dictantium*, quia vel male *legerunt*, quæ scripta erant manu quandoque non pulchra, nec clare semper *pronunciarunt*, vel in dictando nimium *festinarunt*, vel denique cum viderent *in margine* exemplaris, quo utebantur, quoddam scriptum, leviter suspicati sunt, verba illa ad *contextum* pertinere, quæ tamen forte alius, qui libro usus est, in margine notavit. Adde, quod VV. Codices scripti fuerint antiquis litteris, *difficulter abbreviatis*, sine punctatione, & intervallis. 3. CRITICI, nempe cum inventa esset typographia, viri docti pro illo ævo, qui ex Manuscriptis ejusmodi male descriptis veterum Monumenta emendate primum in lucem edere voluerunt, nimis quandoque ingenio suo indulsere *in emendandis iis*, quæ *vitiosa* puta-

tabant, adeoque hac ipsa de causa nova enata sunt menda, quæ denuo ab aliis viris eruditis, inspectis denuo codicibus *manuscriptis*, tolli potuere: sed & inter hos ipsos reperti sunt non pauci, qui vel ex defectu omnimodæ *peritiæ*, aut ex nimia *audacia*, qua *conjecturas* suas in veterum contextum intruserunt, eorum scripta rursus corrupere. Silentio prætermittam ERRORES TYPI, vix evitabiles, IMPOSTORES item & FALSARIOS, qui data opera veterum scripta mutilarunt, iisque vel addiderunt, vel detraxerunt. (CCCXVI.) His præmissis nunc

ARTICULUS II.

STATUUNTUR REGULÆ GENERALES PRO AUTHORUM LIBRIS INTELLIGENDIS.

CCCXIX. QUædam dici possunt libro EXTERNA, ut sunt *Lector*, vel *author* ipse, qui scripsit & ejus scribendi *finis* &c. quædam vero *interna*, & est *materia* ejusque *sensus* &c. Pro omnibus hisce sufficiunt sequentes REGULÆ GENERALES. I. LECTOR ut rite legat, & ex autho-

Libro quænam sint externa? Et interna?

Regulæ pro libris cum fructu legendis.

authorum lectione *fructum* hauriat, debet 1. eos legere libros, qui facem ipsi præferunt, *viam*que ad aliorum intellectionem pandunt, sic v. g. frustra Libros *physicos* modernorum Philosophorum legeret, qui *Arithmeticæ* & *Geometriæ* Elementa non ante percurrisset, 2. Liber totus *secundum ordinem*, quo scriptus est, legi debet, qui enim *sine ordine* legunt, nec *memoria* tenere queunt, quæ legerunt, nec unum cum altero conferre, dein causa est, ut lecta non intelligant. 3. *Tantum* singulis interruptis vicibus ex libro legendum est, *quantum memoria ferre potest*, secus enim obruetur potius, quam perficietur. 4. Omnia ea, quæ fideli *memoriæ* commissa sunt, de novo *ruminare* decet, tum ut *longius hæreant*, tum etiam ut materiarum *ordo* & *nexus* facilius observetur. 5. Denique virorum perspicacium *adnotationes*, & *commentarii* (si qui de illis libris habentur) consulendi, & accurate inspiciendi sunt, inde namque *judicium* Lectoris magis *solidabitur*. Cæterum II. qui librum INTELLIGERE ac rite INTERPRETARI cupit, *linguam*, in qua liber ille scriptus est, perfecte quoque *calleat*; etenim raræ dantur

ver-

versiones, quæ authoris *mentem* exacte ac *plene* exhibeant, tum ob proprios cuique linguæ *Idiotismos*, tum etiam, quia plerumque ii, qui libros vertunt, vocabula accipiunt aut ex relatione ad *objecta*, aut ex relatione ad *proprias notiones*, quod utrumque *legibus interpretandi* contrarium est. III. Ante omnia in authore legendo attendi debet, qui sit FINIS ipsius in scribendo? aliud nempe *Philosophus*, aliud *Orator*, *Poëta*, aut *Historicus* scriptione sua intendit. Aliter item primi christianæ Religionis Theologi loquebantur in suis *Epistolis* & *tractatibus* ad *viros eruditos* Catholicos directis, & aliter in *Homiliis* ad *populum*, ubi scilicet quædam fidei *Mysteria* aut subticebant, aut *obscure* explicabant, ne in corruptas & profanas gentilium, concionibus sæpe præsentium, aures abirent, & ne *Margaritæ Evangelicæ* projicerentur ante *porcos*, ut egregie explicat Cl. P. MARTINUS GERBERT in sua *Mantissa de arcanis Ecclesiæ Traditionibus*, annexa *Principiis Theologiæ Exegeticæ*. IV. Attendi debet ad scriptoris *ætatem*, *patriam*, *Religionem*, *Professionem*, *mores* &c. ut sic facilius ejus mens *in omnibus* penetretur; quia vi-

Fines diversi Authorum.

delicet passim scriptores in suis libris se accommodare solent opinionibus *ætatis*, *patriæ* aut *Religionis* suæ. V. Propositionum, in libro occurentium *subjecta* omnia & *prædicata* accurate examinentur (CXXXVIII. & seq.) quandoque enim *unum* vocabulum *plures*, eosque sibi *oppositos sensus* habet, sic v. g. vocabulum Δεὸσ Deus, apud Græcos significat 1. Deum supremum, 2. *Dæmones*, 3. *Heroes &c.* etiam de vocibus *Hebraicis* Latine redditis id sæpius usuvenit, ut indicat Lexicon Biblicum Cl. P. Weitenauer. VI. Denique verba alicujus authoris *in sensu litterali*, seu naturali, quamdiu *ratio gravis* in contrarium non urget, accipienda sunt. (CCLXXXI. 6.) Porro

Regulæ pro interpretando libri loco obscuro.

CCCXX. Quando Liber, aut *libri locus* obscurus esse videtur, isti inserviunt Canones, I. *Nullus libri locus censendus est obscurus ex eo, quod non primo statim intuitu clare intelligatur*, maxime si Lector rei, quam liber pertractat, non satis antea *gnarus* sit, (XXXIII. 5.) sed tunc solum, quando viri etiam *doctiores*, & in materia, de qua agitur, versatiores *aperte* id fatentur, aut saltem, *æquivalenter*, id est,

eſt, quando in loci illius interpretatione in tot fere ſententias abeunt, quot ſunt capita. Quanquam non raro viri etiam docti difficultates in libris explicandis *faciant* magis, quam *inveniant*. II. Si conſtet, *revera* adeſſe *obſcuritatem*, tunc omnes *poſſibiles notiones*, quas habere author potuit, diligenter indagari, & in mente conferri, ac ſi fieri poteſt, loci *obſcuri* per alios *clariores* explicari debent, ad hoc autem maxime prodeſt, ſi *totum* authoris *Syſtema*, antequam ad ejus interpretationem accedatur, *in tabulas Synopticas* referatur, ac *Lexicon* proprium ejus libri conficiatur, ut ſic facillime *ſententiæ* cum *ſententiis*, *verba* cum *verbis* comparentur. Inde III. Ex omnibus *poſſibilibus* notionibus eligatur illa, quæ authoris *fini*, præcedenti aut conſequenti *doctrinæ*, & *Oeconomiæ Syſtematis* eſt magis conformis. IV. Si *plures* fieri queant notiones *æque probabiles*, nihil *certi* definiendum, ſed potius deſerendus eſt locus, tanquam *minime intelligibilis*. V. Qemadmodum *cæteris paribus* præferenda eſt interpretatio ejus, cui authoris *lingua* probe cognita fuit, & qui in *materia*, de qua author ſcripſit, *verſatus* eſt, interpre-

tationi illius, quæ ex *versione* tantum est, aut qui ejus materiæ *ignarus* est; ita pariter interpretatio illius, qui authoris fuit aut *discipulus*, aut *amicus*, vel *Coævus*, præferenda est explicationi alicujus *recentioris*, de quo probabilius est, quod illi mens authoris non ita perspecta fuerit.

ARTICULUS III.

AFFERUNTUR REGULÆ SPECIALES PRO INTELLIGENDA S. SCRIPTURA.

Causæ obscuritatis S. Scripturæ.

CCCXXI. Quod S. Scriptura non ita *clare* intelligenda sit, ut Protestantes asserunt, vel ipsæ Heterodoxorum diversorum tam antiquæ, quam novæ quotidianæque *altercationes* manifeste demonstrant, *causas* vero ejusmodi obscuritatis Critici recensent sequentes potissimum. I. Causa est *linguæ*, & *veteris Historiæ ignorantia.* Nempe quia *lingua* Hebraica, & cum ea tota vetus Hebræorum *Historia*, *mores* & *consuetudines* magna ex parte interiere, hinc plurima defacto *obscuritatis* velo tecta sunt, quæ, cum libri illi primo scriberentur, *clara* ve-

velut in meridie patebant. II. CAUSA est *negligentia aut inscitia scribarum* (CCCXVIII.) per quam non pauca irrepere *potuisse* menda observant viri docti, quin etiam *revera* irrepsisse putant in numeris *annorum*, *ponderum*, *mensurarum &c.* unde ortum sumpsere tam multæ quæstiones *Chronologicæ*, *Geographicæ*, aliæque leges *politicas* & *cæremonias* spectantes &c. III. CAUSA quoque obscuritatis sunt *Prophetiæ* (eo ipso quia res *occultas*, aut *futuras* spectant) per *se obscuræ*, & quidem inter ipsas prophetias una quandoque est altera obscurior. Sic v. g. illa JACOBI Patriarchæ prophetia de MESSIÆ adventu. *Gen.* 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium*, longe est obscurior, quam illa DANIELIS C. 9. v. 24. *de septuaginta hebdomatibus*, utpote in qua solum *tempus* obscurum est, quo illæ hebdomades inceptüræ sint? at in priore latet 1. quid per SCEPTRUM vel DUCEM intelligatur? 2. TEMPUS, ex quo ille dux Judæ regnaturus sit? 3. Quid per JUDAM denotetur, an scilicet *tota* gens Judaica, an vero sola *Tribus Judæ? &c.* IV. Deni-

que. CAUSA obscuritatis S. Scripturæ omnium præcipua est ipse modus loquendi *per plurima Ænigmata, Parabolas, Catachreses, & Allegorias perpetuas &c.* quem scribendi morem omnes quondam *Orientales populi* servabant; uti testantur veterum Ægyptiorum *Ænigmata* ac *Hyeroglyphica*, ad res paulo sublimiores & diviniores explicandas adhibita, ac doctioribus notissima: MOYSES igitur, primorum 5 SS. Librorum scriptor, qui in *Ægyptiorum* sapientia per 40 annos innutritus est, non raro stylo illi conformiter scribere solitus erat, qui stylus etiam in Prophetis ISAIA, JEREMIA, EZECHIELE &c. & in *Psalterio* DAVIDIS frequentissime occurit: sed & in Novo Testamento ipsemet SALVATOR *non loquebatur* turbis, *nisi* IN PARABOLIS. *Math.* 13. *v.* 34. quia nempe apprime sciebat, huic stylo Hebræos assuetos esse.

S. Scripturæ sensus quadruplex.

CCCXXII. SENSUS de cetero S. SCRIPTURÆ quadruplex statuitur communiter a THEOLOGIS, cum DOCTORE ANGELICO *quodlib.* 7. *Art.* 15. ubi sic scribit: *Scriptura veritatem* DUPLICITER *manifestat: per* VERBA, *& per rerum* FIGURAS. *Manifestatio autem,*

quæ fit per verba, facit ſenſum LITERALEM; - - *veritas autem: quam ſcriptura per figuras rerum tradit, ad* DUO *ordinatur, ſcilicet ad recte* CREDENDUM, *& ad recte* OPERANDUM. *Si ad recte operandum, ſic eſt ſenſus* MORALIS, *qui alio nomine* TROPOLOGICUS *dicitur; ſi ad recte credendum: oportet diſtinguere ſecundum ordinem credibilium, ſenſus illo modo figurationis, quo vetus teſtamntum figurat novum, ſic eſt* ALLEGORICUS *ſenſus, vel* TYPICUS, *ſecundum quem ea, quæ in V. T. contigerunt, exponuntur de* CHRISTO, *&* ECCLESIA. *Illo* (autem) *modo figurationis, quo novum ſimul & vetus* (teſtamentum) *ſignificat Eccleſiam* TRIUMPHANTEM, *ſic eſt ſenſus* ANAGOGICUS. Doctori ANGELICO conſonat etiam *Doctor Seraphicus* in ſuo opuſculo *de reductione Art. ad Theologiam*, ubi ait, dari in ſacra Scriptura *ſenſum* LITERALEM *ſeu hiſtoricum*, & *triplicem* ſenſum *ſpiritualem*, ALLEGORICUM ſcilicet, MORALEM, & ANAGOGICUM: *primus* (addit ex tribus ultimis) *reſpicit* FIDEM, *ſecundus* MORES, *tertius* FINEM UTRIUSQUE. *Circa primum inſudare debet ſtudium* DOCTORUM, *circa ſecundum ſtudium* PRÆDICATORUM, *circa tertium ſtudium* CONTEM-

PLA-

PLATIVORUM. Quadruplex hic sensus vulgo his versibus indicatur:

LITTERA gesta docet, quid credas
ALLEGORIA!
MORALIS quid agas, quid speres
ANAGOGIA,

Auctores vero, qui pro diverso hocce sensu eruendo consulendi sunt, a SIXTO *Senensi* C. 13. *suæ Bibliothecæ sanctæ*, sic metrice denotantur:

HISTORIAM Hebræis, & Græcis fontibus haustam
HIERONYMO *disces duce.*
ALLEGORIAS, ANAGOGIASQUE recludent
ORIGENES, & AMBROSIUS.
Exponent sensus formandis MORIBUS aptos
CHRYSOSTOMUS, & GREGORIUS.
In dubiis, altaque locis caligine mersis
AURELIUS (AUGUSTINUS) lucem feret.

Declaratur in exemplo. CCCXXIII. *Scholion.* Hunc quadruplicem sensum in hac sola voce JERUSALEM inveniri putat Cassianus *Collat.* 4. *C.* 4. Nam LITTERALITER significat *urbem Palestinæ præcipuam*; ALLEGORICE *Ecclesiam*; TROPOLOGICE *animam justi*;

sti; ANAGOGICE *patriam cœlestem*, item vox illa Divina: FIAT LUX! *Genes.* I. *v.* 3. ad *litteram* significat *lucem corporalem*, initio mundi a DEO productam, *Allegorice* designat CHRISTUM, qui est *lux illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum*, *Tropologicè* vero designat GRATIAM spiritus S. qui est *lumen cordium.* *Anagogice* denique significat *lumen gloriæ*, de quo dicitur: *Lux perpetua luceat eis.*

CCCXXIV. Regulæ generales pro genuino discernendo S. Scripturæ sensu a Cl. P. ANNATO in suo *apparatu ad positiv. Theolog. L.* 2. *Art.* 8. assignantur istæ. I. *Tamdiu S. Scripturæ verba propriè & in sensu litterali accipienda sunt, quamdiu ex iis ita intellectis nihil* FIDEI, *aut* BONIS MORIBUS *contrarium invenitur.* (CCLXXXI. *6.*) Sic econtra quia *fidei veritati* repugnat, Christum vere esse *leonem*, *agnum*, *vitem &c.* bene docet S. AUG. *Tract.* 80. *in Joan.* id per *similitudinem*, *non per proprietatem dici.* Item quando dicitur *Math.* 18. *v.* 8. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum &c.* quia hæc verba *litteraliter* accepta, *morum honestati* adversantur (cum nefas sit se ipsum *mutilare*) Regulæ generales pro interpretanda S Scriptura.

re) hinc figurate per *manum*, *pedem*, *oculum* intelligendus est *amicus*, vel quisquis alius homini *instar manus* vel *pedis* inservit, ita ut ille ad *malum* seu peccatum nos aliciens, sit protinus *a nostra societate abjiciendus*. II. *Conferri assiduo debet S. Scriptura cum* LOCO, TEMPORE, *&* SCOPO *personæ scribentis*. (CCCXIX. 3.) Sic v. g. si quis non capiat, cur JEREMIAS prædicens mala e *Babylone* super omnes habitatores terræ ventura, dicat *C.* 1. *v.* 14. ea *ab Aquilone* ventura, cum tamen *Babylon respectu Germaniæ* nostræ sit potius *versus Orientem*, nam Propheta *respectu Judææ*, in qua regione prophetabat, id intellexit. III. *In loco S. Scripturæ obscuro* COLLATIO *facienda est textus cum textu, itemque antecedentium, & consequentium S. Scripturæ locorum*; sic enim, quod *obscure* reperitur in uno, clarius & expressius reperitur in alio, ut v. g. illud, ubi Christus ait: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Math. 6. v. 12.* quod est *simpliciter* dictum, magis declaratur *Luc. 12. v.* 33. per hæc verba: *vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt,*

the-

thesaurum non deficientem in cœlis, &c. (CCCXX. 2.) IV. *Videndum est, quid unanimis, aut saltem comunior SS Patrum opinio ea de re statuat* (CCLXXXI. 8.) ad illam enim in suis *definitionibus* ut plurimum respicere solet S. Mater Ecclesia, ut constat ex illo, in Conciliis toties conclamato: Hæc est Fides Patrum. V. Denique ex Concilii Trident. decreto *Sess.* 4. nemini, quiscunque ille sit, licet S. Scripturam interpretari *contra eum sensum, quem tenuit, & tenet ipsa S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum*, & hæc regula est omnium *tutissima*, cum *infallibilis* sit Ecclesia, nec non *firmamentum & columna veritatis.* VI *In expositione textuum, quorum cognitio non dependet ab uniformi traditione Patrum, aut Ecclesiæ, nec a lumine fidei, sed tantum ab eruditione; & a combinatione textuum æque valet expositio interpretis recentioris, ac veteris. Hinc nimis scrupulosi, & indiscreti sunt* (inquit Cl. D. Amort. *in Prolegom. Script. Parte* 6. *Q.* 6.) *qui nullam recipiunt expositionem, nisi fundatam in aliquo textu Patrum, pauci enim respective sunt textus, qui* tra-

delicet passim scriptores in suis libris se accommodare solent opinionibus *ætatis*, *patriæ* aut *Religionis* suæ. V. Propositionum, in libro occurentium *subjecta* omnia & *prædicata* accurate examinentur (CXXXVIII. & seq.) quandoque enim *unum* vocabulum *plures*, eosque sibi *oppositos sensus* habet, sic v. g. vocabulum Δεὸσ DEUS, apud Græcos significat 1. DEUM supremum, 2. *Dæmones*, 3. *Heroes &c.* etiam de vocibus *Hebraicis* Latine redditis id sæpius usuvenit, ut indicat LEXICON BIBLICUM Cl. P. WEITENAUER. VI. Denique verba alicujus authoris *in sensu litterali*, seu naturali, quamdiu *ratio gravis* in contrarium non urget, accipienda sunt. (CCLXXXI. 6.) Porro

Regulæ pro interpretando libri loco obscuro.

CCCXX. Quando Liber, aut *libri locus* OBSCURUS esse videtur, isti inserviunt CANONES, I. *Nullus libri locus censendus est obscurus ex eo, quod non primo statim intuitu clare intelligatur*, maxime si Lector rei, quam liber pertractat, non satis antea *gnarus* sit, (XXXIII. 5.) sed tunc solum, quando viri etiam *doctiores*, & in materia, de qua agitur, versatiores *aperte* id fatentur, aut saltem, *æquivalenter*, id

est,

eft, quando in loci illius interpretatione in tot fere ſententias abeunt, quot ſunt capita. Quanquam non raro viri etiam docti difficultates in libris explicandis *faciant* magis, quam *inveniant*. II. Si conſtet, *revera* adeſſe *obſcuritatem*; tunc omnes *poſſibiles notiones*, quas habere author potuit, diligenter indagari, & in mente conferri, ac ſi fieri poteſt, loci *obſcuri* per alios *clariores* explicari debent, ad hoc autem maxime prodeſt, ſi *totum* authoris *Syſtema*, antequam ad ejus interpretationem accedatur, in *tabulas Synopticas* referatur, ac *Lexicon* proprium ejus libri conficiatur, ut ſic facillime *ſententiæ* cum *ſententiis*, *verba* cum *verbis* comparentur. Inde III. Ex omnibus *poſſibilibus* notionibus eligatur illa, quæ authoris *fini*, præcedenti aut conſequenti *doctrinæ*, & *Oeconomiæ Syſtematis* eſt magis conformis. IV. Si *plures* fieri queant notiones *æque probabiles*, nihil *certi* definiendum, ſed potius deſerendus eſt locus, tanquam *minime intelligibilis*. V. Qemadmodum *cæteris paribus* præferenda eſt interpretatio ejus, cui authoris *lingua* probe cognita fuit, & qui in *materia*, de qua author ſcripſit, *verſatus* eſt, interpre-

tationi illius, quæ ex *versione* tantum est, aut qui ejus materiæ *ignarus* est, ita pariter interpretatio illius, qui authoris fuit aut *discipulus*, aut *amicus*, vel *Coævus*, præferenda est explicationi alicujus *recentioris*, de quo probabilius est, quod illi mens authoris non ita perspecta fuerit.

ARTICULUS III.

AFFERUNTUR REGULÆ SPECIALES PRO INTELLIGENDA S. SCRIPTURA.

Causæ obscuritatis S. Scripturæ. CCCXXI. QUod S. SCRIPTURA non ita *clare* intelligenda sit, ut Protestantes asserunt, vel ipsæ Heterodoxorum diversorum tam antiquæ, quam novæ quotidianæque *altercationes* manifeste demonstrant, *causas* vero ejusmodi obscuritatis Critici recensent sequentes potissimum. I. CAUSA est *linguæ*, & *veteris Historiæ ignorantia*. Nempe quia *lingua* Hebraica, & cum ea tota vetus Hebræorum *Historia*, *mores* & *consuetudines* magna ex parte interiere, hinc plurima defacto *obscuritatis* velo tecta sunt, quæ, cum libri illi primo scriberentur, *clara* ve-

velut in meridie patebant, II. CAUSA est *negligentia aut inscitia scribarum* (CCCXVIII.) per quam non pauca irrepere *potuisse* menda observant viri docti, quin etiam *revera* irrepsisse putant in numeris *annorum*, *ponderum*, *mensurarum &c.* unde ortum sumpsere tam multæ quæstiones *Chronologicæ*, *Geographicæ*, aliæque leges *politicas* & *ceremonias* spectantes &c. III. CAUSA quoque obscuritatis sunt *Prophetiæ* (eo ipso quia res *occultas*, aut *futuras* spectant) per *se obscuræ*, & quidem inter ipsas prophetias una quandoque est altera obscurior. Sic v. g. illa JACOBI Patriarchæ prophetia de MESSIÆ adventu. *Gen.* 49. *v.* 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium*, longe est obscurior, quam illa DANIELIS C. 9. v. 24. *de septuaginta hebdomatibus*, utpote in qua solum *tempus* obscurum est, quo illæ hebdomades incepturæ sint? at in priore latet 1. quid per SCEPTRUM vel DUCEM intelligatur? 2. TEMPUS, ex quo ille dux Judæ regnaturus sit? 3. Quid per JUDAM denotetur, an scilicet *tota* gens Judaica, an vero sola *Tribus Judæ*? *&c.* IV. Deni-

que, Causa obscuritatis S. Scripturæ omnium præcipua est ipse modus loquendi *per plurima Ænigmata, Parabolas, Catachreses, & Allegorias perpetuas &c.* quem scribendi morem omnes quondam *Orientales populi* servabant; uti testantur veterum Ægyptiorum *Ænigmata* ac *Hyeroglyphica*, ad res paulo sublimiores & diviniores explicandas adhibita, ac doctioribus notissima: Moyses igitur, primorum 5 SS. Librorum scriptor, qui in *Ægyptiorum* sapientia per 40 annos innutritus est, non raro stylo illi conformiter scribere solitus erat, qui stylus etiam in Prophetis Isaia, Jeremia, Ezechiele &c. & in *Psalterio* Davidis frequentissime occurit: sed & in Novo Testamento ipsemet Salvator *non loquebatur* turbis, *nisi* in parabolis. *Math.* 13. v. 34. quia nempe apprime sciebat, huic stylo Hebræos assuetos esse.

S. Scripturæ sensus quadruplex.

CCCXXII. Sensus de cetero S. Scripturæ quadruplex statuitur communiter a Theologis, cum Doctore Angelico *quodlib.* 7. *Art.* 15. ubi sic scribit: *Scriptura veritatem* dupliciter *manifestat: per* verba, *& per rerum* figuras. *Manifestatio autem,*

quæ fit per verba, facit sensum LITERALEM; - - *veritas autem: quam scriptura per figuras rerum tradit, ad* DUO *ordinatur, scilicet ad recte* CREDENDUM, *& ad recte* OPERANDUM. *Si ad recte operandum, sic est sensus* MORALIS, *qui alio nomine* TROPOLOGICUS *dicitur; si ad recte credendum: oportet distinguere secundum ordinem credibilium, sensus illo modo figurationis, quo vetus testamnntum figurat novum, sic est* ALLEGORICUS *sensus, vel* TYPICUS, *secundum quem ea, quæ in V. T. contigerunt, exponuntur de* CHRISTO, *&* ECCLESIA. *Illo* (autem) *modo figurationis, quo novum simul & vetus* (testamentum) *significat Ecclesiam* TRIUMPHANTEM, *sic est sensus* ANAGOGICUS. Doctori ANGELICO consonat etiam *Doctor Seraphicus* in suo opusculo *de reductione Art. ad Theologiam*, ubi ait, dari in sacra Scriptura *sensum* LITERALEM *seu historicum*, & *triplicem* sensum *spiritualem*, ALLEGORICUM scilicet, MORALEM, & ANAGOGICUM: *primus* (addit ex tribus ultimis) *respicit* FIDEM, *secundus* MORES, *tertius* FINEM UTRIUSQUE. *Circa primum insudare debet studium* DOCTORUM, *circa secundum studium* PRÆDICATORUM, *circa tertium studium* CONTEMPLA-

PLA-

PLATIVORUM. Quadruplex hic sensus vulgo his versibus indicatur:

LITTERA gesta docet, quid credas
ALLEGORIA!
MORALIS quid agas, quid speres
ANAGOGIA,

Auctores vero, qui pro diverso hocce sensu eruendo consulendi sunt, a SIXTO *Senensi C.* 13. *suæ Bibliothecæ sanctæ*, sic metrice denotantur:

HISTORIAM Hebræis, & Græcis fontibus haustam
HIERONYMO *disces duce.*
ALLEGORIAS, ANAGOGIASQUE recludent
ORIGENES, & AMBROSIUS.
Exponent sensus formandis MORIBUS aptos
CHRYSOSTOMUS, & GREGORIUS.
In dubiis, altaque locis caligine mersis
AURELIUS (AUGUSTINUS) lucem feret.

Declaratur in exemplo.

CCCXXIII. *Scholion.* Hunc quadruplicem sensum in hac sola voce JERUSALEM inveniri putat Cassianus *Collat.* 4. *C.* 4. Nam LITTERALITER significat *urbem Palestinæ præcipuam*; ALLEGORICE *Ecclesiam*; TROPOLOGICE *animam justi*;

sti; ANAGOGICE *patriam cœlestem*, item vox illa Divina: FIAT LUX! *Genes.* 1. *v.* 3. ad *litteram* significat *lucem corporalem*, initio mundi a DEO productam, *Allegorice* designat CHRISTUM, qui est *lux illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum*, *Tropologice* vero designat GRATIAM spiritus S. qui est *lumen cordium.* *Anagogice* denique significat *lumen gloriæ*, de quo dicitur: *Lux perpetua luceat eis.*

CCCXXIV. Regulæ generales pro genuino discernendo S. Scripturæ sensu a Cl. P. ANNATO in suo *apparatu ad positiv. Theolog. L.* 2. *Art.* 8. assignantur istæ. I. *Tamdiu S. Scripturæ verba proprie & in sensu litterali accipienda sunt, quamdiu ex iis ita intellectis nihil* FIDEI, *aut* BONIS MORIBUS *contrarium invenitur.* (CCLXXXI. 6.) Sic econtra quia *fidei veritati* repugnat, Christum vere esse *leonem*, *agnum*, *vitem &c.* bene docet S. AUG. *Tract.* 80. *in Joan.* id per *similitudinem*, *non per proprietatem dici.* Item quando dicitur *Math.* 18. *v.* 8. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum &c.* quia hæc verba *litteraliter* accepta, *morum honestati* adversantur (cum nefas sit se ipsum *mutilare*)

Regulæ generales pro interpretanda S Scriptura.

re)

re) hinc figurate per *manum*, *pedem*, *oculum* intelligendus est *amicus*, vel quisquis alius homini *instar manus* vel *pedis* inservit, ita ut ille ad *malum* seu peccatum nos aliciens, sit protinus *a nostra societate abjiciendus*. II. *Conferri assiduo debet S. Scriptura cum* LOCO, TEMPORE, & SCOPO *personæ scribentis*. (CCCXIX. 3.) Sic v. g. si quis non capiat, cur JEREMIAS prædicens mala *e Babylone* super omnes habitatores terræ ventura, dicat *C.* 1. *v.* 14. ea *ab Aquilone* ventura, cum tamen *Babylon respectu Germaniæ* nostræ sit potius *versus Orientem*, nam Propheta *respectu Judææ*, in qua regione prophetabat, id intellexit. III. *In loco S. Scripturæ obscuro* COLLATIO *facienda est textus cum textu, itemque antecedentium*, & *consequentium S. Scripturæ locorum*; sic enim, quod *obscure* reperitur in uno, clarius & expressius reperitur in alio, ut v. g. illud, ubi Christus ait: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Math. 6. v. 12.* quod est *simpliciter* dictum, magis declaratur *Luc. 12. v.* 33. per hæc verba: *vendite, quæ possidetis*, & *date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt,*

the-

thesaurum non deficientem in cœlis, &c. (CCCXX. 2.) IV. *Videndum est, quid unanimis, aut saltem comunior SS. Patrum opinio ea de re statuat* (CCLXXXI. 8.) ad illam enim in suis *definitionibus* ut plurimum respicere solet S. MATER Ecclesia, ut constat ex illo, in Conciliis toties conclamato: HÆC EST FIDES PATRUM. V. Denique ex CONCILII TRIDENT. decreto *Sess.* 4. nemini, quiscunque ille sit, licet S. Scripturam interpretari *contra eum sensum, quem tenuit, & tenet ipsa S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum*, & hæc regula est omnium *tutissima*, cum *infallibilis* sit Ecclesia, nec non *firmamentum & columna veritatis.* VI *In expositione textuum, quorum cognitio non dependet ab uniformi traditione Patrum, aut Ecclesiæ, nec a lumine fidei, sed tantum ab eruditione; & a combinatione textuum æque valet expositio interpretis recentioris, ac veteris. Hinc nimis scrupulosi, & indiscreti sunt* (inquit Cl. D. AMORT. *in Prolegom. Script. Parte* 6. *Q.* 6.) *qui nullam recipiunt expositionem, nisi fundatam in aliquo textu Patrum, pauci enim respective sunt textus, qui*

tractantur a Patribus, *& rarissimi*, *qui simul a pluribus attinguntur.* Nec obstat TRIDENTINUM præfatum præcipiens, ut Scriptura exponatur *juxta unanimem Patrum*; id enim sic intelligendum, ut ita fiat, *ubi habetur* unanimis consensus Patrum *circa materiam fidei* vel *morum* ex suo genere. VII. Quoad sensum S. Scripturæ exponendum *ad genus orationis scriptorum exacte attendi debet.* Nempe sicut scriptorum 4 Classes vulgo recenseri solent, ita ut quidam sint *Historici*, *alii Poëtæ*, *Philosophi* vel *Oratores* (CCCXIX. 3.) ita quoque S. HIERONYMUS, aliique MOYSEN & SAMUELEM ad *Historicos*, DAVIDEM & JOBUM ad *Poëtas*, SALOMONEM, & SYRACIDEM ad *Philosophos*, ISAIAM denique, EZECHIELEM aliosque PROPHETAS ad *Oratores* (salva semper *reverentia*, quæ *libris* DIVINIS Jure debetur) reducunt: cum ergo intra quadruplex istud Scriptorum genus elegantior plerumque, gravior & ornatior sit *Poëtarum oratorumque* stylus, & phrases etiam *minus usitatas* ubique Poëtæ adhibeant, hinc etiam magis *tropologice* interpretandi sunt *Psalmi Davidis*, *Job*, & *Prophetæ*, minus autem Moysis *Pentateu-*

S. Scripturæ quadruplex Stylus.

teuchus (seu 5. primi S. Scripturæ libri) libri *Judicum*, & *Ruth &c.* Porro quinam singulos libros Canonicos scripserint? videre est apud cit. Cl. D. AMORT. *in Proleg. script. P. I. Q. 17.*

VIII. *Verba scripturæ ex persona loquentis accipienda sunt.* Nempe in Libris Divinis non semper DEUS *ex sua persona* loquitur, aut *in persona Angeli boni*, a se ad loquendum missi, sed etiam quandoque recensentur verba *dæmonum*, aut *hominum* etiam *impiorum*. Omnia porro, quæ DEUS *ex sua persona* profert, nedum verum est, ea *dicta* esse, sed *veritatem* etiam continent & *sanctitatem*, quæ vero *ex persona istorum* proferuntur, verum quidem est, ea *dicta* fuisse (quia DEUS per scriptorem S. id testatur) at possunt tamen *in se* esse *vera* vel *falsa*, *honesta* vel *turpia*. e. g. Dum Pharisæi Christo dicebant: *in Beelzebub - ejicis dæmonia*, revera quidem id dictum est, ast in se summa *Blasphemia* erat. Item dum S. LUCAS *in Actibus Apostol.* refert orationem a B. STEPHANO ad Judæos habitam, verum pariter est, ita S. STEPHANUM esse *locutum*, at in ejus sermone Historici & Chronologi teste Cl. MELCHIORE CANO *de Loc. Theol. L.*

11. C. 18. Errores quosdam, *Historiam* antiquam populi Israelitici tangentes reperiunt. IX. EMPHASES *denique ac* IDIOTISMI *scripturarum frequentius occurrentes probe indagentur.* Ejusmodi *Idiotismos Hebraicos*, sicut & *difficiliores phrases* totius S. Scripturæ *per singulos libros* accurate recenset mox cit. Cl. D. AMORT *in Proleg. Script. P. 6. Q. 11. & 12.* Omnes vero S. Scripturæ *Emphases* Cl. ANT. GEN. *Log. L. 4. C. 5. §. 19.* Ad duo genera reducit. 1. Cum verba *minus* sonant, & *plus* significant. e. g. dum dicitur: *Hic est filius meus dilectus*, quod idem significat ac: *Filius unigenitus & consubstantialis.* 2. Cum verba *plus* sonant, & *minus* significant, ut quando res quædam insignes ex DEI nomine appellantur e. g. *Cedrus DEI, Mons DEI, tempestas DEI*, pro: *altissima cedrus, altissimus mons*, aut *horribilis tempestas &c.* Sic etiam dum dicitur; *universa terra*, sola quandoque PALÆSTINA intelligitur.

Idiotismi, & Emphases S. Scripturæ.

Alia adhuc requisita ad intelligendam S Scripturam.

CCCXXV. *Scholion. Utiles* quidem, & eruditorum omnium usu comprobatæ sunt hæ Regulæ, sed eas omnes tyroni *inutiles* ex mente SS. Patrum cen-

censet Cl. P. ANNATUS *loc. supra cit.* nisi iis accedant sequentes nedum *utilissimæ* sed & *necessariæ dispositiones.* 1. FIDES, quia, *nisi credideritis, non intelligetis*, inquit ipsamet de se S. Script. *Is. C. 7. ℣. 9.* Juxta 70 interpretes. 2. HUMILITAS, nam *DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Jac. C. 4. ℣. 5.* 3. CONSCIENTIÆ PURITAS, *in malevolam enim animam non introibit sapientia. Sap. C. 5. ℣. 4.* 4. ORATIO, exemplo Davidis clamantis. *Ps. 118. ℣. 34. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* 5. ASSIDUA denique Scripturæ Divinæ LECTIO, juxta illud *Josue C. 1. ℣. 8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*, prout & S. PROSPER in suo *Epigramatum* Libro sic metrice scribit:

Quamvis in sacris libris, quos nosse laboras,
Plurima sint, lector, *clausa* & *opaca* tibi,
Invigilare tamen studio ne desine sancto;
Exercent animum dona *morata* tuum.

Gratior est fructus, quem *spes productior* edit;
Ultro objectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam Mysteria mentem;
Qui dedit ut quæras, addet, ut invenias.

DISSERTATIO III.

DE RECTO USU ARGUMENTATIONUM.

SECTIO I.

DE ARGUMENTATIONE DEMONSTRATIVA SEU APODICTICA.

ARTICULUS I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT DEMONSTRATIO?

Demonstratio.

CCCXXVI. DEMONSTRATIO, Græce ἀπόδειξις, & ab Aristotele *Syllogismus* ANALYTICUS appellata, est *Syllogismus perfectissimæ figu-*

ra, *cujus præmissæ sunt veræ*, *primæ*, *& medio carentes*, *notiores*, *priores*, *& causæ conclusionis*, vel, ut alii loquuntur, est *evidens deductio propositionis ex principiis indubiis*, & *talis connexio ratiociniorum*, *in quibus nullæ præmissæ*, *nisi certæ admittuntur.* Nec isti ad *omnem* demonstrationem necessarium esse volunt *Syllogismum*, sed præcise *concatenationem plurium judiciorum evidentium*, quod etiam per *inductionem* (CLXVIII. 2.) *Dilemma* (n. c. 3.) vel *Soriten* (n. c. 4.) fieri potest. Cæterum varia dantur demonstrationum genera, nempe 1. demonstratio *a priori*, vel a *posteriori*. 2. *Directa* vel *indirecta*. 3. *Analytica* vel *Synthetica*. 4. Denique *Symbolica*.

CCCXXVII. Demonstratio a priori dicitur ea, quæ desumitur a propriis rei demonstrandæ *caussis*, tanquam *prioribus*, sive ex rei *definitione essentiali*, aut alia propositione *notiore* & jam demonstrata. Sic v. g. *Eclypsis Lunæ* demonstratur *a priori* per hoc, quia *terra* ipsam inter & solem directe posita, tanquam corpus *opacum* impedit, ne solis lumen ad Lunam per- **A priori.**

tingat. Item quod *ens fimplex careat omni magnitudine* fic *a priori* (per definitionem *magnitudinis*, *entis*que *fimplicis*) demonftratur; ENS SIMPLEX *eft*, *quod caret partibus*; MAGNITDO *vero eft multitudo partium*: *atqui quod caret partibus*, *etiam caret multitudine partium*: *ergo ens fimplex caret magnitudine*. Econtra A POSTERIORI aliquid demonftrare idem eft, ac rem AB EFFECTIBUS (per *experientiam* fcilicet & *fenfus*) demonftrare. Sic DEUS demonftratur ex *creaturis* tanquam *effectibus*, & *ignis* latens per *fumum* probatur.

A Pofteriori.

CCCXXVIII. DEMONSTRATIO DIRECTA feu OSTENSIVA dicitur ille demonftrandi modus, ubi ex *notione fubjecti* immediate deducitur *prædicatum*, & hoc illi per fe convenire declaratur, e. g. Si demonftro *DEUM effe æternum* ex eo, quia eft *ens exigens omnem perfectionem* (in qua *exigentia*, quam vocant INFINITATEM RADICALEM, plerique Theologi Scotiftæ *prædicatum DEI ultimo diftinctivum*, & *primo conftitutivum* collocant) *inter perfectiones vero eft æternitas feu immutabili-*

Demonftratio directa, feu oftenfiva.

bilitas: ergo DEUS est æternus. At cum aliquam propositionem per *absurdas* aut *impossibiles sequelas* deducimus, indeque probamus, si ea ut *vera* non admittatur, sequi *manifestas inconvenientias*; demonstratio INDIRECTA, & APOGOGICA, sive *ex absurdo* vel *impossibili* vocatur. e. g. In priori exemplo ad demonstrandam *DEI æternitatem* ita procedi posset: *Si DEUS non esset æternus, tunc aliquando non extitisset, si hoc? tunc ens immutabile, omnemque perfectionem exigens fuisset mutatum, quod non solum est imperfectum, sed & ABSURDUM ac IMPOSSIBILE.* Pari modo, si quis vellet refutare illam WOLFII sententiam de LUNICOLIS, plurimas *absurdas* sequelas objicere posset, nempe 1. quod illi in Adam non peccassent, & consequenter nec a CHRISTO DOMINO redempti sint. 2. Quod ad *unam* CHRISTI Ecclesiam non pertinerent, 3. nec ejusdem *fidem* haberent &c. quæ omnia *primis fidei principiis* repugnant. Item siquis cum eodem WOLFIO defendere vellet, omnes hominum *animas esse simul ab initio mundi conditas, & in ovario* EVÆ *inclusas*, indeque per successivas generationes aliis etiam fœmi-

Indirecta, seu Apogogica.

minis communicari &c. ille per *demonstrationem Apogogicam* compelli posset ad admittendas has *absurdas sequelas* 1. quod *Polygamia* foret introducenda, 2. & quod *Virginitas* aut *cælibatus* esset damnandus &c. quæ omnia aperte EVANGELIO adversantur.

Analytica. CCCXXIX. DEMONSTRATIO ANALYTICA tunc exsurgit, si quis a propositione *particulari* demonstranda ordiatur, eamque in sua, ex quibus componitur, principia *universalia resolvat*, unde & *Methodo Resolutoria* procedere dicitur (CCXXXI.) Econtra si quis *a principiis*, fundamenti loco positis progrediatur ad propositionem demonstrandam, ab *universalibus* scilicet ad *particularia* descendendo, ille DEMONSTRATIONE SYNTHETICA utitur. ANALYSIS nempe minuta quæque consectatur, *singularia* examinat, possibiles omnes fingit casus, paulatimque a conferta quasi rerum plurimarum sylva ad rem ipsam, ambagibus omnibus sensim extricatam pervenit: at SYNTHESIS a GENERALIBUS principiis, brevissimo, eoque arctissimo ordine ad propositionem demonstrandam accedit (CCXXXI. 2.) unde

Synthetica.

& duas

& duas has demonſtrandi vias duobus viæ alicujus viatoribus comparat Cl. Ant. Gen. *Log. L.* 5. *C.* 5. §. 3. *Viator*, inquit, *recti tramitis inſcius ut eo perveniat, quo intendit, per plura alia oppida, montes, planities, fluvios divagatur, eamque ob rem, dum locum unum petit, plurima tentando diſcit* (en demonſtrationis *Analyticæ* Symbolum!) *alter autem viatorum redux per eandem, quam jam ſemel emenſus eſt, viam, neutiquam per ambages, ſed viâ* RECTA *ad metam pergit* (en demonſtrationis *Syntheticæ* figuram!) HÆC *brevior eſt, &* SIMPLICIOR; ILLA *jucundior, forte etiam utilior*, res clarior fiet per exempla. En igitur exempla demonſtrationis Analyticæ, & Syntheticæ!

CCCXXX. Sit *Analytice* demonſtranda hæc propoſitio: *anima humana eſt immortalis*, 1. a *particulari* animæ humanæ *natura* ita ordiri oportet: *animæ humanæ proprium eſt* COGITARE; nam *poteſt illa cæteris de rebus omnibus dubitare, attamen* DUBITARE *nequit, quin ipſa* COGITET. 2. Examinari debet, quid ſit illud COGITARE, & deprehendetur, *cogitationi non competere ideam alicujus ſubſtantiæ extenſæ, ſeu* CORPO-

REÆ. Nam *cogitatio nec est longa, nec lata &c. Nulla item partium varietate constat, nec figurâ, nec ullam denique divisibilitatem recipit.* 3. Inde ulterius deducitur, *cogitationem substantiæ extensæ, seu corporeæ modum non esse, quia essentialiter modus concipi nequit sine eo, quod substantiæ competit, cujus est modus: cogitatio autem concipi potest sine triplici illa* DIMENSIONE, FIGURA, & DIVISIBILITATE, *quæ omnia* SUBSTANTIÆ CORPOREÆ *conveniunt: ergo non est corporis modus, sed* ALTERIUS *substantiæ: ac proinde* SUBSTANTIA COGITANS, & SUBSTANTIA EXTENSA *erunt duæ substantiæ realiter distinctæ.* 4. Ulterius progrediendo observatur, *si una substantia destruatur, aliam propterea non destrui, imo ipsam substantiam extensam* PROPRIE *non* DESTRUI, *quia quod in corporibus dicitur* DESTRUCTIO, *est tantum* MUTATIO & DISSOLUTIO PARTIUM *materiæ, quæ idcirco in rerum natura non desinunt esse*. Sic v. g. bene dicimus, confractis confusisque horologii rotulis *nihil substantiæ* perire, licet ipsum *horologium* destruatur. 5. Denique ex hac *Analysi* seu *resolutione* ultimo infertur atque concluditur: *ergo anima humana, quia est* INDIVISIBILIS, *nec ex ullis* PAR-

TIBUS *composita*, *perire non potest*, *ac proinde est* IMMORTALIS. En demonstrationem *Analyticam!* ECONTRA in DEMONSTRATIONE SYNTHETICA sic circa illam ipsam propositionem procedendum esset, incipiendo *a generalibus.* 1. *Nulla substantia* PROPRIE *loquendo perit.* 2. *Per destructionem nil aliud intelligitur, quam* PARTIUM *dissolutio*, 3. *ac proinde, quod* PARTIBUS *caret, destrui non potest*, 4. *quod destrui non potest, est* IMMORTALE, *seu mori nequit:* 5. *Ergo anima humana, quia caret partibus, destrui nequit, & consequenter est immortalis &c.*

Aliud Exemplum. Sit demonstranda hæc propositio: *Reges & Principes ac Magistratus sunt necessarii gubernando generi humano.* SYNTHETICE sic est agendum. 1. Videmus, quod *genus humanum conservari nequeat in familiis separatis, nisi vis improborum, magnis sæpe malis probos afficientium, ab illis propellatur, arceaturque.* 2. Intelligimus, persuasum idcirco esse gentibus omnibus cultis, *ad hanc vim propulsandam necessarias esse generi humano amplas, ac munitas* CIVITATES *ad hostes* EXTERNOS *excludendos.* 3. Videmus

mus pariter, *Civitates quoad statum suum* INTERNUM *sine frequentibus perturbationibus*, *ac continuo dissolutionis periculo*, *si cives omnes & singuli* suo *relinquantur* ARBITRIO, *consistere non posse*, ob diversam ipsorum indolem, diversa *judicia*, *affectus*, *inclinationes*, *mores &c*, 4. Denique concluditur: *ergo necessarii sunt summi Magistratus*, *Reges & Principes*, *qui legibus Civitates*, *& Provincias concordes efficiant*, *& suum cuique tribuant.*

ANALYTICE sic est demonstrandum. 1. *Summi Magistratus possunt ac solent coercere hostes tam internos*, *in ipsa scilicet Civitate*, *quam externos*, *istos arcendo.* 2. Atqui *necessarii sunt ejusmodi homines*, genus humanum sic defendentes, quia 3. sine istis *orirentur in Civitatibus frequentes perturbationes*, 4. *Et externi hostes in eas frequenter irruerent ad faciendas prædas &c.* 5. *Ad quod tamen prohibendum Civitates sunt necessariæ.* 6. *Cum sine illis genus humanum per se in familiis privatis non subsisteret &c.*

Tertium Exemplum ex Thesibus alicujus antiqui Peripatetici huc appono, in

in quibus ille Methodo *Mathematica*, seu *Geometrica*(CCXXXII.)demonstrat, *dari ens rationis chimæricum in intellectu*, HIRCO-CERVUM nempe, aut VULPANSEREM. Sic autem procedit.

Geometrice demonstratur, dari ens rationis.

Definitio I. Intelligibile est, quod potest attingi ab intellectu, eidemque præsentari, sive sit substantia *animata*, *sive inanimata*. e. g. *Homo*, *DEUS*, *Angelus*.

Definitio II. Termini *disparati* sunt, quorum unus infert negationem alterius. e. g. *Est Leo*: ergo non est *homo*.

Definitio III. *Ens rationis* est, *quod habet esse objectivum in intellectu tantum, nec aliud habere potest.* Intellige, quod habet esse *actuale* in intellectu; si enim *Chimæra* haberet tantum esse *potentiale* in intellectu, *ens rationis* non esset. Alii sic: *ens rationis* est *non ens cognitum.*

Axioma. Contradictoria non possunt simul esse, vel simul non esse.

Postulatum I. Concedatur gratis, omne id esse *intelligibile*, quod potest determinare intellectum objective.

Postulatum II. Concedatur, intellectum posse *plura* simul cognoscere, a quibus simul determinari potest sive *confuse*, sive *distincte*.

Hypothesis. Qui cognoscit *totum*, cognoscit etiam *partes*, & vicissim.

Propositio I. *Ens* est intelligibile. *Demonstratur.* Ens *determinare* potest *intellectum objective*: ergo est intelligibile (per *postulatum* I.) Præterea vel est intelligibile, vel non est intelligibile? (per *Axioma*) *secundum* dici non potest, quia evidenter cognosco, me *existere*: sed quod existit, vel potest existere, hoc vocatur *ens*: ergo dici non potest, quod ens non sit intelligibile, consequenter *ens* est *intelligibile.* Q. E. D.

Propositio II. *Non ens* etiam est intelligibile. *Demonstratur. Ens* est intelligibile (per *propositionem* I.) Jam sic: sint duo termini *disparati*, quorum quilibet *ens* sit (per *definit.* II.) Hi duo termini concipiantur *simul* (per *postulatum* II.) certe illi simul concepti facient *non ens.* Nam si *ens* facerent, non essent termini *disparati*

(per

(per *definit.* II.) ergo *non ens* etiam est intelligibile. Q. E. D.

Propositio III. Intellectus dum cognoscit *non ens*, facit *ens rationis.*

Demonstratur. Dum cognoscit *non ens*, facit *non ens cognitum*, sed *non ens cognitum* est *ens rationis* (per *definit.* III.) quippe *non ens cognitum* habet tantum esse *objectivum actu*, hoc est, habet *actum purum objectivum*, nec enim alterius capax est: ergo intellectus dum cognoscit *non ens*, facit *ens rationis.* Q. E. D.

Corollarium. Ex *propositione* II. sequitur, dari prædicatum aliquod commune *enti*, & *non enti*, dum enim appello *chimæram*, nunquid illam concipio? ergo est *intelligibilis*, sed per modum *non:entis*; hoc est, si dico: *chimæra est non ens*, sensum facit: *chimæra nec existit, nec existere potest* (cum *ens* sit, quod *existit, aut existere potest*) sic etiam DEUS illam cognoscit, adeoque *non ens* tam est *intelligib'le*, quam ipsum *ens*, illud quidem per terminos *disparatos*, hoc vero per terminos minime disparatos: ergo *intelli-*

gi-

gibile est prædicatum *commune* tam *enti*, quam *non enti.*

Nec dicas. Aliquid est tantum intelligibile per id, quod *est*: sed *non ens* non est: ergo *nihil est*, *per quod sit intelligibile.* R. D. M. Aliquid est tantum intelligibile per id, per quod est *objective*, C. M. per quod est semper *entitative* N. M. & D. m. *non ens* non est *entitative* C. m. *objective.* N. m. &c.

Demonstratio Symbolica.

CCCXXXI. Si res, seu demonstratio *per signa* quædam aut *litteras* sensibus in compendio exhibetur, DEMONSTRATIO SYMBOLICA vocatur, eaque *Mathematicis* usitatissima est, ut obvii eorum libri exhibent, sic v. g. in superiori *exemplo secundo*, dum quæritur, *an Reges & Principes, summique Magistratus sint necessarii gubernando generi humano?* posset illa demonstratio *breviter* in compendio ita fieri (vocando *imperantes* A, *civitates* B, *hominum genus* C) nempe demonstrando, A necessarium esse ipsi C: nam A necessarium est ipsi B, B vero ipsi C: ergo A ipsi C. Item natura demonstrationis *Analyticæ* & *Syntheticæ* Sym-

Symbolice sic exhiberi ac declarari potest, e. g. Quæritur, utrum A proveniat ab X? Jam ANALYSIS *proxima* scrutatur, possibiles omnes confingit Hypotheses, & causas, colligitque singula, atque ostendit, A provenire a B, B a C, C ab H, H a P, L ab R, R ab X, unde concludit, A esse ab X. Econtra SYNTHESIS longo illo possibilium omnium examine resecato, demonstrat brevi circulo, A prodire ab X, quia X R, R P, P H, H C, C B, B A producat. Hoc litterarum computo maxime utitur ALGEBRA, indeque veritates stupendas eruit.

ARTICULUS II.

DE EFFECTU, ET LOCIS BONÆ DEMONSTRATIONIS.

CCCXXXII. E*ffectus* demonstrationis est SCIENTIA, quæ definitur: *cognitio certa & evidens rei necessariæ, per demonstrationem parta.* Dicitur 1. *cognitio certa & evidens* (CXXXIV.) 2. *rei necessariæ*, id est, quæ se *aliter* habere non potest. e. g. Si quis cognoscat *Eclypsin solis* contingere ob interpositionem Lunæ solem Scientia.

inter & terram, cognoscit id, quod alio modo se habere non potest; non enim fieri potest (saltem *naturaliter*) ut solem inter & terram Luna jacente sol non deficiat, adeoque habetur *necessitas* etiam in *sensibilibus*, saltem *physica* (n. c.) & per hoc distinguitur *scientia* a *prudentia* & *arte*, quæ circa res plerumque *contingentes* versantur. Dicitur 3. *per demonstrationem parta*, per quod differt ab INTELLIGENTIA, quæ est *notitia primorum principiorum* sive *axiomatum*, demonstratione non egentium. e. g. *Idem nequit simul esse, & non esse &c.*

CCCXXXIII. LOCI BONÆ DEMONSTRATIONIS, seu FONTES, ex quibus potest erui aliquod *argumentum* ad demonstrandum, seu *medius terminus* (CLXXIII.) præcipue sunt sequentes.

Loci bonæ demonstrationis.

I. A DEFINITIONE AD DEFINITUM, nempe 1. *de quo affirmatur vel negatur definitio, de eo affirmatur etiam vel negatur definitum.* 2. *Quod affirmatur vel negatur de definitione, id etiam de definito affirmatur, aut negatur.* e. g. Si affirmatur de Petro, quod sit *animal rationale*, etiam de eo affirmatur *homo*,

mo, item si de *animali rationali* affirmantur *sensibilitas* & *risibilitas*, etiam de *homine* illæ ipsæ enunciari valent.

II. A TOTO AD PARTES UNITAS, VEL ECONTRA, e. g. adest *totum*: ergo etiam *partes simul sumptæ*. Item *si integra & perfecta sit divisio, nullaque ipsius pars alicui rei conveniat: ipsi etiam totum divisum non conveniet*. e. g. Ens omne vel *spiritus* est, vel *corpus*, sed *spatium* nec *spiritus* est, nec *corpus*: ergo non est *ens*. Denique: cui convenit *divisum*, etiam *pars aliqua dividens* convenire debet. v. g. Omnis *substantia* vel est *spiritus* vel *corpus*: Atqui *mens humana* est *substantia*: ergo vel *spiritus* est, vel *corpus*, *subsumo*: sed *corpus* non est; ergo est *spiritus*.

III. AB ATTRIBUTIS UNIVERSALIBUS, & quidem hoc modo: 1. Si quid de *genere universo* affirmatur aut negatur, id etiam de *speciebus* affirmari aut negari potest. e. g. Quia affirmatur de omni *animali*, quod sit *sensitivum*, id recte quoque dicitur de *homine* & *bruto* (CLXX. & CXCII.) 2. Sublato *genere* tollitur *species*. e. g. Si quid non erit *substantia*, nec erit *corpus*, 3. po-

sita *specie* ponitur *genus*: e. g. *Angelus est*: *ergo spiritus est*. 4. Sublatis *omnibus speciebus* tollitur *genus*. e. g. *Nec homo, nec brutum est*: *ergo non est animal*. 5. Quod de *omnibus speciebus* affirmatur vel negatur, id etiam de *genere* affirmandum vel negandum. e. g. de *DEO*, *Angelis*, & *anima* hominis affirmatur *incorruptibilitas*: ergo etiam de *spiritu*. 6. De quo affirmatur vel negatur *differentia specifica* & *completa*, de eo *species* affirmari vel negari potest. e. g. Petrus est *rationalis*: ergo est *homo*. 7. De quo affirmatur vel negatur *proprium* (XLVII.) de eo *essentia* quoque affirmatur aut negatur, v. g. *Bellua non est sermocinationis capax*: *Ergo non est homo*.

IV. A CAUSA AD EFFECTUM VEL ECONTRA. e. g. Ad est *causa necessario agens*: ergo etiam *effectus*. Vel: adest *effectus*, v. g. *creatura*: ergo etiam adesse debet *causa prima*, seu *DEUS*, & ita quidem proceditur in rebus *physicis*; secus vero in *moralibus*, ubi non ita ad *causam efficientem* attenditur, sicut ad *finalem*, nam *eadem* actio *pro diverso fine* potest esse *bona* aut *mala* in genere *moris*, ipsumque *Martyrium*

ex

ex fine *bonitatem* suam duntaxat desumit, *cum Martyrem non faciat pœna, sed causa*, ut ait S. AUGUSTINUS. *Epist.* 204. *alias* 7. *N.* 4.


V. EX NIHILO NIHIL FIT. Sive *nihilum* non potest esse alicujus *causa*. Item: *nulla est ratio sufficiens*, cur hoc sit: *ergo non est*. Vel: causa non est *in loco tempore*, aut *circumstantiis debitis* posita: Ergo *nullus effectus* erit, neque *hæc causa* erit.

VI. EX MECHANISMO *unum vel alterum necessario sequitur.* Nempe in orbe purus est *Mechanismus* (LXIX.) excepta *anima rationali*, libere se determinante, & semper unum in altero habet rationem sui (excepto solo DEO) item genitum oritur ex corrupto, & corruptum ex genito, juxta illud: *Corruptio unius est generatio alterius.*

Ad hunc fontem etiam juxta non nullos pertinet illud Axioma: *nullum corpus*, si prius quiescat, *potest se ipsum movere*, sive motum sibi imprimere. Quod principium usque adeo ex se *evidens* esse ait Cl. AUCTOR ARTIS

COGITANDI. *Log. P. 4. C. 7.* ut *formarum substantialium*, & *qualitatum gravitatis* & *levitatis* introducendarum causa fuerit: cum enim Philosophi hinc viderent, impossibile esse, ut corpus immotum se ipsum moveret, illinc autem falso sibi persuaderent, nihil *extra lapidem* esse, quo deorsum propelleretur, necessario in lapide duo distinguenda duxerunt, *materiam* scilicet, motum impressum recipientem, & *formam substantialem*, *gravitate* adjutam ac motum illum imprimentem. Cum tamen non animadverterent, se neutiquam eo laqueos effugere, quos cupiebant evitare, si hæc forma *materialis* sit, id est, vere *materia;* si autem vere materia non sit, omnino necesse est ut sit substantia, a *materia* realiter distincta: talem autem clare concipi prorsus impossibile est, nisi ad instar *mentis* concipiatur, id est *substantiæ spiritualis*, qualis est *forma hominis*, non item *formæ cæterorum corporum.* postremo quoque ad *fontes demonstrandi* quam maxime spectant principia *Logica* & *Metaphysica.* (CLXX.) Itemque alia *Axiomata* civitate donata, de quibus Cl. P. REEB libellum utilem edidit, ex quibus illud:

lud: *Quod est causa causæ, est etiam causa causati*, frequentissime recurrit; sic v. g. *Avus est causa Nepotis*, quia *Nepos* est genitus a tali *patre*, cujus *Avus* est parens. Illud vero Peripateticis usitatum: *propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale*, alii omnino negant, alii autem pro illius veritate requirunt 1. ut id, propter quod unumquodque tale, sive illa *perfectio*, in qua comparantur *causa* & effectus, capax sit *intensionis* & *extensionis*. 2. Ut perfectio illa conveniat *causæ* & *effectui*. 3. Ut per se *primo* causæ conveniat. 4. Ut unice *propter illam causam* conveniat effectui, 5. ut non consistat formaliter & immediate *in exercitio* immediate *libero*, nam *voluntas* libere ponit actus suos, eorumque intensionem, prout *vult*. Plura in *Sect.* III.



SECTIO II.

DE ARGUMENTATIONE PROBABILI.

ARTICULUS I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT ARGUMENTATIO PROBABILIS?

Argumentatio probabilis.

CCCXXXIV. ARGUMENTATIO PROBABILIS dicitur illa, cujus utraque, vel alterutra præmissarum in Syllogismo est propositio *probabilis* (CXXXIV. 3.) in scholis dicitur vel *Syllogismus* DIALECTICUS, seu *Disputatorius*, quia per eum in utramque partem disserere, seu *disputare* licet; vel TOPICUS, quia ex *locis Topicis* desumitur, de quibus Aristoteles in *libris Topicorum* agit, & nos in *Artic. seq.* Ab aliis *probabiliter argumentari* dicitur ille, qui a quibusdam ad veritatem requisitis, sive *a nonnullis circumstantiis ad rei existentiam* concludit, egregium hujusce argumentationis specimen nobis suppeditat TULLIUS in elegantissima *oratione*

Syllogismus dialecticus, seu Topicus.

tione sua pro *Milone*, ubi probaturus, *quod Clodius Miloni insidias struxerit, & iter ad cædem faciendam apparaverit,* sic arguit 1. Clodius *aperte dixerat*, occidendum esse Milonem. 2. Cum *iter solemmne, legitimum, necessarium* Miloni Lanuvium esset suscipiendum, Clodius *subito pridie* ipse Româ profectus est, & quidem *eadem viâ*, qua profecturum esse Milonem *jam ante* noverat. 3. Servos suos *cum telis* ante fundum suum collocaverat. 4. Proficiscebatur Clodius *expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis græcis comitibus*, ut alias solebat, *sine uxore*, quod nunquam fere &c. *Syllogismus* porro *probabilis* a *demonstrativo* in *materia* differt, non in *forma*; uterque enim iisdem dirigitur *regulis*, a quibus *forma* dependet (CLXVII.)

CCCXXXV. Præter *probabilitatem* HISTORICAM circa *authoritatem* (CCLXXXVII. & CCLXXXIX) PHYSYCAM circa *experimenta* (CCXCVI. CCXCIX. CCCII. & CCCIII.) & HERMENEVTICAM circa interpretationem Authorum (CCCVII. CCCXIX &c.) duæ adhuc recensentur, nempe

Probabilitas practica.

I. PROBABILITAS PRACTICA dicitur, ea, qua ex principiis *physicis* aut *moralibus futurum* aliquem prædicimus *eventum*. Hac probabilitate inprimis utuntur, qui in aulis Principum rebus civilibus administrandis operam navant; hi enim rerum publicarum conversiones sagacissime prospiciunt, *futurasque* vel belli vel pacis vicissitudines ex *præsentibus* augurantur, & ex similibus *causis* exspectant similes *eventus*.

Probabilitas politica.

II. PROBABILITAS POLITICA in eo consistit, cum ex pluribus alicujus personæ *notis* & *actionibus* colligimus *animi* ipsius *indolem*. Sic v. g. Si in Titio notantur *faciei hilaritas*, *jocandi studium*, *inconstantia*, *laborum fuga*, *prodigalitas &c.* tunc ex *his signis* probabiliter colligitur, ipsum esse *sanguinei temperamenti* (CCLIX.) Qui actiones suas juxta illam regulam ordinat: *Quidquid jucundum est, illud mihi bonum est, illudque appeto.* Et sic de aliis quoque *temperamentis* judicari valet, sed ut dixi, *probabiliter tantum*, quia voluntas humana, qualecunque *temperamentum* corpus possideat, ad similes actus

po-

ponendos vel non ponendos, *vi libertatis suæ* prorsus *indifferens* est.

CCCXXXVI. *Scholion.* I. Ut constet, *quanta* sit *probabilitas*, quam habet quælibet propositio, attendi debet, *quoties* intra certum casuum numerum illud *medium*, per quod propositio *vera* esse ostenditur, non fallat; habet enim se *probabilitas* propositionis ad *certitudinem*, sicut numerus *casuum*, in quibus medium non fallit, ad *numerum* eorundem *integrum*, e. g. Si authoritas alicujus scriptoris *quinquies* intra *octo* casus non fallat, probabilitas, quæ propositioni ob illius scriptoris authoritatem debetur, erit ad certitudinem ut 5. ad 8. Exprimi idcirco solet probabilitas a Mathematicis ope *fractionis*, cujus *denominator* sit *numerus integer* casuum assumptorum; *Numerator* vero sit numerus casuum, in quibus *medium*, cui propositio ipsa innititur, non fallit. Sic *fractio* v. g. $\frac{5}{8}$ probabilitatem illius propositionis bene indicat, cujus medium intra *octo* casus nonnisi *ter* fallax ostenditur. Nempe $8 - 5. = 3.$ Igitur quo *sæpius* intra certum casuum numerum *medium* non fallit, sive *quo* ma-

Probabilitatis dijudicandæ ratio prima.

magis numerator *dimidiam denominatoris partem* excedit, eo *probabilior* erit propositio e. g. $\frac{5}{8}$ aut $\frac{7}{8}$ majorem habent probabilitatem, quam $\frac{5}{8}$. Si vero intra certum casuum numerum *toties* ex æquo medium fallat, *quoties* non fallit, *dubia* est propositio, & exprimitur fractione $\frac{4}{8}$. Si denique medium, cui innititur propositio intra certum casuum numerum *sæpius fallat*, quam non fallat, tunc evadit *improbabilis* e. g. in his fractionibus: $\frac{3}{8}\frac{2}{8}\frac{1}{8}$, & quidem eo *improbabilior* existit, quo magis fractionis *numerator* a *dimidia denominatoris parte* deficit.

ada. CCCXXXVII. *Scholion*. II. Si autem *fractiones*, quibus *absoluta* duarum propositionum oppositarum probabilitas denotatur, sint *dissimiles*, ad invicem comparari nequeunt, nisi prius ad eundem *denominatorem* reducantur. e. g. Sit probabilitas absoluta propositionis A $\frac{6}{7}$, & propositionis B $\frac{4}{7}$, defectus 3. numeratoris 4 a denominatore 7 addatur numeratori 6, & fiat 9. pariter defectus 1. Numeratoris 6 a suo itidem denominatore 7 addatur numeratori 4, & fiat summa 5. Denique ex his, & denominatorum

7 + 7 ſumma = 14 fiant fractiones $\frac{9}{14}$ & $\frac{5}{14}$ ſicque altera exprimet probabilitatem, quæ comparatione facta convenit propoſitioni A, altera vero probabilitatem, quæ propoſitioni B inde competit. Nam cum momenta intra ſeptem caſus in propoſitione A *ſemel* fallant, hic caſus favebit propoſitioni B; & *tres caſus*, in quibus momenta intra eundem caſuum numerum in propoſitione B fallunt, favebunt propoſitioni A: hujus igitur probabilitas *abſoluta* eſt ita imminuta a probabilitate propoſitionis B, ut, quæ prius erat ad certitudinem ut 6 ad 7, facta nunc comparatione ſit ſolum ut 9 ad 14. Quare cum ſumma ex Numeratoribus 9 & 5, quibus comparativa propoſitionum A & B probabilitas deſignatur, adæquet ſummam denominatorum 14 (quia 9 + 5 = 14) Duæ propoſitiones *oppoſitæ* abſolute probabiles ad ſe invicem comparari nequeunt, quin altera, quæ eſt *minus probabilis*, facta comparatione *deſinat* eſſe *probabilis*, nam ut maneat probabilis, debet numerator *dimidium denominatoris partem* excedere (n. præc.) quod hic plane non amplius contingit, quia,

ſi

si summa ex numeratoribus est æqualis summæ ex denominatoribus, nequit unius numerator excedere *dimidiam* denominatoris partem, nisi *alterius* Numerator ab eadem deficiat, ut consideranti patet.

3tia. CCCXXXVIII. *Scholion* III. Cum duæ sibi mutuo adversantes propositiones quoad probabilitatem invicem comparantur, cavendum est, ne *diversi generis* sint momenta, ex quibus absoluta utriusque partis probabilitas derivatur, scilicet ne sint a *ratione*, & *authoritate* simul; nulla enim tunc comparatio est, ut videre licet in hoc exemplo. v. g. Absoluta probabilitas sententiæ A exprimatur fractione $\frac{5}{8}$ & altera sententia B fractione $\frac{8}{16}$ jam facta comparatione, constitutisque ut supra (n. præc.) fractionibus, comparativam probabilitatem exprimentibus erit $\frac{7}{18}$ pro sententia A, & $\frac{9}{18}$ pro sententia B, adeoque sententia A, quæ absolute spectata erat prius *magis probabilis*, quam sententia B, facta nunc comparatione *desinit* esse *probabilis*: econtra sententia B, quæ prius erat *minus probabilis*, adhuc manet *probabilis*; cum numerator 7 fractionis $\frac{7}{18}$ non excedat *dimidiam* partem deno-

denominatoris 16; bene vero numerator 9 fractionis $\frac{9}{16}$, quod plane absurdum est. Quid ergo faciendum? nempe hoc est faciendum. Si fractiones, quibus *absoluta probabilitas* exprimitur, *dissimiles* fuerint, antequam inter se *comparentur*, debent præ omnibus juxta Arithmetices leges ad *æqualem denominatorem reduci*, & postea primum procedi juxta (n. præc.) nempe I. *per reductinem.* $\frac{5}{6}\ \frac{8}{10} = \frac{50}{60}\ \frac{48}{60}$. II. *Juxta num. præc.* $\frac{50}{60}\ \frac{48}{60} = \frac{62}{120}\ \frac{58}{120}$. III. *Per contractionem.* $\frac{62}{120}\ \frac{58}{120} = \frac{31}{60}\ \frac{29}{60}$. Ubi *penultima* fractio, quæ primæ fractioni $\frac{5}{6}$ correspondet, evadit *improbabilis* (n. præc.) *ultima* vero, quæ secundæ $\frac{8}{10}$ respondet, adhuc quidem manet *probabilis*, attamen *uno* probabilitatis gradu privatur, nam in fractione $\frac{31}{60}$ numerator dimidiam denominatoris partem *unitate excedit*, in fractione autem $\frac{29}{60}$ *unitate* ab eadem dimidia parte *deficit*. Cæterum Methodum hanc Mathematicam, ope fractionum vulgarium *probabilitatis gradum* æstimandi *ingeniosam* quidem: at *in praxi* minus *utilem minus*que *expeditam* æstimant plerique; quis enim *casus omnes* possibiles numerare valeat,

aut

aut cuinam tempus suppetit, ut ad abacum sedens subtilem ejusmodi probabilitatum calculum ineat? maxime, cum eventus contingentes fere nunquam *uniformiter* eveniant.

ARTICULUS II.

DE EFFECTU PROBABILITATIS, ET LOCIS TOPICIS.

Opinio, CCCXXXIX. PROBABILITATIS EFFECTUS est OPINIO, quæ dicitur *Judicium determinatum ad unam contradictionis partem, cum formidine de opposito, nitens motivo fallibili, & inevidenti*, ita nempe, ut *actualis* quidem *formido* ab opinione possit abesse, semper tamen adsit *formido radicalis*, sive ipsa materialis *fallibilitas motivi*, ad quam si intellectus attenderet, posset etiam determinari ad formidinem *actualem*, eâque *absterreri* a judicanda *firmiter* conclusione. Atque ad hanc *opinionum*, seu *probabilium* classem plurima sane hominum judicia referenda sunt, unde habetur illud: *Mundus opinionibus regitur.*

CCCXL.

CCCXL. Ad *opinionem probabilem* procreandam non sufficere probabilitatem *extrinsecam* (ab *authoritate*) sed requiri vel maxime *intrinsecam* (a *ratione*) ex supra dictis abunde liquet (CCLXVII.) sic v. g. etiamsi centum LUTHERI clament, PAPATUI brevi finem impositum iri, aut si centum CALVINI blasphement, Christum in cruce desperasse, nulli *sanæ rationis* fidem unquam facient; quanquam *rudiores* sæpe decepti, occasionem exinde sumere queant, ejusmodi assertioni *assensum* vere *probabilem* (scilicet probabilitate *adhæsionis*) præstandi, eoquod credant, viros hos a se æstimatos non ita facile *falli* posse, aut *fallere* velle, prout hodiedum contingit iste error in *plebeis*, qui sunt extra veram CHRISTI Ecclesiam: sunt igitur circa opinionum probabilitatem *practice* observandæ sequentes.

Ad Opinionem non sufficit probabilitas tantum extrinseca.

CCCXLI. REGULÆ. I. Illa opinio est alterâ *probabilior*, quæ *pluribus* & *gravioribus* nititur argumentis. II. Si vero argumenta ex utraque parte sint *æque gravia*, item si nullum ex utraque parte sit *absolute grave*, tunc opinio existit *dubia*, adeoque suspendendum

Regulæ pro opinione probabili.

est omne judicium. III. Si opinio *nullo* vel *levi* nititur argumento, oppositum vero *gravi*, vel *pluribus* rationibus fundatur, tunc opinio censenda est *improbabilis*. IV. Denique si pro *una* parte *unum* stet argumentum *grave*, pro *opposita* autem quatuor, vel *plura levioris* momenti, tunc illud *unicum* motivum grave propter *claritatem*, quam affert, plus valet ad extorquendum intellectûs assensum, quam *tota collectio* plurium *leviorum* motivorum; alias enim ex pluribus congestis *suspicionibus certitudo* nasci posset, quod falsum est. Porro hæ regulæ ex dictis (CCCXXXVI. CCCXXXVII. & CCCXXXVIII.) satis demonstratæ sunt, & ex his etiam ad *futuritionem contingentium* æstimandam procedi potest, de qua plura *curiosa* qui scire cupit, legat *Artem conjectandi* Cl. BERNOULLII. Nobis sufficiant sequentes denique

Regulæ judicandi de futuris contingentibus.

CCCXLII. REGULÆ pro FUTURITIONE CONTINGENTIUM æstimanda. I. *Probabiliter quidpiam eventurum judicari prudenter valet, si tales revera adsint circumstantiæ, ex quibus alias plerumque rem evenisse scimus.* Sic v. g. fausta

vel

vel infausta de statu *ægroti* ominantur *Medici*, & de futura *belli* alea *Imperatores* pronuntiant. II. *Econtra quod in certis circumstantiis nunquam accidit, censendum in illis est moraliter impossibile.* III. *Futuritio eventus contingentis, quibusdam positis circumstantiis, ex eo non desinit esse probabilis, eoquod illius contrarium iisdem positis quandoque contingat.* Nam si res *semper* ex voto succederet, jam non *probabiliter*, sed *certo* esset futura. IV. *Eo probabilior, certis positis circumstantiis, eventûs contingentis futuritio est, quo magis causa in effectum ipsum ex se est prona.* Sic v. g. Pronus ad *gulam* valde probabiliter toties delinquet, quoties ei magna *ciborum potusque* copia præsto erit. Sic pariter de *pronis ad iram, invidiam*, aliaque *scelera* pronuntiari valet, secundum *naturam* judicando, non secundum *gratiam*, qua vel ipsam *naturam* domare ejusmodi homines queunt. V. *Quando causa est æque ex se disposita ad plures effectus, præsumtio pro illorum uno certo, ac determinato, se habet ad veritatem, ut unitas ad numerum omnium effectuum possibilium*, adeoque *levis* est unius ejusmodi *effectûs probabilitas*, ut mera potius *possibilitas* illa dicenda sit, contra-

rius vero eventus est adeo probabilis, ut *moralem* etiam *certitudinem* attingat. E. g. In ludo *decem* viri *denos* deponunt florenos, singuli singulos, quos *omnes unus* postea lucrari valet, cæteris spe frustratis; hic, uti videtur, quilibet *unius* floreni periculo ludit, cum possit *decem* acquirere. Si lucrum & jacturam *in se* solum consideremus, videri possunt *omnes* non sine spe *lucri* ludere: at, quemadmodum unusquisque *novem* florenos lucrari potest, & nonnisi *unicum* perdere, ita *novies probabilius* est, unumquemque sui floreni jacturam facturum, quam novem alios lucraturum esse, & consequenter *probabilitas perdendi* DECEM GRADUS habet, *probabilitas* vero *acquirendi* tantum UNICUM, sive præsumptio pro lucrandis novem erit ad probabilitatem perdendi ut 1. ad 10. hoc est $\frac{1}{10}$. Ex hac Regula probat Cl. AUCTOR ARTIS COGITANDI, *Log. P.* 4. *C.* 16. Illa *ludorum* genera, quæ *Lotteries* a Gallis dicuntur, omnino *illicita* esse. VI. IMPROBABILIS *censenda est futuritio eventus contingentis in iis circumstantiis, quibus positis eventus ipse nonnisi* RARISSIME *contingit.* Hæc regula est maximi mo-

men-

menti præcipue ad *ſpes*, *metusque* noſtros intra rectæ *rationis* limites coercendos atque moderandos. Sic teſte eodem cit. Cl. Auctore, abſurda ſane ratiocinatione uſa eſt illa fæmina Princeps, quæ cum audiviſſet, *quosdam* laquearis caſu obrutos, miſere interiiſſe, *nullas* impoſterum ædes ingredi voluit, niſi prius per famulos exploratas, quinimo ita ſibi perſuaſerat, ſe hac in parte *ex rationis præſcripto* agere, ut cæteros omnes, qui aliter agerent, *imprudenter* agere exiſtimaret: alii eandem ob rationem evadunt mire *ſuſpicioſi*, cum enim *aliquando* deluſi fuerint, aliis in rebus *omnibus* ſe perinde deluſum iri putant. Denique *ſunt plurimi*, (inquit cit. Auctor loc. cit) *qui audito tonitru miſere pallent, trepidantque. Quodſi bic Cæli fragor DEI mortisque meditationem inducit, bene eſt, neque ſane in his meditandis nimii eſſe poſſunt: ſi vero ſolius mortis a fulmine periculum illud ſit, quod eos tanta formidine exanimat, difficile non erit oſtendere, quantum illi deſipiant; nam e vigeſies centenis hominum millibus inſolens eſt, ut vel unus de Cœlo tactus intereat; imo affirmare poſſumus, inter neces violentas vix ullam fulminatione,*

 infre-

infrequentiorem, ita ex omnibus quam minime timendam; cum insuper ille timor nihil conferat ad vitam in illo articulo sospitandam.

Loci Topici. CCCXLIII. Loci Topici vocantur illi fontes, ex quibus argumenta *probabilia* desumuntur, suntque sequentes.

I. Ab Etymologia, sive a *nominis* & *appellationis* ratione (CVII.) Regulæ hæ sunt 1. *De quo affirmatur Etymologia nominis, de eo etiam affirmatur nomen, & vicissim.* e. g. *Consul* est: ergo *consulere* debet Reipublicæ. *Vir* est: ergo *vim*, seu *vires* impendere debet ad *fortiter* agendum. 2. *De quo negatur Etymologia nominis, de eo etiam nomen negatur.* e. g. Non *consulit* Reipublicæ: ergo non est *Consul.* Vel: *vim* non adhibet ad *fortiter* agendum: ergo non est *vir &c.*

II. A conjugatis, id est a vocibus, *significatione* & *litteris* convenientibus, *terminatione* autem discrepantibus. e. g. *Justus est: ergo justitiam colit*, vel: *non studet: ergo non est studio-*

diosus &c. Inde ab *Etymologia* vix differt.

III. A Causa: e. g. 1. Quo *proximior* est causa *efficiens*: eo major est *effectus*: sic *lux*, quo vicinior, eo ardentior est. 2. Cujus causa *efficiens* est bona, etiam *effectus* est bonus. 3. Effectus assimilatur *causæ*, etiam in *accidentalibus*. 4. *Finis* quandoque est nobilior quam *causa agens*, sic *sanitas* est melior quam *medicina*. 5. Obtento *fine* cessant *media*, ut *sanitas* est restituta: ergo non amplius sumenda est *medicina*. 6. Qui vult *finem*, etiam debet velle *media*. e. g. Si vis esse *doctus*, *studendum est*. 7. Si *finis* sit possibilis, etiam *media* sunt possibilia. e. g. *Cœlum* possumus acquirere: ergo etiam *Dei præcepta*, quæ illuc ducunt, servare *possumus*.

IV. Ab antecedente contingente: e. g. Vespere *rubet Cœlum*; ergo de mane erit *serena tempestas*. Sic etiam Christus *Matth.* 16. ✝. 2. Pharisæos objurgat, quia nolebant suæ missionis tempus ex iis, quæ patraverat, signis & prodigiis, velut ex Consequentibus agnoscere, cum tamen ex Cœli

facie, tanquam ex aliquo *antecedente* futuram *tempestatem* pronuntiarent.

V. A Majori ad minus, vel econtra. e. g. *Major* hoc præstare non valet, ergo nec *minor*, adeoque valet in *negativis*. Vel: *anima humana* est libera: ergo multò magis *DEUS*, valetque etiam in *affirmativis*.

VI. A Simili. e. g. *Potuerunt* isti & isti *homines*: ergo & *tu*, item A Proportione, si unum ad aliud *similitudinem* habet: e. g. *Puer* potest *decem pondo* portare, Ergo *vir plura* &c.

VII. A repugnantibus, oppositis &c. e. g. Omnis *virtus* facit hominem *beatum*: ergo omne *vitium infelicem*, sive: *contrariorum contrariæ sunt causæ*, vel: *contrariorum eadem est ratio seu causa*, id est, qua *cognitione* aut *definitione* rem aliquam cognosco, per eandem etiam cognosco, & definio (suo modo) ejus *contrarium*.

VIII. Ab Authoritate, & Experientia, de quibus supra (CCLXXXIV.) CCXCVIII. &c.)

CCCXLIV.

CCCXLIV. *Scholion.* Regulariter pars *negans* problematis probari non debet, ſed pars *affirmans*, nam *L. 22. ff. tit.* 3. *leg.* 2. *Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.* At ſi propoſitio quædam, quæ rei *jus* vel *factum* contineat, idoneis argumentis ab aliquo probetur, & ab alio negetur, *negantis* erit argumenta probantis refellere, & negationis, ſi quam habet, rationem reddere, ſecus *unus plus negaret, quam centum Philoſophi probarent.*

SECTIO III.

DE MEDIO ARGUMENTATIONIS INVENIENDO.

CCCXLV. MEDIUM ARGUMENTATIONIS vocari ſolet illa *ratio*, ſeu *motivum*, quo propoſitio, ſeu theſis quæcunque probatur, dicebaturque olim hæc *ars inveniendi medium* PONS ASINORUM, tum quia per eam ambo propoſitionis extrema (ſubjectum nempe & prædicatum) inter ſe, quemadmodum duæ cujusdam

Medium argumentationis.

Pons aſinorum.

 flumi-

fluminis ripæ per pontem, conjunguntur, tum etiam quia homines sub crasso aere, & invita Minerva progeniti pontem illum ægre superant, sed potius ingeniorum suorum vertigine acti passim ex illo decidere, & ignorantiæ fluctibus abripi solent, nescientes scilicet vel suam sententiam alios *edocere*, vel alienam solide *impugnare*.

Ars universalis pro Medio inveniendo.

CCCXLVI. Ars igitur Generalis inveniendi medium argumentationis teste experientia, quæ est optima rerum Magistra, consistit in felici promptoque *ingenio*, *studio continuo*, frequenti *usu defendendi ac respondendi*, atque in bona denique *memoria*, fideliter reddente, quæ in simili occasione ex auditis, lectis & inventis ibi sunt ordinate deposita, ut loquitur Cl. P. Arriaga *in præfat. ad Summulas*. Cæterum præter *Locos Analyticos* pro *demonstratione* (CCCXXXIII.) & *Topicos* pro *probabilitate* eruenda (CCCXLIII.) variæ a diversis auctoribus præscribuntur Regulæ & praxes, e quibus sequentes mihi utilissimæ videntur.

Praxes particulares.

CCCXLVII. Praxis I. Inveniendi medium hæc est. si Thesis aliqua defen-

fenditur aut oppugnatur, inquiri præprimis debet CAUSA aliqua, & quidem *fundamentalis*, ob quam prædicatum subjecto conveniat. e. g. *Sola Ecclesia Romano-Catholica est vera Christi Ecclesia.* Id probabis per causam, *quia illi soli conveniunt notæ & signa veræ Christi Ecclesiæ.* Unde sic argumentari incipies: *Sola illa est vera Christi Ecclesia, cui notæ & signa veræ Christi Ecclesiæ competunt: atqui soli Ecclesiæ Romano-Catholicæ hæc signa conveniunt: ergo ea sola est vera Christi Ecclesia. m.* iterum probare vales *a causa.* NB. Prius tamen per *divisionem* adæquatam (CXIV.) notas illas enumerabis, quæ *divisio* magnam tibi argumentandi copiam suppeditabit, dicendo. v. g. sicque in argumentatione pergendo: *Notæ & signa veræ Christi Ecclesiæ ex Symbolo Apostolorum & Nicæno sunt* 1. *ut sit* UNA. 2. *Ut sit* SANCTA. 3. CATHOLICA, & 4. APOSTOLICA *Ecclesia: atqui sola Romano-Catholica Ecclesia est* UNA, SANCTA, CATHOLICA, & APOSTOLICA: *ergo illi soli signa veræ* CHRISTI *Ecclesiæ conveniunt. Majorem* heterodoxi negare non solent, eoquod & ipsi illa duo SYMBOLA cum Catholicis recipiant: igitur denuo probanda erit m. quam

A Causis.

per

per singulas partes probaturus ita perges: *inprimis sola Romano - Catholica Ecclesia est* UNA. *Ergo hæc pars subsistit.* Antecedens negatum sic denuo proba a definitione UNITATIS: *Unitas fidei* (ex Analogia cum *unitate* entis) *sive* UNUM IN FIDE *est illud*, *quod est indivisum in se*, *seu indivisum in dogmatibus*, & *divisum a quolibet alio*, *sive divisum ab aliis quibuscunque sectis ad Ecclesiam Christi non pertinentibus*, *atqui sola Ecclesia Romano-Catholica est sic indivisa in se*, *seu in dogmatibus suis* (ut nempe, quod in una orbis parte docetur & creditur, id pariter in altera tradatur, & credatur) *itemque est divisa a qualibet alia secta* (ita, ut ostendi nequeat, ullum omnino errorem, a primitiva Ecclesia in antiquis hæreticis improbatum, defacto ab ea doceri & credi, nec etiam cum modernis sectariis, in plurimis fidei doctrinis inter se assiduo digladiantibus aliquid erroneum ab illa admittit) *ergo sola Ecclesia Romano - Catholica est* UNA. *m.* si *Theologus* es, & in *Historia Ecclesiastica* non omnino hospes, facile denuo probabis, sicut & ab alia adhuc, & sequenti *causa*, quia scilicet sola Ecclesia Romano - Catholica admittit *judicem*

con-

controversiarum, videlicet eum ipsum, quem ex S. Evangelio probant Doctores Polemici esse *summum* CHRISTI *in terris* VICARIUM & D. PETRI SUCCESSOREM, dum econtra Acatholici ad suum *spiritum privatum*, qui facit, ut *tot* existant *sententiæ*, *quot capita*, confugiunt, sicque *unitatem* inter se scindunt &c. Jam si similiter ad alia divisionis tuæ membra probanda accedas, & contra Heterodoxorum sectas *a contrario* (probando scilicet, quod *nullum* ex signis veræ Christi Ecclesiæ iisdem competat) insurgas, quin & divisiones factas rursum dividas (faciendo subdivisiones) e. g. quod sola Romano-Catholica Ecclesia sit *sancta* 1. *in doctrina sua* ad omnem morum honestatem, & præceptorum Divinorum fidelem observationem inducente, 2. *in membris suis*, seu fidelibus; cum non alii, nisi Romano-Catholici ostendi queant, qui *vitæ sanctitate* & *miraculis* illustres unquam fuerint: atque etiamnum sint, quorum omnium nihil, imo potius contrarium in aliis Sectariorum cætibus reperire est &c. Mendax sim, nisi dies te citius, quam argumentandi media deficiant!

CCCLXVIII.

A definitione. CCCLXVIII. PRAXIS II. Desumitur a DEFINITIONE, quæ si non semper per verum *genus* & *differentiam* formari potest, *in praxi* facillime fit per 4 *causarum* genera, per quæ proposita thesis definiri potest. Sic e. g. in rigore & secundum suam *essentiam metaphysicam*(quam *genus* & *differentia* constituunt) *homo* dicitur *animal rationale:* at secundum *essentiam physicam* per *causas intrinsecas* (quæ sunt causa *materialis* & *formalis*) definitur, quod sit *aliquod compositum ex corpore*(tanquam *materia*) & *anima* (tanquam *forma*) vel etiam per causas *extrinsecas*(quæ sunt causa *efficiens* & *finalis*) dici potest, quod sit *ens a DEO creatum ad hoc, ut ei serviat, sicque serviendo salvus fiat.* Sic pariter per omnia hæc causarum genera *domus* definitur, quod sit *operimentum ex lapidibus, & cæmentis ordinatum ab architecto ad arcendas pluvias, aliasque aëris intemperies &c.* item *Justitia* dici potest *voluntas principis, influens effective in executionem vindictæ reproborum, & præmii respectu innocuorum,* (en causa *efficiens* & *materialis!*) *ad boc, ut mundus politicus in esse suo conservetur* (en causa *finalis!*) & *unicuique, quod suum est, reddatur* (en causa *formalis!*) hic-

hicque argumentandi modus est omnium frequentissimus, atque ad probandum *utilissimus* (CVII.)

CCCXLIX. PRAXIS III. Est illa, quam suppeditant 10 PRÆDICAMENTA ARISTOTELIS (LIII.) itemque ARBOR PORPHYRIANA (LI.) attendendo nempe respectu PRÆDICAMENTORUM, 1. quid res ad probandum proposita sit quoad suam *substantiam* 2. quam habeat *quantitatem* (LVI.) 3. *qualitatem* (LVII.) 4. *relationem* 5. *actionem*. 6. *passionem* (LX.) 7. *ubi*, seu *locum* (LXII.) 8. *quando* seu *tempus?* 9. *Situm*, 10. *habitum* (*n. cit.*) respectu vero *arboris Porphyrianæ* attendendum est ad tres terminos, 1. *antecedentem*, qui *prior* est, & a quo alter exoritur: e. g. *rationalis* respectu *risibilis*. 2. *Consequentem*, qui ex altero oritur, ut *risibile* respectu *rationalis*. 3. *Repugnantem*, ut *irrationale* respectu *hominis*. e. g. Ad probandum, quod *anima rationalis* sit *incorruptibilis*, ab *antecedente* sic argui debet: *anima hominis est* SPIRITUS: *atqui omnis spiritus est incorruptibilis, ergo &c. minor* denuo ab *antecedente* stabiliri potest hoc modo: *omnis substantia* SIMPLEX *est incorruptibilis: atqui anima*

A decem Prædicamentis.

est

est substantia simplex: *ergo* &c. *M.* a *definitione* sic roboratur: *Substantia simplex est ea, quæ caret partibus*: *atqui quod caret partibus, est incorruptibile*: *ergo omnis substantia simplex est incorruptibilis* &c. ultimate autem in illud axioma resolvitur: NEMO DAT, QUOD NON HABET: *atqui nec substantia simplex*, *nec anima* HABENT *partes*: *ergo nec eas possunt* DARE (scilicet per sui resolutionem in partes.) Praxes adhuc alias *expedite argumentandi* aut *disserendi* etiam longissimo tempore de una re, tradit Clariss. P. KNITTEL in suo perquam ingenioso libello, iterato typis impresso, sub titulo: *Via regia ad omnes scientias & artes*, præsertim *Parte* 8. 9. & 10. Tyroni etiam mediocris ingenii, si EXERCITATIO sedula accesserit, hactenus dicta sufficient.

Ubi medium sit ponendum in propositione affimativa.

CCCL. *Scholia.* I. In *affirmativa propositione* pro medio probationis assumi debet id, quod utrique extremo, id est, tam subjecto quam prædicato est commune, e. g. probaturus, *jejunium esse salubre*, considera res varias, de quibus affirmatur hoc prædicatum *salubre*, & quæ omnia pariter conveniunt *jejunio*, nempe 1. salubre est, *quod sanitatem procurat*, & *vitæ terminos auget*

get &c. Hinc dices: *quod sanitatem procurat &c. salubre est: atqui jejunium sanitatem procurat: ergo salubre est.* II. In *negativis* illud pro *Medio* poni debet, quod uni extremo convenit, & alteri repugnat. e. g. Quia brutum est *irrationale*, non vero *homo*, sic argui debet: *nullus homo est irrationalis. Atqui brutum est irrationale*: *ergo brutum non est homo*. III. Quando instituitur *demonstratio a priori* (CCCXXVII) nonnisi veræ *Causæ* subjecti aut prædicati afferendæ sunt: (n. c.) at si fiat *a posteriori*, initio ponendæ sunt *definitiones*; saltem *nominales* (CVI.) *experientiæ* (CCXCVIII.) *Axiomata* (CXXXVI.) & tunc primum ad *rationes* fieri debet progressus, in quibus ex *effectibus* arguitur *causa*, & ex *partibus totum* infertur (CCCXXVII.)

In negativa propositione.

In demonstratione a priori.

A posteriori.



SECTIO IV.

RECENSENTUR ADHUC DIVERSI GENERIS ARGUMENTA, EORUMQUE USUS ET VALOR DECLARATUR.

Argumentum ad hominem.

CCCLI. I. ARGUMENTUM AD HOMINEM (græce κατ' ἄνθρωπον) dicitur illud, quando quis contra adversarium pugnat eadem ratione (sive *vera*, sive *falsa*) qua ipse utitur *tanquam vera*, aut quam saltem pro *vera* adversarius habere debet, si *suæ doctrinæ conformiter* loqui velit. e. g. Ad hominem argumentantur CATHOLICI contra LUTHERANOS hoc modo: *Nihil juxta vos credi debet, nisi quod* CLARE *in S.* SCRIPTURA *expressum est: atqui quod fides* LUTHERANA *sit vera*, CLARE *in S.* SCRIPTURA *expressum non est: ergo id credi non debet*, hoc argumentandi genus in *refutando* & *convincendo* valde stringit, *in confirmanda* tamen *propria sententia* non multum probare videtur, quia opinio nostra non ideo immediatè erit *vera*, ex eo, quod altera

ra sit *falsa*, nisi eidem *contradictorie* opponatur.

CCCLII. II. ARGUMENTUM AB ANALOGIA valet 1. Et quidem potissimum in adstruenda aliqua *Hypothesi* (CCCXI. & CCCXII.) prout in *Physica* docetur. 2. Ad refutandos SCEPTICOS, qui omnia temere negant, item ad compescendos illos, qui, *quæcunque ignorant*, *blasphemant*. 3. Ad *acuendum ingenium*, & *judicium confirmandum*. Attamen sedulo hic cavendum a vitio *subreptionis* (CCXCIX. 2.) nec PHANTASIÆ viribus nimium est tribuendum, secus enim ejusmodi Philosophus omnes *affectiones* suas *rebus* tribuet, & sic in manifestos errores incidet. Sic passim carpitur KEPPLERUS, docens, tellurem musculis & fibris, ut cætera animantia instructam, pariformiter ut bruta, motum suum producere & continuare, illudque propterea phœnomenon, quo cometas plerumque ingentes pluviæ comitari solent, inde explicans, quasi tellus, cometas sentiens, præ timore sudare incipiat, quo certe nil absurdius; sequeretur

Ab Analogia.

enim, quod terra verâ gauderet anima *sensitiva.*

Ad Verecundiam.

CCCLIII. III. Argumentum ad Verecundiam vocatur illud, quando quis ad oppugnandum adversarium suum, ejusmodi Authorum textus adducit, quos iste revereri debet, & quibus si contradicat, aut nimis *arrogans*, aut aperte *errans* palam traducitur: Adhibetur ergo ejusmodi argumentum ab eo tantum, qui aut *ratione* destitutus, qua se tueri queat, aut ea uti nesciens, defendentem *opprimere* mavult, quam convincere. Ast in rebus naturalibus & ad *fidem* nullo modo spectantibus, nihil valere *authoritatem*, *ubi ratio intrinseca* deficit, supra jam probavimus (CCLXVII.)

Ex proportione.

CCCLIV. IV. Argumentum proportionis et calculatorium solummodo usurpari potest in rebus *quantitatem* habentibus, non item in aliis, nisi subjectum sit *capax* talis *proportionis*, & forma denominans existat in *serie proportionata subjecto*, Non vero promiscue in aliis, alias enim etiam probari v. g. posset, *peccatum* quodcunque mortale esse *infinitæ malitiæ* in entita-

titate sua, quod negant communiter theologi; nam quia offensa personæ dignæ *ut octo* cæteris paribus vincit offensam personæ dignæ *ut quatuor* v. g. *uno* gradu, per argumentum *calculatorium* ita a pari argui posset: si persona offensa habeat 8 gradus dignitatis, tunc offensa habet *unum* gradum gravitatis: ergo si in persona offensa (scilicet in DEO) dantur infiniti octonarii graduum *dignitatis*, etiam in ipsa offensa dabuntur infiniti gradus *gravitatis*: dantur autem in DEO (& quidem *eminenter*) *infiniti* simpliciter octonarii *dignitatis*, ergo dabuntur etiam in offensa contra DEum *infiniti* gradus *gravitatis*, & consequenter quælibet *offensa DEI* esset simpliciter *infinite gravis*, quod falsum est; quia verum quidem est, quod, QUO MAJOR sit ipsa persona offensa, EO major etiam sit ipsa offensa, sed non, QUANTO major est *persona*, TANTO (exacta proportione) sit major quoque *offensa*, quia FORMA, quæ immediate per se constituit *actum* in esse formalis offensæ DEI, scilicet LIBERTAS HUMANA, non est simpliciter infinita, & consequenter etiam *actus* ab illa

procedens nequit esse *infinitus* in ratione *offensæ*.

Ex nomine & voce.

CCCLV. V. Argumentum ex nomine et voce tunc potissimum valet, quando ex quæstione *nominis* dependet quæstio *realis*. v. g. Dum quæritur, *an Logica sit simpliciter speculativa?* quæstio ista decidi nequit, nisi vel approbetur vel reprobetur definitio praxis a Mastrio proposita. Sic frequenter argumentari licet in *Theologia Morali*, atque in utroque *Jure*. De cætero in *modo loquendi*, & quæstionibus *de nomine* sentiendum est cum pluribus, ne Babylonicæ linguæ confusio oriatur; hinc videantur dicta (LXXVIII. & XCVII.)

Per distractionem.

CCCLVI. VI. Argumentatio per distractionem fit, si adversarius a proposita difficultate avertitur sive *abstrahitur* ad aliam, quam cum ipse solvere aut non possit, aut non velit, concluditur, eandem rationem *penes defendentem* esse, propter quam propositum nodum solvendi *potestas* illi desit aut *voluntas*. Sic ipse Christus *Math*. 21. *v*. 23. Principes Sacerdotum & Seniores populi Judaici maligno animo interrogantes: *in*

qua

qua potestate haec facis? per distractionem alia interrogatione divertit, scilicet *super Baptismo* JOANNIS, quoniam vero respondere aut non *potuerunt*, aut *noluerunt*, nec SALVATOR divinus respondit. Adhibetur igitur argumentatio ista, si adversarii abstrusi dogmatis explicationem nimis importune urgeant. Huc etiam pertinent

CCCLVII. VII. ARGUMENTA PER INSTANTIAM, RETORSIONEM, ET INVERSIONEM, *primum* fit, si afferatur contra impugnantem aliqua *particularis experientia*, aut *casus*, per quem probatur, quod allata propositio *universaliter* non sit vera. *2dum* contingit, si ipsemet argumentans argumentum suum solvere cogitur; ubi tamen factae *retorsioni* alia semper ratio sive *solutio positiva* adjicienda est, *3tium* denique fit, si assumpto adversarii argumento contra illum ipsum thesis infertur, quae omnia ex *usu* tantum & *praxi* disputandi addiscuntur. **Per instantiam.** **Per retorsionem.** **Per inversionem.**

CCCLVIII. VIII. ARGUMENTUM A NECESSITATE, sub hac enuntiatione: *Entia non sunt multiplicanda sine necessitate*, sive *nulla datur necessitas hujus rei: ergo* **A necessitate.**

nec res ipsa admitti debet, ab Ockamo Nominalium principe (XVII.) frequenter adhibitum, Ideoque etiam *equus* Ockami dictum, tunc robur habet, si sensus sit: *Nihil est admittendum sine gravi authoritate, experientia & ratione.* Vel, *quod non habet finem a natura intentum*, item: *Si omnibus bene consideratis res potest fieri per* pauciora, *non est necessitas admittendi plura.* Huic itidem argumento locus præcipue est circa *Hypotheses* inveniendas aut stabiliendas (CCCXII.)

Ad ignorantiam. CCCLIX. IX. Argumentum ad Ignorantiam fit, cum quis adversarium allatis probationibus resistentem rogat, ut *meliores* ipse pro sua sententia producere velit, quod si ille vel non *possit*, vel non *velit*, contra eum infertur, defendentis opinionem esse veram. Istud potius *Sophisma* est, quia non idcirco quædam opinio *vera* est, quia alter aut argumenta solvere non potest, aut meliorem opinionem afferre nescit, perinde namque se habet, ac si v. g. Pictor vellet a quodam de picturæ suæ præstantia confessionem extorquere ex eo, quod iste similem facere nesciat: unde

male

male *virtus magnetica* a Peripato rigido reponi videtur in *qualitate occulta*, ſive *Sympathia*, ex hac cauſa, quod aliæ ſententiæ eam ſatis apte non explicent.

DISSERTATIO IV.

DE METHODO.

SECTIO I.

DE METHODO ALIOS DOCENDI, ATQUE CONVINCENDI.

CCCLX. Quoniam in Logica Theoretica *generales* Methodi *leges* explicatæ jam ſunt, (CCXXXIV.) agendum nunc reſtat in hac Diſſertatione *Logicæ Practicæ*, quomodo *in ſpecie* illis regulis ſit utendum tam in *docendo*, aliosque *convincendo*, quam etiam in *diſcendo*, ac alios *refutando*, nosve *defendendo*, denique cum aliis *diſputando*, id quod in *hac* & *ſequentibus Sectionibus* palam fiet. Igitur in quantum *ad primum*. Docere alte- Quid ſit docere?

 rum

rum ille dicitur, qui illum ad veritates ipsi nondum notas verbis viva voce prolatis perducit. Hic autem præter superius dicta (CCLXV.) quam maxime requiruntur sequentes

Docentium dotes.

CCCLXI. DOTES SPECIALES DOCENTIUM. I. *Docens debet ea tantum, quæ ipsemet perfecte intelligit, tyrones docere,* quomodo enim in alios effundet, quo ipse plenus non est? & quidem II. *Debet prompte, expedite, & cum suavitate aliqua suam doctrinam illis proferre* (CCLI.) Hinc si quis naturalem quemdam *languorem* in se deprehenderit, sibique & *animi præsentiam*, & *verborum copiam* deesse senserit, huic Auctor suasorque existit BAUMEISTERUS *Institut. phil. Rat.* §. 480. ut, si risui, ludibrioque audientium se exponere nolit, missam faciat docendi provinciam! *satius enim est non docere, quam cum aliorum fastidio & irrisione docere.* SUAVITATEM vero a docentibus adhibendam quod attinet præter itidem superius allata (CCLXIV.) audiatur sententia Cl. ANTONII GENUENS. *Log. L.* 5. *C.* 10. §. 9. ex sua propria *experientia* ita Magistrum alloquentis; *quod si ille* (discipulus) *ob igno-*

ignorantiam peccet, tu gravius etiam peccas, qui adversus ignorantem (intellige non ex *pigritia*, aut *malitia* ignorantem) *debacharis, quem erudire potius debes. Non potest dici, quantum hujusmodi Magistros horream, ex quo Pædagogi mei viri agrestis recordor, qui ut ignorantis pueri errores dedoceret, alte me suspendebat, & ponderosis pugnis opprimebat: quasi vero in eo statu possem doctrinæ animum intendere, qui dolore, metu, pavore agitabar: nec intelligebat vir ille rusticus, hujusmodi argumentis* FLECTI *quidem* VOLUNTATEM *posse*, ILLUSTRARI INTELLECTUM *non posse.*
III. *Docens sit* CLARUS *atque* PERSPICUUS *in communicatione dogmatum*, quod fit, si singulos terminos accurate *definiat*, & res *abstractas*, atque a sensibus remotas *exemplis* e communi vita petitis illustret, *ordinem*que *Methodicum* ubique observet, ea videlicet semper præmittendo, per quæ sequentia intelliguntur, itemque propositiones omnes, quæ nonnihil *obscuritatis* habent, in sua principia prima resolvendo, & demonstrationum ab aliis allatarum *Analysin* instituendo, ut sic discentes de veritatibus, quas docentur, CERTI reddantur, *solide-*

que

que docti. IV. *Docens conetur se accommodare discentibus, nec plura in tyrone supponat, quam penes tyronem supponere licet.* Sane non omnia omnes ferre possunt: sic etiam CHRISTUS ipse, Dominus & MAGISTER noster non omnia continuo Apostolos docuit, quia quædam erant, *quæ ferre non poterant*, sed ea distulit *ad Pentecosten &c.* Unde bene S. BASILIUS *Hom.* 29. inquit: *scire debemus, & quæ dicenda, & quæ tacenda sunt. V. Industria denique est adhibenda a docentibus ad excitandam, fovendamque alacritatem discentium* (CCLXXII.)

Convincere alterum quid sit?


CCCLXII. CONVINCERE ALTERUM dicitur, qui efficit: ut eum certum reddat de veritate vel *falsitate* propositionis alicujus, idque primarium DOCENTIS munus est: debet autem id præstare per media (*n. præc.*) mox enarrata, nempe *distincte* inprimis EXPLICANDO *propositionem*, de qua alterum vult convincere, eamque *clare, breviter* ac *solide* DEMONSTRANDO, si convincere intendit *a priori* (CCCXXVII.) aut per *experientias certissimas* conclusionem inferendo, si *a posteriori* convictionem intellectus

Dotes convincentis.

a di-

a discente extorquere cupit. Ast etiam præterea *ex parte illius, qui convinci petit*, requiritur 1. Ut in *demonstrationibus* faciendis, aut cognoscendis non sit plane *rudis ac hospes*, qua de causa Rustici ac *plebei* difficilius convincuntur de veritatibus *abstractis*, quam *docti*. 2. Ut *sit attentus*; nam sine *attentione* demonstrationem non capiet, neque distincte propositionum *nexum* percipiet. (CCXLII.) Ejus propterea, qui convincendus est, *attentio* nullo modo turbanda est, quod illi docentes non observant, qui *turbulentis affectibus* convincendi animum implent, & *convitiis* atque *dicteriis* in illum invehuntur, quæ *iram* aut *tristitiam* in eo excitant, & consequenter illius *attentionem minuunt vel tollunt* (CCLV.)

Officia convincendi.



SE-

SECTIO II.

DE METHODO DISCENDI, SEU STUDENDI.

CCCLXIII. QUia multi non observant *Methodum*, sive modum ordinatum *studendi*, passim observamus, eos, quamvis plurima legant, parum tamen proficere, quin potius (si non omnino *rudes*) saltem *semidoctos* continuo manere & *obscuros*, ideo tyronibus, qui ex sedula librorum lectione disciplinam, quam cupiunt, proprio etiam Marte ediscere anhelant, ex Cl. P. Fort. a Brix. *Log. P.* 4. *Sect.* 3. præter superius traditas (XXXIII. & CCCXIX.) sequentes inserviunt.

Regulæ studendi.

Ante Lectionem.

CCCLXIV. Regulæ Studendi. Ante Lectionem alicujus libri, (qui nonnisi juxta mentem & consilium viri *periti* seligendus est) I. deponenda sunt omnia *præjudicia* (CCLXIV. CCLXVI. & CCLXVIII.) II. In eo auctore non *multa*, sed *multum* est legen-

gendum, nec alius liber est assumendus, donec prior *totus* sit lectus; plurimum enim nocet tyronibus *librorum copia*, quia, sicut insitus stomacho ignis ab *immodico*, etsi de se *saluberrimo* cibo opprimitur, aut etiam extinguitur; ita etiam *ingenium* nimis multa simul, ut ita dicam, concoquere non valet, sed quasi oppressum otiatur, vel cruda & ingesta in malos humores convertit, hinc jubet QUINTILIANUS *L.* 10. *Instit. Orat. C.* 1. ut *perlectus etiam liber ex integro rursum perlegatur.*

CCCLXV. IN IPSA LECTIONE I. Curandum est, ut singulorum notionum *idea clara* & *distincta* habeatur (XXXIII.) *memoriæ*que imprimatur. II. Perceptis terminis danda est opera, ut distincte comprehendatur id, quod auctor *demonstrat*, vel *oppugnat*. III. *Prioribus* vero nondum intellectis ad *posteriora* transitus non est faciendus; alias hæc apparebunt *obscura*, inde etiam *quodvis minimum* non est prætermittendum. IV. Si proposita materia in *uno* authore non satis *clare* intelligatur, *eadem materia* inspici quoque valet in *alio*, vel *pluribus* authoribus, apte de illa re tractantibus; In Lectione.

non

non omnes enim authores *eodem* ingenii *acumine*, eademque dicendi *perspicacitate* pollere deprehenduntur; V. Cavendum tamen, ne *contrarii authores* antea legantur, quam ista, quæ addisci debet, sententia probe percipiatur; secus iterum orietur *confusio*.

Post Lectionem. CCCLXVI. Post Lectionem I. Cognitiones studio haustæ cum *viris doctis* sæpe sunt *conferendæ*, ut *altius* animo hæreant, & plures aliæ *cognitiones*, ad eas pertinentes detegantur, & addiscantur. II. Quæ tyro didicit, *meditetur* (CCXXXV.) & quam sæpissime ad animum revocet, ut volunt illi decantati Pythagoræ versiculi:

Nec fessa in dulcem declines lumina somnum,
Quin ter cuncta prius repetiveris acta diei.

Huc etiam spectat illud Senecæ ad Lucilium: *Cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas.* III. In tabulas denique, seu *compendium* referri debet, quidquid studendo per diem acquisitum, pacatoque animo denuo *perpendendum* est, plurima enim

ac plane *stupenda* efficit SCRIPTIO (CCLXXII.) *Ego ipse*, inquit S. AUGUSTINUS, *in Prolog. L. 2. de Trinit. multa, quæ nesciebam, scribendo me didicisse confiteor*, & juxta illud vulgare: *Qui parcit calamo, parcit & ingenio.* Experire istud mi tyro, & fructum immensum senties. Probatum est!

SECTIO III.

DE METHODO ALIOS REFUTANDI, ET SEIPSUM DEFENDENDI.

CCCLXVII. REFUTARE ALIOS tum dicimur, quando illos *de errore convincimus;* ejusmodi vero *scripta*, quibus *errores veræ fidei adversantes* perstringuntur, *Polemica* vel etiam ERISTICA vocantur: Omnia ergo, quæ antea de Methodo alios *convincendi* dicta sunt (CCCLXII.) etiam huc quadrant. Nempe in *refutando* sic procedendum est. **Refutare alios quid sit? Scripta Polemica.**

CCCLXVIII. I. Quoniam ad *convincendum* opus est *demonstratione* (n. c.) etiam **Praxis refutandi alios.**

etiam *refutans demonstrare* debet falsitatem propositionis, quam alter pro *vera* habet; & si quis ex *incertis* tantum, & *precariis* principiis probet, alterum errasse, hæc non *refutatio*, sed *impugnatio* tantum habenda est, & consequenter *vera* propositio *refutari* non potest, eo quod *demonstrari* ejus veritas legitime possit. II. Alterum refutaturus debet *statum controversiæ* distincte explicare, quod ipsum ad *convictionem* requiritur, ut isthoc modo evitetur *Logo-machia* (CVII.) quæ exinde oritur, dum alter alterum non intelligit. III. Ejus denique, qui refutatur, ATTENTIO nullo modo est turbanda, (CCCLXII.) ideoque vitandæ sunt *consequentiæ*, quæ animo alterum *risui* exponendi formantur, neque adhibenda sunt ejusmodi argumenta, quibus alterius *fama* labem pati queat, quod fit, si v. g. dicatur, propositionem confutandam esse *Atheismo* plenam, aut omnino eandem cum sententiis hominum jamdiu invisorum ac pessimorum &c. Qua de causa etiam sapientibus non probatur Theologorum quorundam Polemicorum modus cum iis differendi, qui a vera fide alieni sunt, quos omnibus

di-

dicteriis & *injuriis* onerant, quasi non *re* & *argumentis*, sed *vi* & *conviciis* defendatur *veritas*. Id tamen intelligendum est, si proveniat ex *inordinata ira*, *furore*, & *Zelo immoderato*; nam secus etiam CHRISTUS DOMINUS irâ, de qua dicitur *Ps.* 4. *v.* 5. *irascimini*, *& nolite peccare*, jure commotus, PHARISÆOS in S. Evangeliorum libro asperis quandoque verbis increpabat, illos *Hypocritas*, *sepulchra dealbata*, *duces cæcos &c.* appellans, *quia ipsi intrare non volebant in regnum cælorum*, & simul SUA AUTHORITATE obsistebant, *ne alii intrarent.*

CCCLXIX. DEFENDERE NOS ADVERSUS ALTERUM tunc dicimur, quando demonstramus, nos ab eo non esse confutatos. Et ejusmodi scripta defensionem continentia vocantur APOLOGETICA, sive APOLOGIÆ, pro quibus serviunt istæ

Defendere se adversus alium,

Sive Apologias scribere.

REGULÆ. I. Si propositio aliqua legitime *demonstrata* est, eamque alter impugnet, non opus est, ut ea multis defendatur, cum certum sit, eam *refutari* non posse (*n. præc.*) II. Si solus verborum *sensus* in contentionem

Praxis se defendendi.

adducatur, sufficit, *clare explicare*, in quo sensu verba sint intelligenda; & si alter declarationem istam pertinaciter acceptare nolit, aut malitiose verba in perversum sensum detorqueat, amplior defensio superflua est. III. Si quis *injuriis* potius & *conviciis*, quam *argumentis* ad aliquam sententiam impugnandam utatur, non magis opus est defensione, quam contra *furiosum*, aut *summe ebrium*, conviciis nos lacessentem. Si tamen adversarius noster hisce armis contra nos procedens sit *multæ* apud alios *authoritatis*, & *existimationis*, etiam calumniis (more tamen Christiano, limites moderaminis inculpatæ tutelæ non excedendo) occurrendum est, ne alias aut VERÆ FIDEI gloria, aut S. ORDINIS fama, vel denique propria etiam EXISTIMATIO NOSTRA in discrimen adducatur, nam, ut vere dicit S. AUGUSTINUS *de bono Viduit*, *nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* Ideoque *si, quorum vita in exemplo posita est imitationis*, DEBENT, *si possunt*, *detrahentium verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant*, ut loqui-

tur

tur S. GREGOR. *Hom. 9. super Ezechiel.* Et teste S. HIERONYMO *Epist. 14. ad Celant. Apostolici* PRÆCEPTI, *& exempli est, ut habeamus rationem non tantum* CONSCIENTIÆ, *sed etiam* FAMÆ. Denique CHRISTUS ipse famam suam defendit, cum dixit: *Ego dæmonium non habeo. Joan. 8. v. 54.* & iterum; *si bene locutus sum, cur me cædis? si male, testimonium fer de malo. Joan. 18. v. 23.*

SECTIO IV.

DE
METHODO DISPUTANDI.

CCCLXX. DISPUTATIO vocari solet *mutua propositionis alicujus impugnatio, & defensio.* Duo nempe sunt officia Magistrorum in scholis docentium; *primum* est, ad veritatum incognitarum notitiam tyrones & scholares suos perducere, quod proprie DOCERE dicitur (CCCLX.) *alterum* est, in doctrina tradita illos aliquo *usu firmare*, v. g. examinando, vel disputando, quod EXERCERE vocant. Et alia quidem disputandi Methodus dicitur EROTHEMATICA, aut SOCRATICA (quia So- Socratica.

Disputatio.

CRATI unice ufitata fuit) in qua folum per *quæstiones* & *Refponfiones* difputatur, adeoque *Dialogi* potius, quam *difceptationis* formam habet, alia MEGARICA, in qua opponens refpondentem, & viciffim refpondens opponentem *ad aliquod abfurdum* deducit, unde & cum demonftratione *apogogica* plane coincidit. (CCCXXVIII.) Alia denique SYLLOGISTICA, five preffior illa & arctior, in fcholis hodiedum omnibus introducta, nec unquam (ut in *Logica difputatrice* defenditur) e fcholis eliminanda, cum prior illa, feu SOCRATICA *doctorum* congreffui aptior fit, quam *difcentium*, eoquod per eam facile opponens vel refpondentem, vel hic illum *in fraudem inducere* valeat, ficut & *pertinacibus* plura offerat *diverticula* & elabendi vias; in *rudioribus* vero ob fuam *amplitudinem* quandoque minuat *claritatem*. Cæterum

Megarica.

Syllogiftica.

CCCLXXI. METHODUS SOCRATICA tefte Cl. ANTONIO GEN. *Log. L.* 5. *C.* 9. tota nititur 1. *Definitionibus.* 2. *Inductionibus*, id eft fingularium fimilium diligente enarratione, & comparatione, ex quo poffit *clarius*, id, de quo agitur, intelligi, & aut *demonftra-*

Natura & leges difputationis Socraticæ.

strari, aut *refelli*, siquis ergo ejusmodi *familiari disputatione* alterum aut *docere*, aut *confutare* velit, oportet eum sequentibus Regulis uti. I. *Debet se rei, de qua agitur, aut omnino imperitum simulare, aut quasi vix summa quædam Capita sciat*, quod ita faciendum est, ut *ironia* lateat. II. *Minutatim illum, quocum sic disputat, interroget, & analytice* (CCXXXI.) *paulatim, quasi illum minime sentientem ad veritatem reducere conetur.* III. *Tum vero ejus responsa humane & suaviter excipiat, indolem, capacitatem & perspicacitatem sui tyronis laudet, & magnam se de illo spem animo concepisse dicat.* IV. *Caveat a verbis paulo asperioribus, attentionem illius turbare valentibus* (CCCLXI.) V. *Postquam omnia laudaverit, ejus responsa, velut quæ minus intelligat, ad limam revocet, examinetque acute quidem, sed humanissime, sicque pergat eo usque, donec is, quocum disputat, fateatur se victum.* Unde Socrates dicere solebat, se nihil scire, sed efficere tantum interrogando, ut adolescentes, quæ scirent, proferrent, adeoque *se obstetrici similem esse, quæ non pariat, sed alias ad*

 par-

parturiendum adjuvet. Et sane ad docendos Juvenes, pressæ disputationis nondum capaces, *utilissima* etiam hodiedum Methodus ista esse valet, si docens ea dextre utatur. Interim tamen

Disputationis Syllogisticæ usus.

CCCLXXII. Omnium utilissima est DISPUTATIO SYLLOGISTICA, si rite instituatur, *Hæc* enim, ut loquitur Cl. PETRUS DE CROSA citatus a Cl. P. FORT. A BRIX. *Log. P.* 4. *Sect.* 4. §. 545. *promptam tum ad cogitandum, tum ad eloquendum facultatem conciliat, acuit ingenium, & judicium in veri a falso discretione roborat.* Sicut *nihil* econtra *est ea perniciosius, si quis ea abutatur; disputandi namque habitu evadunt multi impudenter audaces, fastidiose superbi, moleste garruli, & pertinaci contradicendi studio intolerabiles &c.* Hoc igitur *postremum* ut evitetur, illud vero *prius* ut acquiratur, sequentes oportet sequi *Regulas* tam *Generales*, quam *particulares.*

Et Abusus.

Disputandi regulæ generales.

CCCLXXIII. REGULÆ DISPUTANDI GENERALES sunt istæ. I. *In omni disputatione ad* VERITATEM *eruendam unice*

unice incumbatur, & omnis eo solummodo dirigatur finis, ut vel *ignotum* detegatur, vel *obscurum* explicetur, hinc nec est disputandum de *evidentibus*, vel *captum nostrum superantibus*, nec etiam cum illis, qui imprudenter *de rebus omnibus dubitant*, sed istis satius est antiquum illum sermonem reponere; HÆC MIHI VIDENTUR, ILLA VERO TIBI. II. *Disputantes sibi vere contradicant*, ne scilicet more vetularum in rixas incidant, & *de lana caprina* disceptent, hinc ante disputationem *clare* explicetur, *de quo* disputandum sit, inutilesque *digressiones* evitentur, nec disputandum de *nomine*, ubi constat de *re*: quisquis hoc facit, si *ex imperitia* faciat, *docendus* est, si ex *malitia*, deserendus. III. *Disputantes sint vacui ab omnibus turbulentis affectibus*, *ira præsertim & invidia*, nec sint amplius *scholasticæ concertationes*, ut illæ fuerunt, in quibus, ut *se meminisse* dicit Cl. ANT. GEN. *Log. L.* 5. *C.* 9. §. 3. *Cum esset puer*, AD PUGNOS *etiam ventum est*, sed potius disceptantes sint *in colloquio mites*, *in audiendo quieti*, *in docendo officiosi*, *in respondendo blandi*, ac denique *ab immode-*

 stis

stis clamoribus quam maxime alieni, sicut enim ad excitandos *inordinatos animi motus* nihil aptius est, quam ejusmodi *validæ vociferationes*, ita quoque nil magis impedit, quominus VERITAS inveniatur, quam illæ ipsæ, unde sapienter olim monebat ANTISTENES: *Contradicentem docere oportet, non contradicendo compescere; nam neque insano, si vicissim insaniat, aliquis medebitur.*

Pro Argumentante.

CCCLXXIV. REGULÆ PRO OPPONENTE itidem GENERALES a Cl. P. GARNIER *Organ. Phil. P.* 2. *Disp.* 2. *Sect.* 2. sequentes præscribuntur. I. Sit in eo maturum ac prudens *judicium* in *thesi* eligenda, II. *Subtilitas ingenii* in excogitando *argumento*, III. *Claritas*, & *brevitas* dictionis in *proponendo*, IV. *præsentia mentis* in *instando* V. *Urbanitas* & humanitas in *agendo.*

REGULÆ SPECIALES sunt, I. opponens *directe* probet, quod sibi a defendente negatum est, II. *unicum* assumat *medium*, vel si *plura* etiam assumere velit, statim ab initio aptam *distributionem* faciat, qui autem *temere*, an-

antequam integra solutio data est, medium mutat, per hoc *famæ* suæ detrahit, quia auditoribus ostendit, se leviter in eo versatum esse. III. Attendat, ne *consequens* probet pro *consequentia* (CLXVI.) aut ne petat *principium.* (CCXXVI.) IV. Nil *falsum* vel *dubium* pro *vero* assumat, ne ad illud probandum debeat eo ipso *mutare medium.* V. Soluta difficultate quiescat, quia suum tunc disputatio *finem* habet (CCCLXXIII.) nec ad *imperitorum plausum* captandum per plurima minuta antiquam crambem cum doctorum nausea defendenti recoquat. VI. Si etiam *victoriam* in se inclinare sentiat, importune defendentem non urgeat, ut se victum fateatur, sed argumenti vim *eruditis* se ostendisse contentus, altercari desinat, *ne rem bene inductam ad discutiendum inconditus pervicaciæ clamor explodat, etiam cum laceratione animorum, plerumque dissimulata, interdum & aperta*, ut loquitur S. AUGUSTINUS *L.* 2. *Soliloq. C.* 7.

CCCLXXV. REGULÆ PRO DEFENDENTE GENERALES ex eodem Cl. P. GARNIER *loc cit.* & requisita prima- Pro defendente.

maria sunt ista I. felix & prompta *memoria* pro repetendis *Syllogismis* ab opponente propositis, II. *Vis ingenii* in discernendo *vero* a *verisimili*, III. *celeritas* in inveniendis *instantiis* (CCCLVII.) IV. *Soliditas* in *rationibus*, quibus confirmet ea, quæ concedit, V. *Claritas* in *distinctionibus explicandis*, VI. *Vigor* in refellendo adversario, si quando defendens occasionem videt eum refutandi. VII. *Latinitatis peritia*, verborumque *copia* in eloquendo. VIII. *Humanitas* & *Modestia* in respondendo.

Regulæ Speciales sunt I. *Defendens* prompte ac *fideliter* reassumat, seu repetat *integrum argumentum* ab opponente prolatum, vel, si longius sit, ita *contrahat*, ut nihil tamen roboris eidem detrahat. II. Deinde argumenti propositionibus singillatim respondeat, *falsas* neget, *veras* concedat, *ambiguas* distinguat, & eas, quæ *ad rem non faciunt*, transmittat. Juxta illud vulgare: Concedo, nego, distinguo: Sic omnia solvo. III. Quandoque, si potest, respondeat etiam per *instantiam*, *retorsionem*, aut *inversio-*

sionem (CCCLVII.) ita tamen, ut deinde pariter *directe*, seu, ut ajunt, *in forma* solutionem addat. IV. Si argumentans a proposita thesi dilabatur, negando *suppositum*, iterum statum quæstionis exponat, illumque blande revocet; secus, si res ultra protrahatur, ambo abibunt *in tenebras*, atque difficillime inde *ad clara* revocari poterunt, hinc attente singula opponentis argumenta consideret, nullumque terminum transmittat *obscurum* vel *ambiguum*, sed petat *explicationem* illius. V. Si *quæstio* proponitur ab opponente, aut *Hypothesis*, eam repetat his verbis: *quæritur ex me*, vel *supponitur &c.* VI. Si argumentum laboret *fallaciâ*, melius est *distinctione* uti, quam concessis præmissis negare consequentiam, præcipue si argumentans sit vir *magnæ authoritatis.* VII. Si *falsam Hypothesin* pro *vera* adducat opponens, ostendatur, in ea *peti principium*, aut involvi *contradictionem.*

CCCLXXVI. *Scholion.* Vulgo equidem inter piacula reputatur, & defendenti vitio vertitur, si ea, quæ semel *falso* etiam concessit, denuo neget:

get: ast aliter sentit S. AUGUSTINUS *L.* I. *de Acad. C.* 3. ubi ad *tyrones* sic loquitur: *Ad ea, quæ temere concessa sunt, rursum redire, hoc non solent concedere illi, quos ad disputandum non inveniendi* VERI *cupiditas, sed* INGENII *puerilis* JACTANTIA *impellit: itaque apud me, præsertim cum adhuc nutriendi, educandique sitis, non solum conceditur, sed etiam* IN PRÆCEPTIS *habeatis volo, ad ea vos discutienda redire oportere, quæ concesseritis incautius*, ita Doctor ille insignis.

Logicæ Criticæ Finis.



LO-

LOGICA DISPUTATRIX,


SEU

EXERCITATIONES SCHOLASTICÆ

IN

LOGICAM THEORETICO-CRITICAM.

Collige te ipſum, &, dum Juvenis es, diligentius te EXERCE *in ea diſciplina, quæ multis garrulitas videtur; alioquin veritas fugiet te.* Ita PARMENIDES *ajebat* SOCRATI.



PRÆFATIO.

Sunt moderno sæculo non pauci Philosophi, nedum ex PROTESTANTIBUS, sed etiam e CATHOLICIS, qui omnem ex LOGICA *disputationem*, concertationemque abesse cupiunt, ea potissimum de causa, quod illa nonnisi meras *regulas* ex terminis notas; & intimo sensu cognitas tradat, de quibus dubitare, multumque disceptare idem sit, ac tempus pretiosum, aliisque rebus *utilioribus* impendendum, *inutiliter* consumere; ast pace horum Virorum Clarissimorum dixero, sua plane *utilitate* ejusmodi concertationes scholasticas, etiam in Logica institutas, ita non carere, ut plurimum quoque conferant ad *juvenes* philosophos *exercendos*, eorumque *acuenda ingenia*, *judiciaque* consolidanda,

si debitæ ac disputando præscriptæ Leges (CCCLXXIII.) exacte serventur, sine quibus utique inanes, & per integros dies protractas *aniles* altercationes obesse magis quam prodesse ipsius judico. Curandum ergo, ut in scholasticarum Concertationum numero atque pondere certa ratio, moderatioque servetur, *ne* scilicet (ut præclare monuit Aristo apud Stobæum Serm. 82.) *propter exiguum alimentum circa crustas plurimas, non secus, ac qui cancros edunt, occupemur.* Qua de causa *moderate* quoque, nec nisi super rebus *congruis*, materiisque *utilioribus* Methodo disputatoria, quam scholæ Catholicorum jam per sæcula fere quinque diligenter frequentarunt, ad *exercendos* Philosophiæ tyrones, eorumque *linguas aperiendas*, hic progrediar, & quidem *ordine* hucusque servato, apponendo videlicet Exercitationes scholasticas, singulis in *Logica Theoretica* pertractatis partibus correspondentes, ut sequens exhibet

ELEN-

ELENCHUS EXERCITATIONUM SCHOLASTICARUM

IN

LOGICAM THEORETICAM.

IN PROLEGOMENA PHILOSOPHIÆ.

Exercitatio I. An detur in hac vita vera philoſophia?

Exercit. II. An Adam infuſam habuerit philoſophiam?

Exercit. III. An liceat Chriſtiano philoſopho philoſophari poſthabita S. Authoritate?

IN PROLEGOMENA LOGICÆ.

Exercitatio I. An Logica ſit ſcientia vel ars?

Exercit. II. An Logica ſit ſcientia Theoretica vel practica?

Exercit. III. Quodnam ſit Logicæ objectum?

EXERCIT. IV. An habitus Logicæ docentis & utentis realiter distinguantur?

EXERCIT. V. An, & quomodo Logica sit necessaria ad alias scientias addiscendas?

IN I. PARTEM LOGICÆ IDEALEM.

EXERCITATIO I. An in aliquo sensu dentur Ideæ innatæ?

EXERCIT. II. An detur Idea falsa?

IN II. PARTEM LOGICÆ JUDICATIVAM.

EXERCITATIO I. An propositio vera possit in falsam transire?

EXERCIT. II. An propositiones de futuro contingente absoluto sint determinate veræ vel falsæ, præscindendo a decreto Divino?

IN III. PARTEM LOGICÆ DISCURSIVAM.

EXERCITATIO I. An Syllogismus sit in scholis Catholicorum retinendus, an vero ex illis eliminandus?

EXER-

EXERCIT. II. An Intellectus, dato semel assensu præmissis, in omni materia necessitetur ad inferendam conclusionem?

IN LOGICAM PRACTICAM, SEU CRITICAM.

EXERCITATIO I. An veritatis criterium in *universali dubitatione* cum Cartesio statui possit?

EXERCIT. II. An saltem ejusdem Cartesii *Idea clara & distincta* veritatis criterium dici valeat?

EXERCIT. III. Quodnam sit genuinum ac universale veritatis criterium?

EXERCIT. IV. An scientia, fides, & opinio possint simul stare in eodem intellectu de eadem re?



IN PROLEGOMENA PHILOSOPHIÆ.

EXERCITATIO I.

AN DETUR IN HAC VITA VERA PHILOSOPHIA?

Status quæstionis.

PHILOSOPHIAM supra definivimus, quod sit SCIENTIA *rerum Divinarum & humanarum &c.* (III.) Vel: quod sit *possibilium*, aut *rationis sufficientis* SCIENTIA (IV.) ex *origine* vero *nominis* diximus, eam esse AMOREM SAPIENTIÆ (III.) quoniam autem, ut pariter dictum est (XII.) ACADEMICI, SCEPTICI & ACATALEPTICI docebant, nullam in hac vita dari *scientiam*, hoc est, nihil *certo* ac *evidenter* cognosci posse; hinc contra ejusmodi philosophos (quorum aliqui in ANGLIA præsertim & HOLLANDIA adhuc superesse dicuntur) in præsens inquiritur, an in Philosophia vera detur rerum (si non *omnium*, saltem *aliquarum* aut *multarum*) SCIENTIA, & consequenter an in hac vita vere, & in sensu mox dicto accepta detur PHILOSOPHIA?

Scho-

Deliria Scepticorum.

Scholion. PYRRHO unus e præcipuis SCEPTICIS (a quo isti etiam dicti sunt PYRRHONICI) negata omni SCIENTIA, profitebatur *se dubitare de omnibus*, quæsitusque, an non saltem *sciret*, se *dubitare*? etiam de hoc, an scilicet *vere* dubitet? dubitare se reposuit; quin eo quoque dementiæ pervenit, ut nulli belluæ in platea occurrenti e via cederet, identidem dubitans, an non a *sensibus*, belluam forsan sibi, ut in somnio contingit, repræsentantibus, *illusionem* pateretur. Pariter CRATILLUS ejusdem sectæ, vel potius insaniæ assecla præfricte asseruit, nihil prorsus de rebus in hac vita apparentibus *pro certo* affirmari posse ob perennem earum fluxum ac *mutabilitatem.* Sic e. g. de *horto*, quod *floreat*, dici non posse ajebat, quia scilicet continuo timendum esset, ne flores in horto citius *perirent*, quam verba loquentis transiissent: unde & *verbis* omnino abstinuit, solo nutu, motuque digiti usus ad indicanda animi sui sensa. Jam contra hæc deliria ponitur

PROPOSITIO.

DATUR IN HAC VITA VERA PHILOSOPHIA.

Dari Philosophiam probat ejus definitio,

PROBATUR I. (*a definitione philosophiæ*) Philosophia est *scientia*, hoc est, certa & evidens cognitio rerum (si non *omnium*, saltem *multarum*) divinarum, & humanarum: atqui talis cognitio datur in hac vita: ergo datur vera philosophia. p. m. evidenter certa sunt 1. prima principia: *impossibile est idem simul esse*, & *non esse*. *Totum est majus sua parte*, *nihil fit absque ratione sufficienti* &c. 2. *Existentia Dei*, rerumque *corporearum*, ab ipso creatarum. 3. Existentia *actuum mentis nostræ*, ut sunt *intelligere*, *velle*, *reminisci* &c. de quibus omnibus in genere agit METAPHYSICA, seu, ut ab aliis vocatur, PHILOSOPHIA PRIMA. 4. Evidenter etiam demonstratur, *ex uno*, *vel pluribus particularibus non posse inferri conclusionem universalem*, *quemlibet Syllogismum constare debere ex tribus terminis*, ut pateat *identitas duorum in tertio*, *definitionem debere fieri ex genere proximo*, & *differentia ultima*

ma &c. quæ omnia pertractat LOGICA. 5. *Aerem* ex natura sua esse *gravem*, *Eclypsin Lunæ* fieri propter interpositionem terræ solem inter & lunam &c. quæ PHYSICA demonstrat. 6. *Omnes actus nostros ad Deum referri debere*, quia Deum diligere debemus super omnia, & cætera tantum propter ipsum; *omnem* econtra *flagitiosum esse miserum*, quia videlicet se avertit ab *ultimo fine* suo, qui Deus est &c. quod ETHICA ostendit: ergo in hac vita datur certa & evidens cognitio rerum *multarum* divinarum & humanarum, ac consequenter VERA PHILOSOPHIA (CCCXXXIII. 1.) A ex philosophiæ decursu ad oculum patebit.

PROBATUR II. (*Experientia*) 1. Innumeræ ubique terrarum inveniuntur ACADEMIÆ, in quibus PHILOSOPHIA defacto docetur ac discitur. 2. Infiniti propemodum de rebus philosophicis conscripti sunt LIBRI, in quibus mentes sagacitate præditæ complures legent scientificas cognitiones. 3. Tot Philosophiæ PROFESSORES & STUDIOSI de rebus, etiam sensibus imperviis peritissime discurrunt &c. atqui hæc omnia fieri non possunt sine Philo- Et Experientia.

Philosophia, ut de se patet: ergo datur in hac vita vera philosophia. Confirmatur hoc *dilemmate* contra Academicos. Vel Academici certo & evidenter sciunt, non dari scientiam, vel id *non sciunt*? si *sciunt*: ergo habent *scientiam*, eo ipso, quod *sciant*, non dari *scientiam*, sicque cum Socrate possunt vere dicere: *hoc unum scio, me nihil scire*. Si *non sciant*: ergo hoc ipso *temere* negant, quod tot viri peritissimi affirmant, & demonstrant. Dein fatentur illi, quod sciant *verisimilia*: ergo etiam *vera nosse* debent; quomodo enim scire possent, aliquid esse alteri *simile*, nisi prius noverint illud, cui *assimilatur*?

Ac propria quoque Academicorum confessio.

Solvuntur Objectiones.

Satisfit authoritati S. Scripturæ.

OB. I. *Ex authoritate S. Scripturæ*. Si daretur in hac vita vera Philosophia, tunc posset dari certa & evidens ratio operum Dei, quæ fiunt sub sole: atqui non potest dari certa & evidens ratio operum Dei, quæ fiunt sub sole: ergo in hac vita non datur vera philosophia. P. m. *Eccl.* 8. ℣. 17.

aperte

aperte dicitur: *quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, &, quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat*: ergo non potest dari certa & evidens ratio operum Dei, quæ fiunt sub sole. R. D. M. posset dari certa & evidens ratio *multorum* operum Dei, quæ fiunt sub sole, C. M. *omnium* operum Dei, quæ fiunt sub sole. N. M. & D. m. atqui non potest dari certa & evidens ratio *omnium* operum Dei C. m. *multorum* operum Dei. N. m. & sub data distinctione N. consequens & consequentiam. Ad *probationem* D. A. & sacer textus tantum vult, quod non possimus comprehendere *ordinem Divinæ providentiæ*, quo Deus res creatas hoc vel illo modo in mundo disposuit. C. A. in alio sensu N. A. & *consequentiam*. Simulque adduco verba S. Hyeronimi, hunc locum ita interpretantis: *Qui quærit causas, rationesque rerum, quare hoc vel illud factum sit, & quare mundus variis gubernetur eventibus, cur alius cæcus, alius debilis, alius videns nascatur & sanus? nihil aliud proficit, nisi in sua tantum quæstione torquetur, nec tamen invenire valet, quod quærit.*

Ob. 2.

Vita nostra non est perpetuum somnium.

OB. 2. *Ex paritate*, cum *Academicis*. In *somnio* non datur ullius rei cognitio certa & evidens, sed mera *sensuum illusio*: ergo etiam in vita nostra, quæ respectu vitæ futuræ est merum somnium, &, ut Apostolus inquit, ÆNIGMA, non datur cognitio certa & evidens, sed omnia tantum sic *apparent*, velut etiam *dæmones* agunt cum *sagis* v. g. quibus cibos, mensas, & palatia apparentia ostendunt, quæ tamen re ipsa non sunt: consequenter neque dabitur vera Philosophia. R. N. C. & *paritatem*. *Disparitas* est, quia in *somnio* omnes *sensus* nostri (quibus anima pro hoc statu conjunctionis cum corpore ad cognoscendum indiget) sunt *ligati*: econtra nos loquimur de *vigiliarum* tempore, ubi *sensus* sunt rite *dispositi*, sic enim ea omnia quæ mediantibus sensibus evidenter cognoscimus, *ex se* non esse, sed *ab alio* procedere debere cognoscimus, indeque DEI, tanquam ENTIS A SE existentiam inferimus, hæc porro ipsa Dei existentia perfectissima probat, ea, quæ *vigilantes*, & per sensus rite dispositos cognoscimus, esse *realia*, & non tantum mere *apparentia*; dedecet enim summam supremi

illius

illius *Numinis bonitatem* delectari in nobis perpetuo *fallendis*, *Magorum* ac *Histrionum* in morem.

Instas. Atqui non dedecet Deum quandoque fingere, nosque decipere; ergo data disparitas nulla est. P. *subs.* A. *Luc.* 28. Christus Dominus actu se *finxit peregrinum* euntibus in Emmaus, & B. MARIÆ MAGDALENÆ sub specie *Hortulani*, item alibi discipulis apparebat ut *phantasma* &c.: ergo non dedecet Deum quandoque fingere. R. N. *subs.* A. Alias enim posset Deus etiam *mentiri*, quin & *peccati author* existere, quod sine blasphemia dici non potest. Illud igitur, quod legitur Luc. 28. fecit TANQUAM MYSTERIUM, dum scilicet ad breve tempus sese occultavit intuentium oculis, *apparendo sic foris, qualis apud illos fuit in cordibus*, prout illum locum exponit S. GREGORIUS. Similiter ad 2*dum* & 3*tium* responderi potest, neutiquam vero homines FALLENDI CAUSA.

OB. 3. *Ex ratione 1ma.* SCIENTIA (consequenter & PHILOSOPHIA) debet esse cognitio *certa*: atqui in hac vita ne- Ex sensibus haberi potest cognitio certa.

nequit dari cognitio *certa*: ergo nec datur scientia philosophica. p. m. Omnis cognitio procedens a *principio incerto* nequit esse certa: atqui in hac vita omnis nostra cognitio procedit a principio incerto: ergo nequit esse certa. p. m. Omnis nostra cognitio in hac vita procedit a *sensibus*, juxta illud commune Axioma: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit sub sensu*: atqui cognitio procedens a *sensibus* est incerta & fallax; quia sæpius res aliter intellectui per sensus repræsentantur, ac sunt: ergo in hac vita omnis nostra cognitio procedit a principio *incerto*. R. N. m. ad P. N. m. ad hujus P. D. M. Omnis cognitio dependet a sensibus vel *mediate* vel *immediate* C. M. semper *immediate* sub d. si sint res mere *corporeæ* & *materiales* C. M. si sint *immateriales* & *spirituales* N. M. *Hæ* enim *per se intelliguntur, non quia speciem faciunt in sensu, sed per reflexionem intellectûs*, ut loquitur Scotus Q. 3. *universal.* n. 3. & D. m. cognitio procedens a sensibus est incerta, si desint *conditiones* ad rectam sensationem requisitæ C. m. si adsint N. m. & C. Conditiones autem debitæ supra explicatæ sunt (CCXCV. & CCXCVI.)

dein

dein fallax cujuslibet sensûs apprehensio *corrigi* potest vel per alterum *sensum*, sicut v. g. *visus* deceptus circa baculum, in aquis *curvum* apparentem, corrigitur per *tactum*, vel etiam per *reflexionem intellectûs*, utpote cui ex officio competit aberrantes sensus emendare.

Inst. 1. Intellectus nullum habet certum principium, quo fallacem sensuum apprehensionem emendare possit, & certo judicare, quisnam sensuum in præfato exemplo v. g. erret, num scilicet *oculus*, num vero *tactus*; ergo data responsio non subsistit. R. N. A. Intellectus enim, inquit præfatus Doctor Subtilis *in* 1. *Dist.* 3. Q. 4. *N.* 11. indito sibi a natura lumine cognoscit veritatem hujus propositionis: *Nullum durius frangitur, nec curvatur ad tactum alicujus mollis sibi cedentis.* Ex quo sic infert: *atqui baculus est durior aqua*, quia hæc illi cedit, prout uterque sensus, id est tam *visus* quam *tactus* indicat, ideoque concludit: *ergo baculus in aqua non curvatur, ac proinde visus decipitur, non tactus.*

Inst. 2. Ipsum etiam intellectûs judicium incertum est & fallax: ergo adhuc ille nequit esse certum veritatis principium. P. A. Experientiâ constat, quod intellectus quandoque illud ipsum ut *verum* approbet, quod prius ut falsum reprobaverat: ergo &c. R. D. A. incertum est &c. circa ea, quæ per *verum & legitimum discursum* non novit, sed tantum per aliquam *conjecturam*, vel *probabilem rationem* C. A. circa ea, quæ per *demonstrationem* novit. N. A & C. Regulæ, quibus innotescit, intellectum *certo* judicare, sunt *discursus legitimus* & *proba demonstratio*, facta juxta leges circa *fontes veritatis* in *Logica Practica* statutas ac declaratas.

Res naturales sunt immutabiles quoad essentiam.

OB. 4. *Ex alia ratione.* Omnis SCIENTIA (consequenter etiam PHILOSOPHIA) debet habere objectum *immutabile* ac *necessarium* (quia *scientia* est *cognitio certa rei necessariæ &c.*) atqui in hac vita nullum datur objectum *necessarium* & immutabile: Ergo nulla datur in hac vita *scientia Philosophica*. P. m. Objectum Philosophiæ essent res *naturales*: atqui res naturales non sunt *necessariæ* & *immutabiles*, sed mere *contin-*

tingentes: ergo nullum datur objectum Philosophiæ certum, & immutabile. R. N. m. ad P. D. m. atqui res naturales non sunt immutabiles quoad *existentiam* C. m. quoad essentiam. N. m. & C.

Inst. 1. Atqui res naturales non sunt immutabiles, etiam quoad essentiam: ergo manet argumentum. P. m. subs. Illud non est immutabile quoad essentiam, cujus essentia est corruptibilis: atqui essentia rerum naturalium v. g. corporum, est corruptibilis: ergo res naturales non sunt immutabiles quoad essentiam. R. N. m. *subsumptam* vel N. *assumptum.* Ad probationem D. m. Essentia *particularis* & *physica* &c. est corruptibilis C. m. essentia *universalis* & *metaphysica.* N. m. & C.

Inst. 2. Etiam essentia rerum naturalium universalis seu Metaphysica est corruptibilis, atque mutabilis: ergo nulla distinctio. p. A. Quod libero Dei subjacet arbitrio, illud omne est corruptibile, atque mutabile: sed essentia rerum naturalium etiam universalis seu Metaphysica libero Dei subjacet arbitrio: ergo. R. N. A. Ad p.

 D. m.

D. m. Essentia rerum naturalium subjacet libero Dei arbitrio, ita ut ab eo recipiat, vel non recipiat in tempore *existentiam physicam*, seu positionem extra suas causas in rerum natura C. m. ita ut sit *talis* vel *talis* essentia *possibilis*, N. m. & C. Et *explico distinctionem*: Nempe homo v. g. potest quidem *existentiam* acquirere nascendo, vel eam moriendo deperdere, nequit tamen ille esse aliud *essentialiter*, quam *animal rationale*, quæ duo sunt ejus *prædicata essentialia*. Itaque licet, dum v. g. aliquis homo *particularis* moritur, revera pereat in ipso humana natura *singularis* & *physica*, sicut & perit illius *existentia physica*; nihilominus tamen eadem natura humana integra perseverat *in communi*, in aliis videlicet hominibus subsistentibus, respectu quorum *universalis* est, ut in *Metaphysica* magis patebit, & consequenter *homo*, omnesque res naturales, secundum *essentiam* spectatæ, hoc est secundum *notas* suas *characteristicas*, & *prædicata essentialia*, ipsamque *definitionem*, sunt *æternæ*, *necessariæ*, & *immutabiles*, quatenus scilicet *ab æterno*, & *in æternum* necessario ac immu-

tabi-

tabiliter semper v. g. verum erit dicere: *homo est animal rationale.*

Inst. 3. Essentia rerum naturalium pendet essentialiter a Deo, non solum ut recipiat *existentiam*, sed etiam ut sit *possibilis*: ergo manet argumentum. p. A. Illud pendet essentialiter a Deo, ut sit *possibile*, quod ita constituitur possibile per omnipotentiam Divinam, ut sine illa non intelligeretur possibile: atqui essentia rerum naturalium est talis: ergo. R. N. A. ad p. D. m: constituitur possibilis per omnipotentiam Divinam possibilitate *proxima*, *extrinseca* & *secundaria*, sive quæ includit *existentiam*. C. m. possibilitate *intrinseca*, *primaria* & *radicali*, quæ consistit in sola *attributorum non repugnantia*. N. m. & C.

Inst. 4. Omnis creaturarum perfectio essentialiter dependet ab omnipotentia Divina: ergo etiam radicalis & primaria creaturarum possibilitas, tanquam aliqua creaturarum perfectio, dependet ab omnipotentia Divina. R. D. A. omnis creaturarum perfectio *positiva* & *actualis* C. A. *negativa* tantum & *potentialis*, hoc est *mera attributorum non repugnantia* N. A. & C.

Inst. 5. Rerum naturalium essentia, etiam ut mere possibilis vel est *creata* vel *increata?* quidquid dicatur, erit contra nos: ergo manet, quod sit mutabilis. p. m. Si est *creata*, tunc eo ipso libere a DEO dependet, & consequenter ab eo potest *mutari:* Si est *increata*, tunc non amplius manet *creatura*, sed fit formaliter DEUS: ergo. R. N. m. & dico, quod essentia rerum ut *possibilis* præcise nec sit creata, nec increata, sed *non creata*, id est *non dependens* in mera sui *possibilitate*.

Inst. 6. Ergo eo ipso essentia rerum ut possibilis esset increata. R. D. *Illatum*, esset increata *negative*, seu potius *infinitanter*, id est *non creata* (LXXXVIII.) sive non dependens in mera sui possibilitate, sed *abstrahens* a creatione aut productione C. *Illatum*. Esset increata *positive*, per modum alicujus *existentis ab æterno*, sicut DEUS existit N. Illatum.

Inst. 7. Esse *increatum negative* est *esse a se ipso negative:* atqui essentia rerum naturalium dici nequit *a se ipsa negative*; hoc enim est soli DEO proprium; ergo neque dici potest increata

ta negative. R. D. m. dici nequit a se ipsa negative *existens* C. m. mere *possibilis* N. m. & C. Illud *prius* utique soli Deo competit, non autem *secundum*, quod tantummodo *meram non repugnantiam* dicit ab æterno.

Inst. 8. *Existentia* creaturarum dici nequit *a se ipsa*, etiam *negative* tantum: ergo etiam earum *essentia* ut possibilis dici nequit a se ipsa *negative tantum*. R. N. C. & *paritatem*. Disp. est; quia omnis creaturarum *existentia* dicit translationem a statu *possibilitatis* ad actualem statum *productionis*: *producere* autem *semetipsam* nulla creatura potest, sed indiget necessario *causa superiori producente*: econtra rerum *possibilitas* nihil aliud est, quam mutua *attributorum* inter se *non repugnantia*, atque ideo, cum nihil *positivi* in se contineat, manet talis per se *independenter ab omni causa positiva*. Nempe *homo* v. g. est *animal rationale* sine omni causa, id est, etiamsi nunquam *physice producatur*, *existere* tamen in rerum natura nequit sine *causa sui productiva*.

Inst. 9. Mutua attributorum inter se non repugnantia, sive attributorum

rei inter se consensio intelligi nequit sine *unione* plurium sibi cohærentium: atqui talis unio venit a causa uniente, scilicet Deo: ergo rerum possibilitas adhuc dependet a Deo. R. D. M. intelligi nequit sine unione *potentiali* seu *in actu primo* C. M. sine unione *actuali*, seu *in actu secundo*. N. M. & D. m. Atqui talis unio *actualis* venit a causa uniente C. m. unio mere *potentialis*, & *abstrahens* ab omni existentia. N. m. & C.

Etiam res universales certo cognosci queunt.

Ob. 5. *Ex ratione tertia.* Philosophia est cognitio rerum *universalium*: atqui res universales *certo* cognosci non possunt: ergo non datur Philosophia. p. m. Si res universales certo cognosci possent, tunc aliqua propositio universalis de rebus singulis sub eodem genere contentis posset affirmari v. g. *omnis ignis est calidus*: atqui hoc fieri non potest: ergo. p. m. Ad hoc requireretur omnium singularium enumeratio & cognitio: atqui (saltem *moraliter* loquendo) impossibile est, omnia singularia sub aliquo universali contenta cognoscere & enumerare, cum sint vix non *infinita*: ergo. R. N. m. certo enim cognosci

cuntur hæ propositiones *universales*: *omne totum est majus sua parte*: *omnis homo est rationalis* &c. ad p. N. m. ad hujus prob. D. M. Requireretur omnium singularium enumeratio quoad propositiones *in materia contingente* C. M. *in materia necessaria*. N. M. & D. m. Impossibile moraliter est circa propositiones in materia contingente Tr. m. in materia necessaria, N. m. & C. Cum enim in propositionibus *necessariis* prædicatum *essentialiter* conveniat subjecto, facile cognoscitur, quod *omnibus* & *singulis* individuis competat; alias natura a se ipsa deficeret, non sic in *contingentibus*.

Ob. 6. *Ab Experientia*. Si daretur in hac vita aliqua cognitio certa ac evidens, ea deberet esse *una* & *uniformis* in omnibus hominibus: atqui nulla datur ejusmodi cognitio uniformis: ergo non datur aliqua cognitio certa & evidens. p. m. Dantur tot & tam discrepantes Philosophorum opiniones, quorum unus negat, quod alter evidenter affirmat: ergo. R. Trans. M. N. m. ad p. D. A. Dantur tot discrepantes opiniones circa *probabilia*, & humano studio

Ex Philosophorum diversis sententiis non sequitur, nullam dari veram Philosophiã.

nondum plene manifestata C. A. circa certa & evidentia N. A. & C. Utique diximus supra, quod Philosophia non sit scientia *omnium*, sed *multarum* tantum rerum humanarum & divinarum &c. dein potest etiam uni *ingeniosiori certum* apparere, quod aliis *tardioribus*, vel *præjudiciorum*, aut *affectuum* errore delusis *dubium* videtur & econtra, ut in *Log. Pract. Dissert. I.* abunde declaratum est: Id autem non *Philosophiæ*, sed *hominum*, Philosophiæ nomine *inaniter gloriantium*, vitio usuvenit.

EXERCITATIO II.

AN ADAM INFUSAM HABUERIT PHILOSOPHIAM?

Status quæstionis.

PHilosophia hic dupliciter accipi potest. 1. *Quoad substantiam*, seu quatenus est *habitus scientificus cognoscendi res Divinas & humanas &c.* (III) in quo sensu ab aliis quoque accipitur pro *actuali*, *eoque recto rationis usu*, *rerumque naturalium notitia*. 2. *Quoad modum*, hoc est quoad *Methodum Systematicam*, prout defacto in

in publicis scholis & Academiis tradi solet. Et sic procul dubio Adamus illam non habuit, nec habere potuit, eoquod hæc Methodus primum a Græcis, Græcorumque successoribus introducta observataque fuerit. Quæstio ergo solum procedit de Philosophia in *priore* sensu accepta.

PROPOSITIO.

ADAM HABUIT PHILOSOPHIAM SIBI QUOAD OMNES PARTES INFUSAM.

Quod Adamo infusa fuerit Philosophia, probat Authoritas.

PROBATUR I. *Authoritate S. Script.* ECCLI. 17. expresse dicitur de primis nostris Proto-parentibus: *disciplina intellectûs replevit illos (Deus) creavit illis scientiam spiritûs, sensu implevit cor illorum, & bona ac mala ostendit eis:* atqui hæc verba clare indicant omnes 4. Philosophiæ partes (VII.) illis fuisse a Deo infusas: ergo ADAM habuit Philosophiam sibi quoad omnes partes infusam. p. m. Nam. 1. per *disciplinam intellectûs* indicatur LOGICA, utpote quæ tota est in tradendis regulis & præceptis, quibus *intellectus* instructus perfecte ratiocinatur. 2. Per

scien-

scientiam spiritus intelligitur METAPHYSICA, quia circa spiritus, naturali lumine cognoscendos, DEUM nempe, *animam rationalem*, & *angelos* versatur. 3. Per hæc verba: *sensu implevit cor illorum* (id est, animam eorum exornavit scientiis de rebus *corporeis*, ac *sensibilibus*) denotatur PHYSICA. 4. Denique per ultima verba: *& bona ac mala ostendit eis*, ETHICA seu *Philosophia moralis* aperte exprimitur, quia hæc circa *bonum* & *malum* cognoscendum intellectum dirigit, ut voluntas dein istud amplexetur, & hoc avertetur: ergo omnes 4. Philosophiæ partes Adamo infusæ fuerunt.

Et Ratio. PROBATUR II. *Ratione.* Primus homo creatus a DEO fuit *in statu perfecto quoad corpus*, ita ut statim posset novam sobolem *generare*: ergo pariter creari debuit in statu perfecto *quoad animam*, hoc est *cum naturalibus animi dotibus*. *Subsumo.* Sed Philosophia est una e præcipuis *humanæ mentis* naturalibus ornamentis seu dotibus: ergo decens fuit, ut cum ipsa, a DEO menti ipsius infusâ crearetur. P. C. *primi Enthymematis*, tum quia ex

una

una parte nihil *imperfectum* a DEO immediate proficiscitur, tum *ex altera parte*, quia debuit ADAMUS filiorum suorum esse *parens* simul & *Magister*, sibique & illis de necessariis servandi corporis & animi adminiculis prospicere, quod sine *scientia rerum naturalium* præstare non potuisset. CONFIRMATUR. Triplici tantum ratione potuit ADAMUS obtinere Philosophiam, nimirum vel *inventione propria*, vel *alterius instructione*, vel *infusione:* atqui eam nec inventione propria, nec alterius instructione obtinuit: ergo sola infusione. p. m. Tum quia ad id *longo* indiguisset *temporis* intervallo, nec proinde fuisset a DEO conditus *perfectus*, quod Divinæ *sapientiæ* repugnat, tum quia conveniens non erat, eum ab ANGELO erudiri, quem DEUS citra Angeli operam creaverat, ne vel *tantum*, vel fortasse *plus* se debere credidisset Angelo, qui *bene esse*, quam DEO, qui *esse simpliciter* tribuisset, ut ait Cl. PURCHOTIUS. *Exercit. Ontolog. Q.* 3. *Concl.* 1. tum denique quia mox postquam creatus est, imposuit *nomina* cunctis animantibus, ut patet ex *Genes.* 2. ergo debuit ipsorum animantium naturas novisse, & consequen-

quenter jam habuisse Philosophiam sibi *infusam*.

Solvuntur Objectiones.

Adam habuit infusam Logicam,

OB. 1. Adam *nullam* omnino sibi infusam habuit Philosophiæ *partem*, id est, nec *Logicam*, nec *Physicam*, nec *Metaphysicam*, nec *Ethicam*: ergo nostra thesis non subsistit. p. A. Quoad 1. *p.* LOGICA est scientia *instrumentalis* ad alias scientias inserviens: atqui Adam jam habuit *reliquas* scientias sibi infusas: ergo Logicam non habuit. R. N. A. quoad omnes partes. Ad *Prob.* 1. *P.* D. A. Logica inservit ad alias scientias vel *acquirendas*, vel *dirigendas* C. A. tantum ad *acquirendas* N. A. & C. Adam ergo indiguit Logicâ ad alias scientias secundum rationem *dirigendas*, ne scilicet circa illas discurrendo erraret.

Physicam.

Inst. 1. Adam non habuit *Physicam* sibi infusam: ergo 2da pars prioris Enthymematis subsistit. p. A. Si habuisset *Physicam*, debuisset cognoscere *naturam serpentis*: atqui non cognovit naturam *serpentis*: quia eum putavit

loqui

loqui posse; nec cognovit naturam *fructûs vetiti*, quem putavit causam *Divinitatis* existere posse: ergo non habuit *Physicam* sibi infusam. R.N.A. ad p. N. m. Adamus enim serpenti æque ac aliis animalibus conveniens nomen imposuit: ergo ejus naturam utique cognovit; quare illud additum *distinguo:* putavit eum loqui posse *supernaturaliter*, & saltem ab *extrinseco* principio Angeli moventis C. naturaliter & a principio *intrinseco*. N. Pariter dicendum de *fructu vetito*, de quo Adam suspicari potuit, quod is effectum *scientiæ Divinæ* producere valeat, non quidem *ex se*, & ex natura sua, sed *ex speciali beneplacito Divino*. Vel denique (quod verisimillimum est) *passione inordinata* abreptus protoparens, etsi cæteroquin in omnibus scientiis versatissimus (ut postea SALOMON egit) ad nihil horum attendit. Postremo non ADAM, sed EVA a serpente decepta fuit, ut inquit APOSTOLUS I *ad Timotheum* 2. *v.* 14.

Inst. 2. Adam non habuit infusam *Metaphysicam:* ergo 3tium membrum 1mi Antecedentis verum est. p. A.

Non

Non cognovit, DEUM esse *infinitum*, ac *immensum* quod tamen *Metaphysica* aperte demonstrat: ergo. p. A. quoad 1. *p.* putavit, se utut *creaturam* posse DEO per omnia *similem* evadere. Quoad 2. *p.* post peccatum coram DEO, per suam *immensitatem* ubique necessariò præsente, abscondere se posse putavit: ergo. R. N. A. cum p. ad hujus prob. D. 1. *p.* Putavit, se DEO posse similem evadere *perfecte* N. A. *imperfecte*, seu in quantum limitata entis creati natura permitteret, Subd. & hoc putavit *judicio maturo*; & *voluntate efficaci* N. A. Judicio *immaturo* & voluntate *inefficaci*, seu potius inordinato in se, & conjugem suam *amore excæcatus*, sicque ad malitiam peccati *non attendens*, sed in solo bono *delectabili* quiescens C. A. & N. C. ad *secundum membrum* iterum D. A. putavit se posse abscondere a facie Dei *sub forma humana* apparentis C. A. ab ejus *immensitate* N. A. sic etiam CAIN *Gen.* 4. dixit: *a facie tua* (DEI) *abscondar*.

Metaphysicam.

Inst. 3. Adam non habuit infusam *Ethicam*: ergo 4tum primi Enthymematis membrum subsistit. p. A. Ethica

Et Ethicam.

ea est *scientia boni & mali*: atqui hanc scientiam primum *quæsivit* ex impulsu serpentis: ergo eam prius non habuit. R. N. A. ad p. D. m. Quæsivit scientiam boni & mali *supernaturalem*, & *Divinæ* quodammodo similem C. m. *naturalem* & *ordinariam*. N. m. & C. Dein non ADAM ita seductus est a serpente, sed EVA, ut dictum est.

Dices. Quorum *oculi* post esum pomi vetiti *aperti sunt*, illi non habuerunt antea *scientiam* boni & mali: atqui ex *Genes. C.* 3. *v.* 7. *amborum oculi primum aperti sunt* post esum pomi vetiti: ergo. R. D. M. Quorum oculi aperti sunt, ut *novam* boni & mali, rerumque simul naturalium scientiam assequerentur, ii non habuerunt antea &c. C. M. quorum oculi tantum aperti sunt, ut suam *culpam* agnoscerent &c. N. M. & sic distincta m. N. C. Postquam Proto-parentes nostri peccaverunt, eorum oculi aperti sunt, ut suam culpam agnoscerent, tumque se nudos esse erubuerunt, & appetitum *sensitivum rationi* rebellem sunt experti, cum antea pars hominis *inferior* esset *superiori* subjecta, nec *caro adversus spiritum concupisceret*; Et Ethicam.

ideoque non sunt assecuti *novam* rerum naturalium, bonique & mali *scientiam*, sed prioris jam habitæ *usum* & *experientiam*, qua se cognoverunt nudatos & spoliatos omnibus dotibus & ornamentis innocentiæ, ac gratiæ originalis, quibus in sua formatione ditati fuerant.

Adam erravit voluntate, non Intellectu.

Ob. 2. Juxta commune axioma: *Omnis peccans est ignorans:* atqui Adamus peccavit: ergo fuit *ignorans*, & consequenter Philosophiam non habuit. R. D. M. Est ignorans *actu* & *practice*, hoc est, eodem modo in praxi se gerit, ac si ignoraret, quid sit *agendum*, & a quo abstinendum, C. M. est ignorans *habitu* & *speculative*, quasi non *sciret* ea, quæ sibi essent agenda N. M. & C. m. N. C. vel aliter D. M. Est ignorans seu errans in *voluntate* C. M. in *intellectu* N. M. &c. nempe conformiter illi: *video meliora, proboque* (in *intellectu*) *deteriora sequor* (*voluntate*)

Inst. Philosophia eo unice tendit, ut hominem ab *errore* immunem præstet: ergo si Adam habuisset Philosophiam non errâsset. R. D. A. Ab erro-

errore theoretico seu intellectûs C. A. ab errore *practico* seu voluntatis. Subd. nisi ipsa voluntas ex concessa sibi a DEO *libertate* illius effectum impediat C. A. si impediat. N. A. & C.

OB. 3. Si Adam habuisset infusam Philosophiam, ea fuisset specie alia quam nostra: atqui consequens est falsum: ergo & Antecedens. p. M. Habitus *infusus* specie differt ab *acquisito*; quia ille *supernaturalis*, hic vero *naturalis* est: atqui noster est *acquisitus*, ille autem fuisset *infusus*: ergo. R. N. M. ad p. D. M. Habitus infusus *per se*, & qui nullo studio naturaliter acquiri potest, ut sunt habitus *fidei*, *spei*, & *charitatis*, qui sunt *supernaturales quoad substantiam*. C. M. Habitus infusus *per accidens*, & solum *quoad modum*, sive qui potest *alio modo*, quam per infusionem obtineri, est specie diversus, N. M. & D. m. Ille fuisset infusus tantum *quoad modum* C. m. quoad *substantiam*. N. m. & C. Adamus nempe *potuisset* etiam habitum scientiæ Philosophicæ *proprio studio* comparare, si non a DEO ipsi fuisset infusa; sicut ergo *natura humana* in ADAMO, licet a solo DEO producta, non fuit *diversa specie* ab ea, quam nos a parentibus accipimus,

Ejus Philosophia fuit ejusdem speciei cum nostra.

Oo 2

mus, ita nec ejus Philosophia *specie diversa* a nostra dici debet.

EXERCITATIO III.

AN LICEAT CHRISTIANO PHILOSOPHO PHILOSOPHARI POSTHABITA S. AUTHORITATE?

Status quæstionis.

PRotestantes, cum nullum agnoscant S. Scripturæ, fideique *Judicem*, nisi suum quilibet *spiritum privatum*, Philosophiæ ac Theologiæ, id est, *rationis* ac *fidei* tribunal impermixtum esse contendentes, sub *Philosophicæ libertatis* prætextu dogmata non pauca orthodoxæ Religioni contraria in Philosophia, præsertim morali seu *Ethica*, docere audent, v. g. quod in Luna, aliisque planetis dentur *incolæ* rationales, quod omnes animæ *ab initio mundi* a DEO jam sint creatæ, & ovario Evæ inclusæ, quod inter animam & corpus detur *Harmonia præstabilita*, quod in statu naturæ lapsæ non detur vera *libertas*, quod homo in hac vita teneatur *commode & jucunde vivere*, quod *vita solitaria* ac Eremiti-

mitica repugnet *Juri naturæ*, quod spectato Jure naturali *supremo* in Republica *Magistratui* competat *Jus sacrorum &c.* Igitur contra hos Pseudo-Philosophos hic in limine Philosophiæ speciatim defenditur, quod necessario *Philosophia Theologiæ*, & *Ratio fidei ancilla* esse debeat.

PROPOSITIO.

NON LICET CHRISTIANO PHILOSOPHO PHILOSOPHARI POSTHABITA S. AUTHORITATE.

Etiam in Philosophia attendi debet ad S. Authoritatem.

PROBATUR ex dictis (CCLXXXI. item CCCXXIV. & seq.) Dein in SYNODO LATERANENSI sub LEONE X. celebrata ita definiit Pontifex: *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem, veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus & velut damnatissimas hæreses seminantes vitandos & puniendos fore decernimus.* Sicut & defacto damnata sunt a CONCILIIS OECUMENICIS hæresum multa dogmata Philosophica v. g. de *Dei existentia* & *unitate*; de

Mundi creatione, de *fato*, de *anima humana*, de *Hypostasi* sive *subsistentia* &c.

Quid ad S. Authoritatem spectet?

Corollarium. Cavendum igitur quam maxime est Christiano *Philosopho*, ne quidquam defendere audeat, quod S. SCRIPTURÆ, vel TRADITIONI manifeste adversatur, vel quod SS. PATRES ubique & semper, ac unanimiter pro certo ac evidenti habuere, vel denique quod Generalia CONCILIA, Romanique PONTIFICES in suis fidei formulis, decretis & judiciis, ab UNIVERSA ECCLESIA probatis concordi studio probarunt, & *pro fundamento dogmatis cujuscunque* posuerunt.

Solvuntur Objectiones.

De vero sensu S. Scripturæ sola Ecclesia judicare debet.

OB. I. Quando Deus in S. Scriptura de rebus mere *naturalibus* loquitur, plerumque tantum loquitur ad *sensum vulgi*: ergo in rebus pure Philosophicis S. Authoritas non est attendenda. p. A. *Genes.* I. Sol & Luna vocantur *Luminare majus & luminare minus*, cum tamen I. sol nullo modo sit *major*, quam *stellæ*, & *superiores planetæ*, 2. & *Luna* ne quidem

sit

sit *Luminare*, cum *proprium* ex se *lumen* non habeat, sed & ipsa quoque a sole illuminetur: ergo. R. D. A. Loquitur sæpe ad sensum vulgi, ita tamen, ut in casibus *dubiæ locutionis* interpretatio semper sit facienda *ad mentem* S. Matris Ecclesiæ C. A. ita ut cuilibet privato secundum *suam* mentem ac *phantasiam* interpretari liceat. N. A. & C. (CCCXXIV. 5.) ad *prob.* dico, quod sol vere sit *Luminare majus*, in eo sensu, quia terram nostram magis *illuminat*, quam omnes *stellæ* & *planetæ*: sic etiam de *Luna*, maxime si *plena* sit, dicendum est, undecunque dein *lumen* suum habeat, quod ad nos de nocte reverberat.

Ob. 2. Deus Philosophiæ Cathedram nunquam ascendit ad homines edocendos, sed potius *reliquit mundum disputationi eorum. Eccl.* 3. 11. : ergo S. Authoritas in Philosophia attendenda non est. R. D. A. Nec tamen etiam Deus in S. Scriptura unquam *mentitus* est, aut *falsum* docuit, C. A. mentitus est aut falsum quidquam docuit. N. A. & Retorq. Etiam Deus nunquam ascendit Cathedram *Chrono-*

Quæ habentur in S. Script. falsa esse non possunt.

nologiæ, *Historiæ*, & *Geographiæ*, nec tamen ipsimet Protestantes *civitatum*, *regionum*, *annorumque supputationes* alias assumere audent, quam quæ in S. Litteris exhibentur. Quod Deus reliquerit mundum *disputationi hominum*, intelligi debet *circa casus Divinæ providentiæ*, *ludentis in orbe terrarum*, ut supra in *Exerc.* I. ex S. HIERONYMO dictum est.

Textus S. Aug. non est contra nos.

Inst. Juxta S. AUGUSTIN. *non legimus*, *dominum dixisse*: *mitto vobis Paraclitum*, *qui vos doceat de cursu solis & Lunæ*. -- *Christianos facere volebat*, *non Mathematicos &c.* Ergo ex S. Authoritate nihil in Philosophia dicendum est. R. N. C. Illa enim argumentatione S. DOCTOR usus est contra Manichæos, ridicule ac lepide sic concludentes: *Christus promisit*, *se missurum spiritum S. ut nos doceret omnem veritatem* : *atqui Manes docuit nos omnia*, *media*, *suprema*, & *infima*, *cursum solis & Lunæ &c.* : *ergo Manes fuit spiritus S.* Ideoque allatus textus huc non quadrat.

Philosophia Neoterica S. Authori-

Scholion. Nihilominus cavenda quoque est Christiano Philosopho omnis superstitio, nimiaque & vana Religio-

ne

ne scilicet *naturalia* cum *supernaturalibus* ad *unum idemque* tribunal provocentur, & neglecta *ratione* veritates *pure philosophicæ*, quarum revelandarum Deo cura non fuit, ex S. *Scriptura* repetantur, qua superstitione seducti quidam *timidi*, putant nefas esse, *Recentiori Philosophiæ* animum applicare; eoquod credant, eam *veræ Religioni esse inimicam*, & cum ea reconciliari non posse; quasi vero STUDIUM SAPIENTIÆ RELIGIONI sit adversum, ac propterea intermittendum, *veterataque* inhærendum *ignorantiæ*! Videatur desuper egregius liber CL. P. UDALRICI WEISS *de Præjudiciis Religionis.*

tati ex se non contradicit.

EXERCITATIONES IN PROLEGOMENA LOGICÆ.

EXERCITATIO I.

AN LOGICA SIT SCIENTIA VEL ARS?

SCIENTIA conformiter definitioni supra traditæ (CCCXXXII.) hic sumitur pro *facultate*, seu *virtute intel-*

Status quæstionis.

tellectuali, *quæ in rei consideratione ita versatur*, *ut omnia*, *vel ferme omnia*, *quæ ea ipsa de re tradit*, *ex* CERTIS EVIDENTISSIMISQUE PRINCIPIIS *colligat*, *atque* DEMONSTRET. ARS vero, *in rigore* loquendo, eſt *habitus acquiſitus intellectûs* (ſive *virtus intellectualis*) *qui occupatur circa res* EXTERNAS, *ſive dein relinquat* OPUS *poſt ſe*, *ut v. g.* ARCHITECTURA, *ſive non*, *ut* MUSICA; quin etiam Ars occupatur quandoque circa *rem internam*, de qua tamen reddere non poteſt *rationem*, ut RHETORICA, GRAMMATICA: artes *primi generis* appellantur MECHANICÆ, *ſecundi* autem *generis* vocantur LIBERALES. DOCTOR SUBTILIS *in* 1. *Diſt.* 38. *n.* 5. ARTEM ſic definit: Eſt *habitus cum vera ratione conjunctus*, *ad efficiendum idoneus*, ſeu *dirigens & rectificans potentiam*, *cujus eſt ſecundum artem operari.* Quæſtio hic procedit tam de Logica *docente*, quam *utente* (XXVIII.)

Ars & ſcientia quomodo differant?

Corollarium. *Ars* & *ſcientia* multipliciter inter ſe differunt; nam 1. *ſcientia* verſatur circa res *neceſſarias*, ſive quæ aliter eſſe nequeunt; *Ars* vero circa res tantum *contingentes*, & quæ mutari, variarique poſſunt. 2. *Scientia*

ſuas

suas elicit conclusiones per *demonstrationem*: *Ars* autem solummodo intendit, ut artefactum sit conforme regulis, a peritioribus præscriptis. 3. *Scientia* habet sua principia *in rebus ipsis*, *ars* autem sua habet principia *in Mente artificis* tantum; sit enim præcise eo modo artefactum, quo istud faciendum artifex in mente concepit. 4. *Ars* circa potentias tam *internas*, quam *externas*, maxime autem circa *externas* regulandas seu dirigendas occupatur, econtra *scientia* in solis dirigendis *internis* animæ facultatibus detinetur.

PROPOSITIO I.

LOGICA DOCENS EST SCIENTIA PROPRIE DICTA.

PROBATUR *ex Definitione*. SCIENTIA est *cognitio vera, certa & evidens rei necessariæ & immutabilis per proprias ejus causas & rationes*: atqui *Logica docens* est talis cognitio: ergo est *scientia*, p. m. Logica docens in *qualibet* sui parte veras *demonstrationes* efficit, quæ ex *propriis* & *certis* principiis du- Logica docens est scientia.

cun-

cuntur, neque *mutuatitiis* tantum, aut ex *fœcunditate ingenii* desumptis innituntur: ergo. p. A Logica docens has efficit demonstrationes. 1. (De DEFINITIONE.) *Quod explicat rei naturam, debet constare genere & differentia: sed definitio est oratio explicans naturam seu essentiam rei: ergo debet constare genere & differentia.* 2. (De DIVISIONE) *Omnis oratio ignoti manifestativa est modus sciendi: sed divisio partes rei manifestat: ergo est modus sciendi.* 3. (De ARGUMENTATIONE) *Argumentatio constans premissis certis & evidentibus rite ordinatis generat scientiam: sed talis est demonstratio: ergo generat scientiam* &c. Atqui hæ sunt demonstrationes ex *propriis* & *certis Logicæ* principiis deductæ, ut de se patet: ergo.

PROPOSITIO. II.

LOGICA UTENS NON EST SCIENTIA, SED ARS.

Utens vero est Ars.

PROBATUR iterum ex *definitione.* ARS est *habitus cum vera ratione, seu secundum regulas activus vel factivus, scilicet alicujus operis* (sive dein illud

opus

opus fiat *extra*, sive *intra intellectum*) atqui Logica utens est talis; ergo est Ars. (p. m. Logica utens *conficit* definitiones, divisiones & Syllogismos: atqui hi sunt utique aliquod opus (licet *intra intellectum* tantum maneant) estque hoc *exercitium* seu *applicatio Logicæ docentis*: ergo. CONFIRMATUR. Scientia propriè dicta versatur circa *universalia* (quæ sola sunt *necessaria* & *immutabilia*) sed Logica utens, quatenus *utens*, non versatur circa *universalia*, sed tantum circa *singularia*: ergo non *est scientia*: p. m. Logica utens applicat præcepta *huic* vel *illi* rei *definiendæ* aut *dividendæ*, aut *inferendæ*: ergo.

Solvuntur Objectiones.

CONTRA I. PROPOSIT.

OB. I. *Ex Authoritate.* ARISTOTELES *L.* 2. *Metaph.* ait: *Absurdum est quærere simul scientiam, & modum sciendi*: ergo absurdum est eam appellare *scientiam*. R. I. Interpretando Authoritatem ARISTOTELIS, nempe Aristoteles *loc. cit.* tantummodo vult, absur-

Logica in quo sensu sit Modus sciendi?

sur-

surdum esse, ut quis alias scientias discere aggrediatur, antequam in Logica bene versatus sit. R. 2. D. M. *absurdum est &c.* nisi simul ipse modus sciendi procedat *demonstrative* ac *scientifice* C. M. si sic procedat. N. M. & sic distincta m. N. C. Dein Logica non est ipse *modus sciendi*, sed versatur tantum demonstrative *circa modum sciendi* triplicem, scilicet circa *definitionem*, *divisionem*, & *argumentationem*; diciturque *modus sciendi* solum in hoc sensu, quatenus est *modus* sive *medium* ac *instrumentum* ad alias scientias acquirendas.

Modus sciendi in suo sensu est vera scientia.

Inst. 1. *a pari.* Modus v. g. saltandi non est saltatio: ergo etiam modus sciendi, seu Logica, non est scientia: R. D. C. modus sciendi *objectivus*, & qui non facit demonstrationes C. c. Modus sciendi *formalis* & *directivus*, qui demonstrative procedit. N. c. & C.

Logica est Instrumentum scientificum.

Inst. 2. Nullum *instrumentum* artificiale est ipsa *facultas* artificialis: v. g. Malleus non est ipsa ars fabrilis: ergo neque Logica, tanquam *instrumentum scientiarum*, est ipsa scientia; R. 1. N. C. & Par. *dispar.* est, quia illa

la instrumenta mechanica non habent in se *regulas arti ipsi communes*, & consequenter non sunt ipsa ars; *Malleus* enim v. g. non habet in se regulam, secundum quam faber serras & clavos &c. perficiat: econtra *Logica* in se jam habet, quod aliis scientiis communicet, unde & *sibi* & *aliis* est scientia *instrumentalis*, faciens veras demonstrationes circa actus suos. R. 2. *Retorq.* Manus v. g. est *instrumentum hominis*, & tamen simul est etiam *pars hominis*: ergo etiam *Logica* licet sit *instrumentum scientiarum*, tamen *scientia* esse potest. Item artes *Pharmacopæa*, & *Ephippiaria* seu *frœnofactoria* sunt veræ *artes*, etsi allis artibus, nempe *Medicinæ*, & arti *equestri* tanquam *instrumenta* inserviant: ergo a pari &c. Adeoque sufficit, quod Logicæ docenti proprium sit *evidenter demonstrare*, id quod solis *scientiis*, & nulli prorsus *arti* competit.

Inst. 3. Saltem de *Syllogismo* Logica nequit facere *demonstrationes*, qui tamen ultimatum Logicæ *objectum* est; ergo Logica adhuc dici nequit scientia. p. A. Si de Syllogismo posset facere demonstrationes, has facere deberet

De Syllogismo fiunt demonstrationes.

beret per alium Syllogismum: atqui hoc non: ergo, p. m. Sic enim daretur jam Syllogismus ante Syllogismum: ergo. R. D. A. de Syllogismo, seu potius de *operatione mentis discursiva*. Tr. A. de Syllogismo, hoc est de regulis Syllogismi. N. A; & C. ad p. D. M. has facere deberet per alium Syllogismum: ex Logica *naturali* petitum C. M. ex Logica *artificiali*. N. M. & C. similiter Dist. alteram *probat.* Daretur jam Syllogismus ex Logica *naturali* petitus ante Syllogismum, ex Logica *artificiali* depromptum C. A. daretur Syllogismus *artificialis* ante Syllogismum ex Logica *artificiali* acceptum N. A. & C. Syllogismus *artificialis*, ultimato demonstratur per Syllogismum ex Logica *naturali*, sive per aliquod *principium ex lumine naturæ notum*, & sic datur *status*, seu consistentia demonstrationis.

Logicæ objectum est necessarium quoad essentiam.

Ob. 2. Scientia debet habere objectum *necessarium*: atqui Logica non habet objectum *necessarium*, ergo non est scientia. p. m. Logica versatur tantum circa ea, quæ fiunt a nobis *libere*: sed quæ fiunt libere, non sunt necessaria, cum possint non fieri: ergo.

p. M.

p. M. Logica versatur circa *definitionem*, *divisionem*, & *argumentationem*: atqui hæ fiunt *libere*, & quando *volumus*: ergo. R. ut superius in Exercit. I. *An detur in hac vita vera Philosophia?* D. M. Scientia debet esse de objecto necessario, *necessitate essentiæ* C. M. *existentiæ*. N. M. & D. m. Logica non habet objectum necessarium necessitate *existentiæ* C. m. *essentiæ*. N. m. & C. ad p. D. M. Logica *utens* versatur circa ea, quæ fiunt a nobis libere, sive circa *existentiam* modi sciendi C. M. Logica *docens*. N. M. & D. m. quæ fiunt libere a Logica *utente*, non sunt necessaria necessitate existentiæ C. m. quæ fiunt a Logica *docente*, non sunt necessaria necessitate *essentiæ*. N. m. & C. Quæ fiunt a Logica *docente*, sunt necessaria *secundum essentiam*, quia ex certis principiis *essentialibus* sic constant, ut non possint ex iis non constare. v. g. *Syllogismus* ex tribus terminis ita necessario constat, ut si aliter fiat, *perfectus* non sit, sic etiam *divisio* fieri debet in membra opposita, & *definitio* constare ex genere & differentia: nimirum prout superius dictum est, creaturarum *essentias* esse

necessarias, licet a DEO *libere* producantur in tempore.

Inst. 1. Etiam quarundam *artium* objecta sunt necessaria *necessitate essentiæ*, v. g. objecta *Geometriæ*, *Architecturæ*, *Musicæ &c.* ergo objectum Logicæ, tanquam scientiæ debet esse necessarium necessitate *majori*, scilicet necessitate non tantum *essentiæ*, sed etiam *existentiæ*. P. C. Secus enim illæ *artes* non differrent a *scientiis*: ergo. R. N. C. ad hujus prob. D. A. illæ artes non differrent a scientiis, secundum *superiorem* sui *partem* spectatæ C. A. secundum *inferiorem partem* N. A. & C. Pars *superior* in illis artibus est *cognitio rei per certas quasdam ac necessarias regulas efficiendæ*, & *pars inferior* est *executio seu productio ipsius artefacti*. Unde potest quis habere superiorem artis partem, seu scientiam v. g. *Theoriam* Geometriæ *sine praxi*, vel vicissim; sic autem & Logica, ut est Theoretica seu *docens* utique separari potest a *praxi*, seu *usu*, in quo sensu etiam (*juxta Prop. II.*) non est *scientia*, sed *ars*.

Inst. 2. Si Syllogismus secundum se consideratus & *quoad essentiam suam* non

non potest aliter fieri, tunc frustra de eo conficiendo dantur præcepta: atqui hoc non: ergo Syllogismus etiam in se, & *secundum essentiam suam* consideratus non est necessarius. P. M. Frustra enim v. g. præcipitur, ut, qui videre voluerit, oculos aperiat, quia hoc est *necessarium*, de necessariis autem non fiunt præcepta: ergo. R. N. M. *Prob. Dist.* non fiunt præcepta de rebus necessariis, quatenus *necessaria* sunt C. quatenus sunt *contingentes*. N. De Syllogismo fiunt præcepta quoad illius *existentiam* seu *confectionem* tantum, non autem quoad ipsius *naturam*, quæ necessaria est, quoniam a nobis non pendet, ut sint v. g. plures aut pauciores termini in Syllogismo, quam tres &c. Hinc patet *disparitas* de apertione oculi *necessaria*, si quis videre cupit.

Ob. 3. Logica docens non habet objectum *determinatum*: ergo non est scientia. P. A. Logica juxta Scotum Q. 1. *Elench.* vagatur *circa res omnes*: ergo. R. D. A. Logica utens, seu usus Logicæ non habet objectum, seu potius materiam determinatam, in hoc sensu, quatenus *omni materiæ applicari*

Logica docens habet objectum determinatum.

plicari possunt præcepta *definiendi*, *dividendi* & *argumentandi* C. A. Logica *docens*. N. A. Hæc enim, ut dicetur, habet pro suo objecto *modum sciendi triplicem*, seu præcepta *definitionis*, *divisionis* & *argumentationis*. Dein etiam Logica *utens quoad se* habet *materiam* determinatam, ut pariter dicetur.

Etiam Logica topica est scientia. Ob. 4. Saltem Logica *topica*, quæ tractat de *probabilibus*, & *Sophistica*, quæ agit de *fallaciis*, non est scientia: ergo. R. D. A. In quantum ad *materiam* C. A. in quantum ad *formam* artificialem. N. A. Alterum etiam *Dist.* Logica agit de fallaciis *fugiendis* C. A. *approbandis*. N. A. & C.

Solvuntur Objectiones

CONTRA II. PROP.

Logica utens est ars liberalis. Ob. 1. Ars versatur circa opus *sensibile* & *externum*: atqui Logica utens non versatur circa tale opus: Ergo non est ars. R. D. M. Ars mechanica & servilis versatur circa tale opus C. M. Ars *liberalis*. N. M. & C. m. N. C.

Ob.

Ob. 2. Unus & idem realiter habitus non potest esse *scientia* & *non esse*; sunt enim *contradictoria*: atqui Logica *docens* & *utens* est *unus & idem realiter habitus*, ut paulo inferius dicetur: ergo Logica *utens* est æque *scientia* sicut *docens*. R. D. M. Non potest esse &c. secundum eandem formalitatem & considerationem C. M. secundum *diversam*. N. M. Et *Ret.* Eadem *v. g.* virtus *charitatis* inclinat simul ad *amorem* Dei, & ad *odium* peccati, etsi, quatenus inclinat ad *amorem*, non præcise inclinet ad *odium*: ergo etiam, cum *idem* realis Logicæ habitus habeat *duo munia*, nimirum *cognitionem* & *usum* seu *confectionem* modi sciendi, potest sub *priori* consideratione dici *scientia*, & sub *posteriori Ars*.

Logica docens & utens tantum quoad diversa munia differunt.

Inst. 1. Logica utens æque respicit Syllogismum, ac docens: ergo est æqualiter scientia. R. D. A. Respicit Syllogismum secundum suam *existentiam* sive productionem, & *singularem* tantum, C. A. secundum *essentiam*, & *universalem*. N. A. Vel aliter D. Respicit Syllogismum, & simul *demonstrat*, N. A. respicit, illum nude efficiendo ac producendo C. A. & N. C.

Inst. 2. Syllogismus etiam *secundum existentiam* est scientia: ergo manet argumentum. R. D. A. Est scientia, quatenus est regulatus a Logica *docente* C. A. quatenus effective & elicitive est a Logica utente N. A. & C.

EXERCITATIO II.

AN LOGICA SIT SCIENTIA PRACTICA VEL THEORETICA?

Status Quæstionis.

SCientia THEORETICA, seu, ut scholæ ajunt, SPECULATIVA dicitur illa, quæ in vero investigando, contemplandoque unice occupatur, atque in eo cognito plane *quiescit*, sive ut Aristoteles loquitur 2. *Metaph. C.* 2. *Cujus finis est veritas.* PRACTICA econtra vocatur ea, quæ ad operantem potentiam dirigendam per se ordinatur, sive, *cujus finis est opus*, ut ait Stagyrita *loc. cit.* unde etiam hunc locum Aristotelis Avicenna sic interpretatur: *per speculativam scimus, ut sciamus, per practicam vero scimus, ut operemur.*

Scho-

Scholion. PRAXIS porro a scholasticis dupliciter accipitur. 1. *Improprie* & *lato modo*, quatenus ab ea dirigitur potentia operans *quæcunque*, sive *intellectus*, sive *voluntas*. 2. *Proprie* & *in rigore*, sicque a DOCTORE SUBTILI Q. 3. *Prolog. n.* 3. definitur esse *actus* alterius potentiæ ab intellectu (hoc est actus *solius voluntatis*) *naturaliter posterior intellectione* (hinc actus *naturales*, quia *præcedunt* omnem intellectionem, nec abea diriguntur, non possunt dici *praxes*) *natus elici conformiter rectæ rationi*, *ut sit actus rectus* (non quidem semper in genere *moris*, sed saltem in genere *artis*, & quamquam actus *pravi* a voluntate eliciti sint etiam *praxes*, non tamen juxta SCOTUM sunt praxes *rectæ*) adeoque ad scientiam vel artem *proprie* practicam SCOTISTÆ potiores cum MASTRIO requirunt, ut dirigat *potentiam ab intellectu diversam*, hoc est, *voluntatem*, aliis autem scholis sufficit *ad praxin*, ut dirigatur *quæcunque* potentia operans. Quoniam res tota pendet a *definitionibus nominalibus*, hinc fit

Praxis impropric, & proprie.

PROPOSITIO.

LOGICA DOCENS EST SCIENTIA SPECULATIVA SEU THEORETICA; UTENS VERO EST ARS MINUS PROPRIE PRACTICA.

Logica docens est specula-tiva.

PROBATUR I. P. Omnis *scientia qua talis* est speculativa: atqui Logica *docens* est scientia: ergo est speculativa. P. M. Scientia qua scientia quiescit in mera *contemplatione* sui objecti: sed hoc dicit meram *speculationem*: ergo. p. m. Quia *efficere* jam pertinet ad habitum *artis* (juxta *Exercit. præc.*)

NEC DICAS, scientiam quoque dividi in *practicam* & *speculativam*. Nam CONTRA EST, hoc tantum verum est, si *scientia* sumatur pro *quavis notitia intellectuali*, non vero si intelligatur *cognitio per demonstrationem parta* (CCCXXXII.) CONF. *Logicæ docentis finis est veritas*, per definitionem, divisionem & Syllogismum parta: atqui hoc competit soli scientiæ *proprie speculativæ*: ergo. *Item* Logicæ docentis *actus* non sunt actus *alterius potentiæ*, sed solius *intellectus*, ut pa-

patet: ergo est scientia propriè speculativa.

PROBATUR 2. P. Logica *utens* non quiescit in sola *cognitione veri*, sed eò intrinsecus, & immediate tendit, ut *intellectum dirigat*, ipsumque idoneum reddat ad omnes suas operationes rectè *perficiendas*. ergo per Logicam utentem *non scimus ut sciamus* (proxime saltem & immediatè) sed *ut operemur*: Consequenter Logica utens non est scientia propriè & in rigore Theoretica, sed *lato modo practica, lato*, inquam, *modo*, quia solummodo *intellectum*, non autem *potentiam ab illo diversam* dirigit. Hinc DOCTOR SUBTILIS *L.* 6. *Metaph. Q.* 1. *N.* 14. expressis terminis inquit: *Potest dici, quod Logica sit practica, quia non est tantum propter scire proprium, sed propter scire directivum in aliquo actu, quia enim intellectus in actu proprio discursivo potest errare, indiget habitu directivo, priusquam dirigat in aliis scientiis — Ideo Logica potest dici primo practice inventa, extendendo nomen.*

Logica utens est lato modo practica.

Solvuntur Objectiones.

Logica docens respicit opus intellectus, solum ut speculabile,

OB. 1. *Contra* 1. *P.* Etiam Logica docens respicit opus: ergo æque est practica (saltem *improprie*) sicut Logica utens. R. D. A. respicit opus ut *speculabile* & *considerabile* C. A. ut *factibile* & *operabile* N. A. & C.

Inst. 1. Logica respicit Syllogismum ut factibilem & operabilem: ergo manet argumentum. R. D. A. Logica utens C. A. docens. N. A. & C.

Inst. 2. Syllogismus fit ad imperium voluntatis: ergo est opus operabile, & vere practicum. R. D. A. fit a Logica docente N. A. ab utente subd. fit ad imperium voluntatis per accidens, præsuppositive & imperative tantum C. A. per se, immediate, & elicitive N. A. & C.

Inst. 3. Hic Syllogismus: *Omne malum est fugiendum: sed vitium est malum: ergo est fugiendum*, est quid practicum, & voluntatem respiciens: ergo. R. D. A. est quid practicum respectu *materiæ* C. A. respectu *formæ*. N. A.

Inst.

Inst. 4. Logica docens est instrumentalis & directiva: ergo est practica sicut utens. R. D. A. Quatenus explicat formam C. A. quatenus efficit quidpiam. N. A. & C.

Inst. 5. Ethica est practica: ergo etiam Logica. R. N. C. *Disp. est*, quia Ethica actus non tantum *considerat*, sed etiam *rectificat*, seu efficit *conformiter rectæ rationi*; Logica autem docens tantum *considerat*.

Logica utens respicit demonstrationes solum ut operabiles, seu effectibiles.

Ob. 2. *Contra* 2. P. Logica utens efficit tantum *demonstrationes*: ergo nullo modo est *practica*, vel etiam omnes aliæ scientiæ speculativæ erunt practicæ, v. g. *Geometria*, quia hæc non tantum considerat, sed etiam efficit *triangulum*. R. N. A. Nam *demonstrationes*, prout considerantur ut meræ *speculationes*, fiunt a sola Logica *docente*, prout vero considerantur ut *opera intellectûs*, quem Logica *utens dirigit*, sic plane (saltem *minus proprie* & *lato modo*) sunt *praxes*, quia Logica *utens* non quiescit in *nuda contemplatione*, sed unice tendit eo, ut intellectus *operetur*, quamvis dein ex post intellectus per actus suos *reflexos* in

in *cognoscenda veritate* sistere quoque valeat, quod Logicæ *utenti*, *qua utenti* est mere *per accidens*. Sic etiam de aliis scientiis quoad illarum *theoriam* & *praxin* dicendum est.

Inst. 1. Definitio, divisio, & demonstratio sunt meræ speculationes, non praxes: ergo Logica utens, dum circa eas versatur, speculatrix est, non practica. R. D. A. Sunt speculationes, si comparentur cum *objectis* definitis, divisis & demonstratis C. A. Si comparentur cum præceptis seu *regulis* a Logica utente intellectui *applicatis*, ut circa ea *operetur* N. A. & C.

Inst. 2. Ars saltatoria & gladiatoria sunt proprie practicæ, licet *intellectum* tantum instruant: ergo etiam Logica utens dici potest proprie practica, licet intellectum tantum dirigat. R. N. Illud additum antecedentis: nam illæ artes non *intellectum* tantum instruunt, sed etiam *manus* & *pedes* necessario a *voluntate* debent moveri.

Inst. 3. Actus fidei solummodo ab intellectu procedunt, & tamen sunt practici: ergo a pari. R. N. A. Quia ad

ad illos *fidei* supernaturalis actus etiam requiritur *pia motio voluntatis*, ut Theologi docent, eoquod sint *liberi*, hinc non est mirum, quod sint *proprie practici*; secus fit in nostra thesi, ubi *intellectus* solus a Logica utente dirigitur.

EXERCITATIO III.

QUODNAM SIT LOGICÆ OBJECTUM?

OBJECTUM alicujus scientiæ est id omne, quod *objicitur*, seu proponitur intellectui mediante scientia cognoscendum: sive, ut alii illud definiunt, est *id*, *circa quod aliqua scientia demonstrative versatur*, videlicet cujus naturam inquirit, investigat principia, & proprietates ostendit. Aliud est *objectum materiale*, & aliud *formale*. 1*mum* est illa *materia*, circa quam aliqua scientia vel ars occupatur. 2*dum* est illa *ratio*, *sub qua* attingitur ab *hac*, & non ab alia facultate. e. g. Idem *corpus* humanum est materia *Physicæ*, *Medicinæ*, & *Mathefeos*, Physicæ quidem sub ratione *naturalitatis*, Medicinæ autem sub ratione *sanabilitatis*, &

Diversa objectorum genera.

& Matheseos sub ratione *mensurabilitatis*. Objectum materiale iterum dividitur in *proximum* & *remotum*. 1mum est, de quo aliqua facultas agit *immediate*. 2dum est illud ipsum, quod proximi objectum est. e. g. Quia Logica dirigit intellectum per triplicem modum sciendi, *triplex modus sciendi* est objectum proximum, & *intellectus* remotum. Rursus aliud est objectum *adæquatum* & *totale*, aliud *inadæquatum* & *partiale*. 1mum est aggregatum ex omnibus iis, de quibus aliqua scientia agit, diciturque etiam *objectum attributionis*, si ita sit adæquatum, ut omnia illi objecto attribuantur, tanquam *partes* in illa scientia vel arte contentæ. Sic v. g. *Oratio* est objectum Rhetoricæ adæquatum & attributionis, quia omnia tanquam partes ad *orationem* referuntur.

Quatuor conditiones ad objectum adæquatum requisitæ.

Scholion. Ad objectum totale & adæquatum alicujus scientiæ DOCTOR SUBTILIS Q. 3. *universal.* has quatuor conditiones requirit. 1. Ut sit *unum*; nam ab objecto totali & attributionis aliqua scientia denominatur *una*. 2. Ut sit *commensuratum* disciplinæ & scientiæ, cujus est objectum, hoc est,

no

ne *latius* vel *angustius* pateat, quam ea facultas, cujus est objectum. 3. Ut ad ipsum *revocari* possint ea omnia, quæ in illa facultate pertractantur. 4. Denique, ut per illud a qualibet alia disciplina vel facultate *distinguatur.*

Jam circa hanc quæstionem, in qua veterum Scholasticorum tot ferme sunt sententiæ, quot capita, paucis mentem meam sic explico, dum cum Cl. P. FORT. A BRIXIA *Exercit. Scholast. in Log. Art. IV.* discrimen facio inter Logicam *docentem*, quæ est *scientia*, & inter *utentem*, quæ est *ars practica.* Objectum *prioris* simpliciter voco OBJECTUM, sive id, in quo illius *demonstrationes* versantur, quodque proinde earum ope *verum* esse certo & evidenter cognoscimus; *posterioris* econtra objectum appello MATERIAM, hoc est, id, *circa quod* ad Logicæ utentis præscriptum intellectus *operando* occupari debet, & de quo vel nihil *demonstratur*, vel si quid demonstratur, istud fit tantum *per accidens*, scilicet ut evidentius reluceat, quomodo potentia activa circa illam se gerere debeat, ut opus suum rite perficiat: Nempe de *objecto* scimus per *demonstra-*

Status quæstionis.

strationem illud, quod sciendum est, ut dein circa MATERIAM recte *operemur.*

PROPOSITIO.

LOGICÆ DOCENTIS OBJECTUM EST TRIPLEX MODUS SCIENDI; LOGICÆ AUTEM UTENTIS MATERIA SUNT OPERATIONES INTELLECTUS UT DIRIGIBILES.

Objectum Logicæ est Modus sciendi;

PROBATUR I. P. De triplici modo sciendi, *definitione* scilicet, *divisione* & *argumentatione* Logica *docens* ita differit, ut omnes *demonstrationes*, quas tradit, circa illum versentur, atque ad eum unice referantur: ergo triplex modus sciendi est *objectum* Logicæ docentis in sensu mox explicato. p. A. Quidquid enim in Logica *docetur*, spectat ad *modum sciendi* vel definitivum, vel divisivum, vel demonstrativum, aut tanquam *pars*, aut tanquam *proprietas*, aut quid conferens ad eorum *complementum*, aut *cognitionem*, ut patet ex dictis in *Logica Theoretica.* CONFIRMATUR. Circa illud tota Logica docens

cens occupatur, ſecundum quod aliis *ſcientiis inſervit*: atqui ſecundum ſolum *modum ſciendi* aliis ſcientiis inſervit, quem iſtæ ab illa deſumunt: ergo. p. m. Quæ enim de re qualibet *ignorare* poſſumus, ad tria capita reducuntur, ſcilicet ad *eſſentiam*, quam indicat *definitio*, ad *partes*, quas *diviſio*, & ad *proprietates*, quas *argumentatio* ſeu *diſcurſus* manifeſtat: ergo triplicem hunc modum ſciendi aliæ ſcientiæ a Logica deſumunt. Habet inſuper Modus ſciendi *omnes conditiones* ad objectum requiſitas, ut examinanti liquet, conſequenter eſt objectum Logicæ *docentis*.

Ejus vero materia ſunt operationes mentis, ut dirigibiles.

PROBATUR 2. p. Logica *utens* eo immediate ex ſe tendit, ut intellectum dirigat, ne in vero inveſtigando ac dijudicando erret: ergo tres operationes intellectûs (*ſimplex apprehenſio*, *judicium* & *diſcurſus*) *quatenus dirigibiles*, ſunt *materia* Logicæ *utentis* in ſenſu itidem ſupra explicato, ſumendo videlicet *materiam facultatis practicæ* pro eo, circa quod illa *directive verſatur*. CONFIRMATUR ab aliqua *analogia*. Materia in phyſicis dicitur id, in quo recipitur *forma* quædam

artificialis. v. g. *Lignum* est materia, in quam a statuario introducitur forma Cæsaris : atqui sic etiam quodammodo se habent operationes intellectûs respectu Logicæ *utentis* : ergo illius *materia* dici valent. p. m. In operationibus intellectûs vere recipipitur forma sive perfectio, nempe *veritas*, quam efficit agens seu Logicus, dum ad præscriptum Logicæ utentis *operatur* : Ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

Scotus sentit nobiscum.

OB. 1. Ex *authoritate Scoti.* DOCTOR SUBTILIS. *Q.* 3. *Universal.* expresse docet, & probat, *Syllogismum esse primum*, *& proprium Logicæ objectum*, quia omnia, quæ tractantur in Logica, ad ipsum referuntur : ergo Modus sciendi non est objectum Logicæ. R. D. A. Probat, Syllogismum esse objectum Logicæ *veteris & Aristotelicæ*, utpote quia de Syllogismo *Aristoteles fecit quasi totam Logicam*, ut ait idem SCOTUS *Q.* 2. *L.* 1. *prior.* C. A. Logicæ *in se* præcise consideratæ subd. probat, esse objectum Logicæ *attributionis* C. A. objectum totale & adæqua-

quatum N. A. & C. Ipsa enim *argumentatio* est modus sciendi *specialis*, sub *modo sciendi in genere* contentus. Hinc etiam *cit.* Doctor *in primo prior. Quæst.* 2. formaliter nobiscum sentit, dum ait: *Modus sciendi recte statuitur objectum adæquatum totius Logicæ, prout illa nunc edocetur.*

Logica est modus sciendi directivus, non objectivus.

Ob. 2. Nulla scientia est sibi ipsi objectum: atqui Logica docens est modus sciendi: ergo modus sciendi non potest esse objectum Logicæ. R. D. m. Logica docens est modus sciendi *directivus*, hoc est, est ipse *habitus* inclinans intellectum ad præcepta & regulas Logicales *cognoscendas*, & dein ad praxin redigendas C. A. Logica docens est modus sciendi *objectivus*, seu est ipsa *præcepta*, quibus intellectus in suis operationibus dirigitur ad verum inveniendum, & *circa quæ* cognoscenda tota Logica docens versatur. N. A. & C.

Inst. Omnia præcepta sunt *directiva* potentiæ, ad quam ordinantur: atqui modus sciendi objectivus est adunatio præceptorum, quibus intellectus est dirigendus: ergo modus

ſciendi objectivus eſt etiam directivus. R. D. M. Sunt directiva *remote*, *exemplariter* & *objective*, in quantum ſcilicet intellectus præcepta tradita reſpicit, ut ſecundum ea definiat, dividat, & argumentetur C. M. ſunt directiva *proxime*, *habitualiter* & *ſubjective*. N. M. & D. m. Quibus intellectus eſt dirigendus remote & exemplariter C. m. proxime & habitualiter. N. m. & C. Sicut v. g. Aliquis pictor, habens præ oculis pictam imaginem ad aliam in alia tabella depingendam, ab illa dirigitur *exemplariter* & *objective*, ab habitu vero pingendi ſibi inhærente *ſubjective*, *proxime* & *habitualiter*, ſic etiam a præceptis Logicalibus intellectus dirigitur *exemplariter*, ab habitu vero Logicæ proxime & *ſubjective*; & conſequenter *aliud* eſt modus ſciendi *objectivus*, & aliud *directivus*.

Modus ſciendi eſt aliquid unum, unitate ordinis, & aggregationis.

OB. 2. Objectum ſcientiæ debet eſſe *unum*: atqui modus ſciendi non eſt quid unum; cum ſit plurium & diverſorum principiorum adunatio: ergo Modus ſciendi non eſt objectum Logicæ docentis. R. D. m. Non eſt quid unum unitate per ſe C. m. unitate

tate ordinis, seu aggregationis, qualiter Logica, & quælibet alia scientia totalis est una. N. m. & C.

Ob. 3. Cuilibet scientiæ duplex est assignandum objectum, *materiale* scilicet & *formale*: atqui in modo sciendi hæc non reperiuntur: ergo modus sciendi non est objectum Logicæ. R. D.M. quando plures scientiæ circa idem objectum versantur C. M. quando unica tantum scientia circa idem versatur. N. M. & sic D. m. N. C. Quia nulla est scientia præter Logicam, quæ *modum sciendi* contemplatur, hinc superflua foret illa formalitas objectiva.

Objectum materiale in Logica est etiam ejus objectum formale.

EXERCITATIO IV.

AN HABITUS LOGICÆ DOCENTIS ET UTENTIS REALITER DISTINGUANTUR?

Habitus.

Habitus in scholis accipitur pro *qualitate, potentiis adveniente, eamque juvante ad operandum*: juxta Purchotium vero *Metaph. P.* 2. *Sect.* 3. *C.* 6. *Prop.* 1. aliosque Recentiores magna ex parte in impressis cerebro

vestigiis, liberiori spirituum animalium fluxu, & omnium, ut vocant, impedimentorum remotione consistere dicitur. Nos habitum in priori sensu hic accipimus.

Logica docens & utens, actualis & habitualis.

Logica docens actualis est *dictamen intellectus*, actu tradentis regulas & præcepta definiendi, dividendi, & argumentandi. *Logica utens actualis* est ipsemet *actus intellectus*, quo is definit, dividit & argumentatur secundum regulas Logicæ, sicque in operationibus suis rite procedit. Similiter *Logica docens habitualis* est habitus, qui dat facilitatem intellectui *tradendi regulas* definiendi &c. *Utens habitualis* est habitus, qui confert intellectui facilitatem *applicandi* præcepta Logicæ docentis, indeque bene apprehendendi, judicandi, & discurrendi.

Distinctio realis.

Per *realem distinctionem* hic nil aliud intelligitur, quam *diversitas* aliqua *in re.* Porro certum est, Logicam *docentem actualem* distingui realiter ab *utente actuali*, quia una potest esse sine altera; potest enim quis actu *cognoscere*, qualiter v. g. formanda sit de-

definitio, quin tamen eam actu *efficiat.* Unde solum restat quæstio, an Logica docens habitualis, & Logica utens habitualis sint reipsa *alius & alius* habitus, an vero utens habitualis sit ipsa utens habitualis? Status quæstionis.

PROPOSITIO.

LOGICA DOCENS ET UTENS EST UNUS ET IDEM REALITER HABITUS.

PROBATUR. Ille qui *scit* leges conficiendi modum sciendi, non habet *difficultatem*, ut illum *efficiat*, sed potius *facilitatem:* ergo qui habet habitum Logicæ *docentis*, habet etiam eo ipso habitum Logicæ *utentis.* p. A. Omnis difficultas superanda per habitum provenit ex triplici tantum capite 1. ex ignorantia *præceptorum.* 2. Ex indispositione *facultatis* exequentis, 3. vel denique ex defectu *materiæ*: atqui ille qui scit leges conficiendi modum sciendi, seu qui habet Logicam *docentem*, tales difficultates, non patitur in *usu:* Ergo. p. m. 1. Non ignorantiam *præceptorum*; ea enim suppo- Habitus Logicæ docentis & utentis sunt realiter idem.

 nitur

nitur nosse per Logicam docentem. 2. Non indispositionem *facultatis* exequentis; nam in Logica *eadem* est facultas *exequens* & *dirigens* (nempe *intellectus*) unde si paratus sit intellectus sufficienter ad *dirigendum*, erit quoque sic paratus ad *exequendum*. 3. Non denique ex defectu *materiæ*, quia materia Logicæ *docentis* & *utentis* est rursus *eadem*; siquidem *illa* versatur circa præcepta definiendi, dividendi & argumentandi, ut *cognoscenda*, *hæc* vero illa respicit ut *applicanda* ad operationes mentis dirigendas.

Confirmatur. Si supersit aliqua *difficultas* in applicandis regulis Logicæ docentis in *aliena* materia, ea non oritur ex defectu habitûs Logicæ *utentis*, sed 1. vel ex defectu perfecti habitûs Logicæ *docentis*; dum nempe tyro illas regulas applicare intendit, tunc primum quandoque advertit, se clare ac distincte illas regulas antea necdum *cognovisse*, adeoque difficultas illa non est *nova*, sed *de novo* tantum *intelligitur*. 2. Vel defectus se tenet ex parte *judicii*, *eloquentiæ* &c. ut sæpe usuvenit. 3. Vel denique ex defectu habitûs illius scientiæ, in qua tyro definire,

nire, dividere & argumentari deberet, utpote cujus *materiam* nondum cognoſcit v. g. dum ex *Phyſica*, aut *theologia morali* argumentari jubetur: ergo reſpectu habitûs Logicæ *utentis* non eſt *diverſæ rationis* difficultas, a difficultate habitûs Logicæ *docentis*, & conſequenter Logica *docens* & *utens* ſunt unus & idem realiter habitus, ut docet etiam Scotus *Q. 1. univerſal.*

Solvuntur Objectiones.

OB. 1. Actus diverſæ ſpeciei generant quoque diverſos habitus: atqui actus Logicæ docentis & utentis ſunt ſpecie diverſi: ergo generant diverſos habitus. R. D. M. Quando uterque actus producere poteſt aliquem habitum C. M. quando non poteſt. N. M. &c. Actus autem Logicæ *utentis* nequeunt habitum producere, quia non habent ſpecialem & ſibi *propriam difficultatem*, quæ tolli non poſſit per habitum Logicæ *docentis*. Hinc N. m. utraque enim Logica verſatur circa modum ſciendi, *una docendo* regulas obtinendæ ſcientiæ, *altera* iiſdem regulis *utendo* ad operationes mentis dirigendas.

Actus Logicæ utentis non producunt habitum diſtinctum ab habitu Logicæ docentis.

Inst. Atqui Logica utens non versatur circa *Modum sciendi*, quia pro sua materia habet *tres Mentis operationes*, ut in *Exercit. præc.* dictum est: Ergo distinguitur ab habitu Logicæ docentis. R. D. subs. A. Non versatur circa modum sciendi tanquam suam *materiam* C. A. Non versatur circa illum tanquam suum *objectum* subd. in sensu formali C. A. in sensu reali. N. A. & D. C. Ergo distinguitur *formaliter ex natura* rei, seu distinctione Scotistica C. c. *realiter* N. C. & C. Logica docens per ipsum suum objectum simul etiam inclinat, facilitat & intellectum ad operationes suas rite perficiendas; unde isti duo habitus in intellectu *realiter* distingui nequeunt, bene autem *formaliter*, tum quia diversas habent definitiones, tum quia unus a parte rei æque concipi potest, ac duo diversa principia in eodem homine v. g. principium *sentiendi*, & principium *ratiocinandi*, tum etiam ob diversa *munera* quæ habent, ut loquitur Doctor Subtilis *Q. 1. universal.* Sed de *distinctione Scotistica* dicetur in *Metaphysica*.

Logica utens habitualis a docente habituali formaliter distinguitur.

Ob. 2.

Ob. 2. Logica docens est scientia, utens vero non; usus enim scientiæ non est scientia: ergo non sunt unus & idem habitus. R. D. A. Utens vero non &c. in sensu formali C. A. in sensu reali Subd. si consideratur ut actus D. A. ut habitus N. A. & C. Logica utens habitualis in sensu reali est etiam scientia.

Inst. 1. Logica utens versatur circa materiam incertam & *contingentem*, nempe circa applicationem præceptorum, quæ tradit Logica docens: Ergo neque in sensu reali habitualiter spectata dici potest scientia. R. D. A. versatur &c. per *actus secundarios*, qui tamen diriguntur & facilitantur a primariis C. A. per *actus primarios*, N. A. & C. Actus *secundarii* alicujus scientiæ (qui scilicet versantur circa *particularia* objecta) non addunt *peculiarem* difficultatem supra *primarios* (qui versantur circa objectum aut materiam *certam*) sed continentur in virtute habitus scientifici, vel quatenus circa ejus *objectum* versantur, licet per medium contingens vel quatenus ejus *directioni* subjiciuntur, ab eoque accipiunt principia & media, quibus utuntur, & sic actus Logicæ *utentis* dependent a *docente*, ut *dirigente*, ut

im-

imperante, ac *ministrante principia ac media*, ex quibus procedunt, sive in materia *propria* ipsius Logicæ, sive in *extranea* aliarum *scientiarum*.

Inst. 2. Habitus Logicæ *docentis* non augetur per actus Logicæ *utentis*: ergo non est unus & idem realiter habitus. p. C. Nam omnis habitus augetur per *suos* actus. R. N. C. p. D. Habitus augentur per actus ab eis *elicitos* C. solum ab eis *directos*. N.

In artibus aliis dantur duo realiter distincti habitus.

Ob. 3. In Musica, in arte pingendi, saltandi &c. dantur duo habitus realiter distincti, unus ad regulas *cognoscendas*, alter ad *applicandas*: ergo a pari de Logica *docente* & *utente* æqualiter dicendum est. R. N. C. & *Par. Disp.* est, quia, cum illæ artes exerceantur per *externas* corporis potentias, duplex necessario difficultas tollenda est, una in *intellectu* ad dirigendum, altera in *potentia motrice* ad applicandum; non enim eadem v. g. est potentia quæ *cognoscit*, qualiter sit pingendum, aut canendum, cum ea, quæ *pingit* vel *canit*: econtra *eadem* est potentia (*intellectus* nempe) quæ *cognoscit*, quomodo facienda sit definitio &c. & quæ eandem simul *efformat*.

Inst.

Inst. Habitus prudentiæ realiter distinguitur ab habitu, dictamina prudentiæ exequente: ergo etiam Logica docens habitualis ab utente habituali. R. D. A. Et hoc ideo, quia habitus prudentiæ residet in *intellectu*, habitus autem exequens in *voluntate* C. A. si uterque resideret in *eodem intellectu*, sicut utraque Logica habitualis &c. N. A. & C.

Scholion. Thesis ista procedit de *Logica active utente*, nempe ut est facultas *active* applicandi regulas Logicales; sin autem ut *passive utens*, hoc est, pro *regulis in diversis disciplinis applicatis* accipiatur, omni jure cum Cl. PURCHOTIO *Exercit. Ontol. Disp.* 1. *Q.* 5. *Concl.* 14. defendi valet, quod Logica docens & utens sint habitus realiter diversi; sic enim *Logica docens* est ea, quæ *ars cogitandi* dicitur, quæque præcepta tradit definiendi, dividendi & demonstrandi: *Logica* vero *utens* est quælibet alia disciplina, puta *Ethica* vel *Physica*, quæ iis præceptis utuntur, quæque a Logica realissime distinguuntur.

Logica utens in sensu Cl. Purchotii realiter a docente distinguitur.

EXER-

EXERCITATIO V.

AN, ET QUOMODO LOGICA SIT NECESSARIA AD ALIAS SCIENTIAS?

Necessarium metaphysice, physice, & moraliter.

NEcessarium dicitur id, sine quo alterum haberi nequit. Aliud est *absolute* necessarium, sine quo alterum ne quidem *supernaturaliter* haberi potest, aliud *physice*, sine quo *naturaliter* alterum fieri nequit, aliud denique *moraliter* necessarium, sine quo abs *gravi difficultate* alterum obtineri non valet.

Perfectus in aliqua scientia quis sit?

Perfectus in aliqua scientia ille vocatur, qui scit, quid in illa evidenter concludat, qui potest dare rationes phænomenorum, seu eventuum contingentium, qui unum ex altero novit eruere, & emergentes difficultates solvere, sic v. g. illum medicum dicimus *perfectum*, qui scit Medicæ artis regulas, qui infert unum ex alio, qui ex morbo simili similem investigat, qui gaudet judicio sano &c. licet de cætero non sit ita expeditus, ut omnia sibi proposita *Sophismata* exactissime sciat solvere, & dicere *regulas, figuras* &

& *Modos* Syllogismorum; ut enim id *foret ad melius eſſe*, attamen *abſolute* non requiritur; cum hodie arte etiam præſtantiſſimi Medici Summuliſticas tricas aut modice aut nihil curent.

Quæritur igitur, an *Logica Artificialis*, ut in ſcholis traditur, ſit *moraliter*, *phyſice* aut omnino *Metaphyſice* neceſſaria ad alias ſcientias *perfecte* acquirendas? pro cujus quæſtionis Reſolutione ponitur ſequens. Status quæſtionis.

PROPOSITIO.

LOGICA ARTIFICIALIS NON EST METAPHYSICE NECESSARIA AD ALIAS SCIENTIAS IN STATU PERFECTO ACQUIRENDAS, SED SOLUM MORALITER.

PROBATUR 1. P. Si aliæ ſcientiæ *natura duce* etiam in ſtatu perfecto obtineri poſſunt, tunc Logica artificialis non eſt metaphyſice, nec phyſice neceſſaria: atqui aliæ ſcientiæ etiam in ſtatu perfecto ſola *natura duce* poſſunt obtineri: ergo Logica artificialis non Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria.

non est metaphysice: nec physice necessaria. p. m. Nam Mens nostra *naturaliter cogitat*, hoc est percipit, judicat sive definit, dividit, & demonstrat, alias enim regulas definitionis, divisionis, & demonstrationis nunquam tradidisset; hinc olim pueri Mathematicas disciplinas docebantur, antequam Logicæ præceptis vacassent. CONFIRMATUR. Aliæ scientiæ non sunt ipsa Logica difficiliores; & tamen Logica artificialis solis *naturæ* viribus comparatur (per *Logicam* scilicet *naturalem*) ergo aliæ scientiæ etiam in statu perfecto *sola natura duce* possunt comparari. Item errores nostri ex falsis, vel non satis accurate perspectis *principiis* sæpius oriuntur; quam ex male deductis *conclusionibus*: & si quandoque nonnemo ex *naturæ* vitio male ratiocinetur, vix sperandum est, fore, ut ipsi Logices præcepta ad amussim prosint, ut experientia quotidiana testatur: ergo Logica artificialis non est *metaphysice*, nec *physice* necessaria.

Sed Moraliter.

PROBATUR 2. P. Illud est moraliter necessarium, sine quo alterum *abs gravi difficultate* haberi non potest: atqui

qui aliæ scientiæ abs gravi difficultate sine Logica artificiali haberi non possunt: ergo. p. m. Non omnes habent perspicacissimum *lumen naturale* (per experientiam) ergo illorum intellectus debet *juvari*: atqui hoc fieri non potest, nisi per *Logicam artificialem*, quæ docet intellectum bene *apprehendere*, legitimum *judicium* ferre, ac rationabiliter *discurrere*: ergo Logica artificialis est *moraliter* necessaria.

Solvuntur Objectiones.

OB. I. Sine Logica artificiali nulla prorsus datur *demonstratio*: ergo ad alias scientias est metaphysice necessaria, quia metaphysice necessaria est *essentia* scientiæ, ut sit per *demonstrationem* parta. P. A. Ille, apud quem datur demonstratio, debet scire, quod sciat: atqui sine Logica non scit, quod sciat: ergo sine Logica non datur demonstratio. R. N. A. Ad p. D. m. sine Logica saltem *naturali* C. m. semper artificiali. Subd. non scit, quod sciat reflexe aut signate Tr. m. directe & exercite. N. m. & C. Tunc aliquis scit, *se scire*, cum novit,

Demonstratio fieri potest per Logicam naturalem.

ſe inter ratiocinandum rite proceſſiſſe, nec ullum admiſiſſe principium, niſi clare diſtinctequе cognitum: hoc autem ſcire poteſt, ſi tantum cogitationes ſuas naturaliter diſponat, & attendat ad principia, quibus utitur: ut ſolent facere Geometræ qui regulas non ab *artificiali* Logica, ſed a *naturali* deſumunt, & tamen in ratiocinationibus ſuis ſunt accuratiſſimi.

Inſt. 1. Nemo poteſt ſcire, ſe ſcire, niſi errores irrepentes in ratiocinando poſſit deprehendere: atqui nemo poteſt illos errores deprehendere ſine Logica artificiali: ergo nemo poteſt ſcire, ſe ſcire ſine Logica artificiali. R. D. m. Nemo poteſt &c. *æque facile*, ac ſi Logica artificiali foret præditus C. m. *omnino* non poteſt. N. m. & C. Geometrarum experimento diſcimus, Matheſin ſolius Logicæ naturalis auxilio addiſci poſſe. Quinimo ipſæ Logices regulæ ingeniis non nimium acutis quandoque errandi occaſionem præbent, quia ut plurimum ſolo earum cortice contenta, intimum ſenſum non penetrant.

Inſt.

Inst. 2. Debet quis scire connexionem consequentis cum Antecedente; atqui sine Logica artificiali non scit: Ergo. R. D. M. Conexionem objectivam C. M. formalem seu potius artificialem. N. M. & sic D. m. N. C.

Inst. 3. Omnis Syllogismus demonstrativus est conformis regulis: ergo siquis habet talem Syllogismum, etiam eo ipso jam debet habere notitiam Logicæ artificialis. R. D. A. Est conformis regulis a *lumine naturæ* directis, atque in intellectum, in quo est lumen naturale, reflexis C. A. in Logicam *artificialem* semper reflexis. N. A. & C.

Ob. 2. Non potest haberi artefactum sine instrumento: atqui Logica artificialis est instrumentum, imo, ut SS. Patres communiter dicunt, *janua scientiarum*, qua aperta cæteræ aperiuntur, & qua clausa clauduntur: ergo Logica artificialis est simpliciter necessaria ad alias scientias acquirendas. R. D. M. Nisi illud instrumentum suppleri possit per aliquid aliud C. M. si suppleri possit. N. M. & D. m. Logica artificialis est instrumentum, & tamen suppleri potest per lumen

Logica in quo sensu sit janua scientiarum?

naturale C. m. non potest suppleri N. m. & C. Mentem SS. Patrum pariter distinguo: & dicunt hoc de Logica *Metaphorice* C. *vere ac proprie*. N. Ipsi SS. Patres, etsi quandoque Logicam commendent, ut homines ad ejus studium inflamment, sæpius tamen quoque in eam, velut in artem cavillatricem invehuntur, non illius *usum* prohibentes, sed *abusum* damnantes.

Logica est necessaria ad scientias acquirendas & acquisitas.


Ob. 3. Logica ad scientias, quas *actu* dirigit, est *methapysice* necessaria, ad eas autem, quas actu non dirigit, sed tantum dirigere *potest*, neque *moraliter* est necessaria: Ergo utraque pars propositionis nostræ falsa est. R. 1. *Retorq. per similem argumentationem. Equus v. g. ad iter equestre est metaphysice necessarius, ad pedestre vero nullo modo est necessarius: ergo homini decrepido equus non est moraliter necessarius ad iter.* Quod tamen falsum est, cum sit illi *moraliter* necessarius. R. 2. Logica ad scientias *acquirendas* est *directe* necessaria, ad *acquisitas* autem dirigendas *reflexe*, utrobique vero *moraliter* est necessaria, quia ingenium humanum sibi soli, & *lumini* suo *naturali* relictum variis de causis, in *Dif-*

ser-

sertat. 1. *Log. Pract.* expositis in multos errores labitur.

Ob. 4. Aliæ scientiæ non dependent a Logica artificiali: ergo ea neque moraliter est necessaria. p. A. Aliæ scientiæ etiam generant habitus: atqui habitus sunt ad faciliter operandum: Ergo. R. D. A. Non dependent a Logica tanquam a causa magis vel æque *principali* C. A. tanquam causæ principales ab *instrumentali* N. A. sic etiam artifex a suo instrumento dependet. Ad p. D. M. Aliæ scientiæ generant habitus Logicæ N. M. generant habitus proprios subd. & ad hoc ut sint habitus scientifici, moraliter necessaria est Logica artificialis C. M. non est sic necessaria. N. M. & distincta minore N. C. & C.

Aliæ scientiæ a Logica dependent instrumentaliter.



EXERCITATIONES IN I. PARTEM LOGICÆ IDEALEM.

EXERCITATIO I.

AN IN ALIQUO SENSU DENTUR IDEÆ INNATÆ?

De Idearũ origine triplex sententia. VArias inter sententias, quas de Idearum *origine* tum VV. tum R.R. Philosophi tenuere, notatu dignissimæ sunt 1. sententia Peripateticorum, qui docent, omnes omnino Ideas esse *adventitias* & *factitias* (XXX.) *nihilque esse in intellectu, quod prius non fuerit sub sensu*, vel *immediate* vel mediate. 2. Cartesiani, quos inter est etiam Cl. *Purchotius*, contendunt, plures ideas immediate a Deo nobis esse infusas, quas *independenter a sensibus* cognoscamus, ut sunt v. g. ideæ *DEI*, *entis*, *veritatis*, *unitatis*, *substantiæ*, *primorum principiorum &c.* Inde præfatus Cl. Purchotius *Metaph. P. 2. Sect. 3. C. 4. Prop. 4.* ideam *innatam* definit, quod sit ea, *quæ nobis a primo vitæ momento ad extremum usque, quoties attendit animus, semper præsto est, quamque sola prima causa sine corporis, aut cujuscunque alte-*

Idea innata quid sit juxta Purchotium?

alterius causæ secundæ subsidio omnibus communiter impertit. 3. Cl. P. MALEBRANCHE docuit, omnes plane ideas mentis nostræ nil aliud esse, quam ipsam *Divinam essentiam, mentibus nostris substantialiter ac intime conjunctam,* quæ easdem ita illustret, ut *in se ipsa* veluti in speculo res & objecta quælibet exhibeat, & non *in idea* quadam, aut specie & imagine a DEO distincta. *L. 6. de inquir. verit. P. 2. C. 3.* Quid juxta P. Malebranchium?

Animadversio. Idea innata accipi nequit 1. pro ipsa *facultate producendi Ideam*; nam in hoc sensu *omnium* rerum ideæ forent nobis innatæ, eoquod *facultatem*, hoc est, *potentiam* habeamus cogitandi non tantum de *DEO, ente, primis principiis &c.*, sed etiam de *ligno lapide, auro*, & aliis quibuscunque rebus. Dein illa *cogitandi facultas*, ad quascunque res cognoscendas adhibeatur, *una* semper *eadem*que facultas est, sicut v. g. facultas loquendi, sive de *ligno, lapide, arbore &c.* loquamur, *eadem* omnino manet: Idea vero innata juxta *Cartesianos* non est *una* sed *multiplex.* 2. Neque etiam per ideas *innatas* intelligi valet *Lumen naturæ* ex allata ratione (CCCX. 3.) Idea innata non est ipsa facultas cogitandi. Nec lumẽ naturæ.

Ponitur prima illius definitio.

adeoque vel nulla est *idea innata*, vel non est, nisi *actualis rei notio*, *a primo vitæ momento mentibus nostris a* DEO *impressa atque insculpta*, quin etiam, ut addit Cl. P. Fort. a Brix. *Metaph.* P. 2. *Dissert.* 3. *Sect.* 1. *Art.* 2. §. 333. Eidem continuo inexistens, quia, ut ibidem probat, alias idea *innata* prorsus non differret ab *adventitia*, quæ etiam menti non *continuo* inexistit, sed modo adest, modo abest: ergo si idea quoque *innata* a mente aliquando potest abesse, explicandum esset æque ac de idea adventitia, quomodo mens eam denuo obtineret.

Idea innata non potest convenire cũ idea adventitia.

RRdent quidem Cartesiani, ideas *innatas* per hoc ab *adventitiis* differe, quia illæ a solo DEO, hæ vero ab ipsa *mente* producantur. Sed

Contra est, quæro, an Deus ideas innatas producat *posita* tantum *aliqua conditione*, vel *independenter* ab omni conditione? Si 1*mum*: ergo eo ipso ideæ *innatæ* non differunt ab *adventitiis*, cum etiam istæ *occasione motuum*, qui ex rerum externarum appulsu in nobis contingunt, menti a Deo (ut ipsi Cartesiani loquuntur) inprimantur. Si 2*dum*. Tunc iterum quæro,

cur

cur illæ ideæ innatæ menti continuo non inexiſtant? ſive cur DEUS eas modo imprimat, modo non? Ita *cit.* Cl. P. FORT. A BRIX.

Aſt alii, quia cum Cl. P. BUFFIER, citato a Cl. P. HAUSER. *Pſychol. P.* 2. *Art.* 3. §. 225. cenſent, a nullo Philoſopho ideis *innatis* ſenſum hunc, omnis difficultatis expertem, tribui poſſe, ſub *actuali notione* intelligunt talem *ideam, ſeu ſpeciem, quam mens ſibi ineſſe cognoſcit, & quæ tamen nec ſenſuum miniſterio ullo acquiſita, nec ab intellectu ficta, ſicque eidem naturaliter inſita ſit, ut mens, (a variis objectis & ſenſationibus quaſi admonita) eam ab ipſo Creatore inditam primum, dein vero ex animæ ad corpus conjunctione nonnihil obfuſcatam excitet in ſemetipſa ac contempletur.* Quæritur igitur, an mens omnes ſuas ideas a *ſenſibus* ita deſumat, ut nulla in nobis exiſtat cognitio & idea, quæ non *remote* ſaltem, & *mediate*, a *ſenſatione* aliqua vel *objecto ſenſibili* proveniat? ut volunt PERIPATETICI, an vero etiam aliquæ dentur ideæ *innatæ* in ſenſu CARTESII, ac denique quid de ſententia Cl. P. MALEBRANCHII tenendum ſit? Quæſtionem

Ponitur altera Ideæ innatæ definitio.

Status quæſtionis.

triplicem resolvent sequentes tres propositiones.

PROPOSITIO I.

OMNIS NOSTRA COGNITIO IN HAC VITA PROVENIT A SENSIBUS VEL IMMEDIATE, VEL MEDIATE.

Omnes res sensibiles immediate per sensus cognoscuntur.

PROBATUR. Quidquid cognoscimus, vel est *sensibile vel insensibile*? atqui tam *primum*, quam *secundum*, per sensus percipimus, primum quidem *immediate*, secundum vero *mediate*: ergo &c. P. m. *quoad* 1. *P. Sensibile* dicitur illud, quod organa nostra sensoria movere potest (CCXCI.) atqui quod organa nostra sensoria movere potest, ope *sensuum* immediate percipitur: ergo omne sensibile ope sensuum immediate percipitur, nempe vel *videndo*, vel *audiendo*, vel *odorando*, vel *gustando*, vel *tangendo*, ut *experientia* quotidiana & *sensu intimo* manifestum est. P. etiam m. *quoad* 2. *P. Mediate* per sensus illud acquiritur, quod *ex cognitione rerum sensibilium* acquiritur: atqui *insensibilium* notio ex cognitione rerum

Res autē insensibiles mediate per sensus cognoscuntur.

rerum sensibilium acquiritur: ergo *insensibilium* notio mediate per sensus acquiritur. P. m. *ex argumento ad hominem* (CCCLI.) Juxta eos ipsos qui *ideas innatas* defendunt, rerum immaterialium seu insensibilium ideæ illæ innatæ *excitantur ex cognitione sensibilium*: ergo etiam eadem via potuerunt illæ notiones primo acquiri: & innata vi a mente formari, per *abstractionem* scilicet, *reflexionem*, *consociationem* seu *compositionem* &c. prout & ipse Deus tanquam causa prima ex creaturis cognoscitur tam *positive*, hoc est, *tribuendo* ei prædicata excellentiæ, quam *negative*, id est, *removendo* imperfectiones, quæ in creaturis reperiuntur: quamquam etiam sic non aliam DEI notionem habeamus, nisi *inadæquatam*, & *obscuram*, atque a *posteriori* tantum, nullatenus vero *a priori*. Plura huc pertinentia in solutione objectionum dilucidabuntur.



PRO-

PROPOSITIO. II.

NULLA IN NOBIS DATUR IDEA INNATA.

Idea iñata rejicitur.

PROBATUR *ex una parte* (ut ex Cl. P. FORT. A. BRIX. ante probatum est) Idea innata debet esse talis notio, quæ a primo vitæ momento mentibus nostris a Deo indita *continuo* in ea *perseveret*: atqui nullius rei notio ita in nobis *perseverat*: ergo nulla in nobis datur idea *innata*. P. m. quis enim cum veritate dicere valet, se a primo vitæ suæ momento *Deum*, *ens*, *substantiam*, *primaque principia* &c. quæ a Cartesianis nobis dicuntur innata, actu novisse? quis itidem defacto *semper* de *Deo*, *ente* &c. cogitat? Et *ex altera parte* omnes ideæ rerum sensibilium & insensibilium acquiruntur per sensus, vel immediate, vel mediate (juxta *prop. præc.*) ergo &c.

Idea iñata repugnat ipsis Cartesianorũ principiis.

CONFIRMATUR 1. *Contra Cartesium.* Nihil juxta Cartesium datur in rerum natura nisi *substantia* ejusque *modificationes* (LXVII.) ergo hujusmodi ideæ innatæ vel deberent esse ipsa animæ

sub-

substantia, vel ejus *modificationes. Subsumo*: atqui nec *primum* dici potest, nec *secundum*: ergo juxta ipsa principia Cartesii repugnant ideæ innatæ. P. m. *subs.* quoad 1*mum.* Ideæ innatæ sunt animæ rationali a Deo *primum infusæ*: ergo non possunt esse ipsa animæ *substantia*. p. m. Quoad 2*dum.* Tum quia sic non *continuo* perseverarent, eo quod anima ex innata libertate sua *diversimode* se modificet. Tum quia anima se ipsam non modificat sine *objecto* determinante prius existente; quale ante ideas innatas non datur; neque modificatio *cerebri* corporea, est proportionata ad spiritus repræsentandos, aliasque res immateriales. Consequenter admittere deberent Cartesiani, quod ejusmodi ideæ innatæ essent *entitates* ab anima *distinctæ*, & in eadem receptæ, id quod nimium quantum a principiis aliis ipsorum abhorret: consequenter omnino repugnat idea quævis innata.

Confirmatur 2. *Contra eundem Cartesium* (qui admittit, quod *solus Deus* in nobis *producat* perceptiones sive ideas. Quid est, Deum in nobis Ideas producere? I. An hoc idem est, ac intel-

intellectiones & *perceptiones suas animæ communicare*? atqui hoc non; nam cum *intellectio* Dei sit *necessaria* & *immutabilis*, ubicunque est, tota est, & *una* atque *eadem*, quod tamen in nobis non observamus. II. An est idem, ac perceptiones ac *ideas* omnes in illa *creare ex nihilo*? atqui nec hoc esse potest; secus enim mens humana non esset *principium* cogitationum *activum*. III. An idem est, ac animam ad cogitandum *adjuvare*? sed hoc non est ideas producere. IV. An denique est idem ac *species incorporeas communicare*, quæ res exhibeant? atqui hoc necessitatem *unionis animæ & corporis* dissolvit, neque mens in hac vita a sensibus & corpore ullatenus dependeret, quod est temerarium ac *Harmoniæ præstabilitæ* Wolfii aperte favens, ut in *Psychologia* docetur.



PRO-

PROPOSITIO III.

IDEÆ NOSTRÆ NON SUNT IPSA DIVINA ESSENTIA, MENTIBUS NOSTRIS INTIME CONJUNCTA, IN SENTENTIA P. MALEBRANCHII.

Rejicitur quoque sententia P. Malebranchii.

PRobatur 1. *Videri aliquid in aliquo* in duplici ſenſu accipi poteſt. 1. Velut *in lumine & principio*, ſicut colores v. g. videntur in lumine, aut concluſiones particulares in univerſalibus. 2. Velut in *objecto cognito*, ut v. g. imago videtur in ſpeculo: atqui in neutro ſenſu illa P. Malebranchii ſententia ſubſiſtit: ergo ideæ noſtræ non ſunt ipſa Divina eſſentia &c. p. m. In 1mo ſenſu idem dicit, ac *ope Divini luminis*, ſeu *rationis naturalis* a nobis ea intelligi, quæcunque intelligimus, atqui ideæ innatæ pro *lumine naturæ* accipi nequeunt, ut antea dictum eſt: ergo. Si in 2do ſenſu accipiatur, tunc etiam ipſum illud *objectum*, in quo alterum cognoſcitur, debet eſſe perfecte *cognitum*: atqui plurimi dantur, qui aut nullam, aut tantum confuſam Dei notionem habent, prout *in Hiſtor. Acad.*

Utpote repugnans intimo ſenſui.

Acad. Parif. ad annum 1703. narratur de quodam, qui usque ad annum vigesimum quartum circiter ætatis suæ surdus & mutus, audire tunc primum, mox & loqui cæpit; nam a quibusdam Theologis examinatus, qualem de DEO ideam habuerit? inventus est nunquam de illo cogitasse, etsi a Catholicis parentibus natus edoctusque fuerit signo crucis frontem munire, ad elevationem SS. Hostiæ pectus percutere &c. Dein cum Deus sit tantum *simplex* quædam *natura*, si mentes nostræ omnia in ipso viderent, intuendo sic *divinam intelligentiam*, omnium possibilium rerum ideis æquivalentem, nihil *ignorare* plane valerent; & consequenter essent omniscíæ. *Nec dicat* P. MALEBRANCHE: Quod Deus non *omnia* mentibus nostris in hac vita *detegat*, sed plurima ac potissima *occultare* soleat. Nam

Contra est. 1. Repugnat prorsus ens *simplicissimum* videre, nec tamen *integrum*, 2. Si Deus saltem *aliqua* manifestat, tunc certe non *inutilia* ac noxia, suæque gloriæ contraria manifestat: atqui hoc falsum est, cum maxima idearum humanarum pars sit

inu-

inutilis, *noxia*, & *mala*. 3. Denique illi, qui in cœlis sunt, omnes *beati* sunt, quamquam pro meritorum differentia *perfectiorem* alii aliis Dei visionem habeant, pluraque illis quam istis Deus in se tanquam in *speculo voluntario* videnda proponat: ergo etiam *beati* adhuc in hac vita pariter dicendi essent, qui divinam essentiam, etsi *imperfectius*, in sententia P. Malebranchii intueri possent; quod proxime accedit ad errorem *Beguardorum*, & *Beguinarum*, asserentium, *quod homo possit jam in hac vita Beatitudinem obtinere*, qui error damnatus est a Clemente V. P. M. in Concilio Viennensi anno 1300. celebrato. Favens errori Beguardorum,

Probatur. 2. In hac sententia ratio dari nequit 1. Cur, cum omnes mentes *æqualiter* Deo conjunctæ sint, non omnes tamen æqualiter videant? 2. Cur *eadem* mens in *pueritia*, *adolescentia*, *virili* ætate ac *senectute* non sit *æqualiter* videns? 3. Cur, cum promptuarium idearum nostrarum Deus sit semper *idem*, non etiam *memoria* nostra non semper sit *eadem*? quinimo sic nulla omnino *in cerebro* memoria statui debet a P. Malebran- Et experientiæ repugnās

CHIO; sed *in sola Dei essentia* intime præsente, 4. Cur in *morbis* notitia rerum amittatur? non enim credibile est, quod Deus ita nobis ex sola morbi alicujus causa irascatur, ut priores ideas subito occultet. 5. Denique cur homines quandoque amentes fiant, ac legum quoque divinarum ignari & contemptores? nam si quid hominibus Deus revelet in semetipso, eæ profecto sunt *leges* Divinæ, quas tanta cura illis inculcat.

Solvuntur Objectiones

CONTRA I. ET II. PROPOSITIONEM.

Lumen naturale est nobis concreatum unacum mentis indifferentia, quæ non est in brutis.

OB. I. *ex paritate. Apibus* congenitus est habitus mellificandi, *araneis* habitus texendi, *avibus* habitus nidificandi &c. qui habitus non consistunt in *actuali cognitione* suorum objectorum, nec in pura *capacitate* ad acquirendam cognitionem illarum artium, sed in tali *præparatione potentiarum*, ut, accedente actuali motione earum per objectum, statim resultet actualis idea objecti: ergo etiam dici po-

poteſt, quod Deus *hominum* ingenia ſic diſpoſuerit circa aliquas *veritates*, ipſis in ordine ad finem ſuum imprimis utiles ac neceſſarias, & conſequenter dantur Ideæ *innatæ*. R. ex hac paritate nil aliud ſequitur, quam quod detur in homine *lumen* quoddam *naturale*; ſicut datur in *apibus*, *araneis* & *avibus* ad ſuas operationes peragendas, quod utique nemo negat; aſt Ideas *innatas* non poſſe in hoc ſenſu accipi paulo ante jam dictum eſt. Dein lata adhuc inter *homines* & *bruta* diſparitas intercedit, eoquod homo præter *lumen naturale* inſuper habeat *libertatem a neceſſitate* ad actiones ſuas *libere* ponendas, non autem Bruta, quæ inſtinctum naturæ *neceſſario* ſequuntnr, a quo ad *unum* tantum determinantur, hinc etiam bruta *æqualiter* & *uniformiter* abſque prævia *inſtructione* artes ſuas exercent, non ſic humanum genus, ut uſus & experientia quotidiana teſtatur &c.

Ob. 2. Multa percipimus *independenter omnino a ſenſibus*, nempe ea omnia, quæ Carteſiani proferunt, ut ſunt *DEUS*, *ens*, *ſubſtantia*, *veritas*, *prima principia* &c. ergo dantur ideæ inna- A ſenſibus proveniunt omnes ideæ.

innatæ. P. A. Ea omnia non possunt sui speciem sensibus imprimere: Ergo. R. N. A. Ad p. D. A. Speciem intuitivam C. A. abstractivam seu præcisivam Subd. immediate C. A. mediate N. A. & C. Humana mens ex innata sibi vi potest *invisibilia* cognoscere ex *visibilibus*, & ex singularibus universalia excerpere, (CCCIV.) futura ex præsentibus, & ea, quæ non sunt, ex iis quæ sunt, colligere valet. Sic

Idea Dei. I. Idea Dei a posteriori habetur ex rebus *sensibilibus*, quæ scilicet, quia non possunt sibi ipsis dare *suum esse*, mens exin *ratiocinatur*, quod debeat dari aliquod *ens primum*, seu *causa prima*. Pariter Unitas Dei ex *ordinata* mundi visibilis *gubernatione*, itemque aliæ Dei perfectiones ex sensibilium creaturarum perfectionibus (semotis per intellectum phantasmatibus ac imperfectionibus) desumuntur, & quasi *depurantur*; nempe dum ens *æternum*, *immensum* &c. concipimus, ab illius existentia omnes terminos *loci*, *temporis* &c. quos per mentis *ratiocinium* inferimus indignos Deo illimitato, removemus.

II.

II. Ideam *Spiritûs* concipimus, dum excludimus proprietates, quas in *corporibus* observamus, ut sunt *divisibilitas*, *figura &c.* his dein simili *ratiocinio*, ex nostra *experientia* & *sensu intimo* deducto, addimus alia v. g. *potentiam volendi*, *cogitandi &c.* Spiritus.

III. Idea ENTIS fit, *abstrahendo* à rebus singularibus præcisum illum *conceptum* alicujus NON REPUGNANTIS EXISTERE. Entis.

IV. Idea SUBSTANTIÆ eodem modo producitur, per conceptum a re *singulari* abstractum, quo res illa singularis nude spectatur ut *aliquid per se existens*, seu, ut RR. volunt, ut *subjectum mutationum* (LV.) Substantiæ.

V. Idea VERITATIS habetur si inter duas aut plures res sensibiles *suo exemplari conformes* talis fiat *præcisio*, ut sola earum *conformitas* in abstracto consideretur. Sicque de aliis ejusmodi ideis dicendum est. Veritatis.

VI. *Axiomata* seu *prima principia* cognoscuntur, dum mens *ex particularibus* itidem propositionibus *generales* Primorũ principiorum.

ſeu univerſales deducit e. g. *domus eſt major quam janua, totus mundus eſt major quam Europa aut Germania, totus homo eſt major quam illius pes aut manus &c.* *ergo* OMNE *totum eſt majus quam pars &c.* *Principia* vero *moralia* e. g. *DEUS eſt colendus, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* &c. per intellectum rite diſpoſitum eruuntur ex ideis *DEI*, utilitate *vitæ ſocialis*, vel *educatione*, *exemplis*, *pænis &c.*

Animæ noſtræ. VII. Idea ANIMÆ noſtræ, quam *a poſteriori*, hoc eſt, ex effectibus ſuis (*cogitatione* ſcilicet, & *diſcurſu*) cognoſcimus, dependet ab *ideis*, ſine quibus nemo *cogitare* valet; ideæ vero omnes rerum, de quibus cogitamus, dependent a *ſenſibus* mediate vel immediate, ut modo dictum eſt: ergo & idea *animæ*.

Cognitio dulcis & amari nō evincit ideas innatas in pueris. OB. 3. Omnes, etiam pueri, cognoſcunt, rem unam eſſe *dulcem*, aliam *amaram &c.* ergo habemus ideas *innatas* de ejusmodi rebus. R. D. A. Cognoſcunt per lumen naturale, & ex ipſa ſtructura *fibrillarum nervearum*, guſtûs organo deſervientium (CCXCI.) quæ in diverſis diverſa eſt, unde & or-

ortum habet illud vulgatum: *de gustibus non est disputandum* C. A. ex ideis innatis. N. A. Sed plura de *gustu* in *Physica*.

Inst. Pueri satisfaciunt nonnullis quæstionibus, quibus dissolvendis solum naturæ lumen non satisfacit: ergo in illis dantur ideæ *innatæ*. P. A. teste CICERONE *QQ. Tuscul. L. I.* Socrates ex pusione quæsivit nonnulla *Geometrica* de dimensione quadrati, ad quæ sic respondit puer, quasi Geometriam didicisset: Ergo. R. N. A. Ad p. dico cum SCOTO, puerum illum a Socrate interrogatum recte respondisse non jam *indoctum*, sed doctum, quippe puer faciliora primum solo *lumine naturali* percepit, tum vero & lumine naturali, & *acceptis* jam *notitiis* doctior effectus cætera enodavit.

Nec respondendi ad res Geometricas facilitas.

OB. 4. DEUS creavit animas rationales *in statu perfecto*: atqui *innatæ* ideæ spectant ad animæ rationalis *statum perfectum*: Ergo DEUS animas creavit cum ideis innatis. R. D. M. In statu perfecto *substantiali* C. M. *accidentali* N. M. & D. m. spectant ad statum perfectum accidentalem C. m. substantia-

Ideæ innatæ non spectant ad substantialem hominis perfectionem.

lem N. m. & C. *Scientiæ* omnes ad accidentalem tantum hominis statum pertinent: Ergo etiam *ideæ*, ad scientias acquirendas requisitæ.

Inst. 1. DEUS Adamo concreavit ideas innatas: ergo etiam aliis hominibus. R. N. C. Quando enim *uni fit gratia*, *alteri* propterea *non fit injuria.* DEUS Adamum in perfecta *virili* ætate creavit, sicque etiam perfectiones omnes *ætatem illam decentes* illi tanquam primo gentis humanæ *Magistro* communicavit; secus fit in Adæ posteris, qui omnes nascuntur ut *infantes*, & ut *tabulæ rasæ*, possunt tamen isti per aliorum, qui nunquam desunt, Magistrorum *instructionem* in juventute addiscere, quod in virili ætate ipsos scire decet.

Inst. 2. Quælibet potentia debet habere innatum suæ operationis principium: atqui ideæ rerum innatæ sunt principia operationum mentis nostræ: Ergo mens nostra ideas debet habere innatas. R. N. m. Nam principia operationum mentis nostræ sunt potius *intellectus* & *voluntas.* Dein ideæ rerum non dependent a sola *potentia*, sed

etiam

etiam ab objectis, quorum tamen præsentia non est in nostra potestate.

Ob. 5. Experientia constat, variam hominibus inesse *inclinationem* ad scientias; unus enim v. g. ad *Medicinam*, alter ad *Jurisprudentiam*, alter ad *Mathesin* propendet: atqui hujus rei alia non est causa, nisi *innatæ* nobis ideæ: Ergo. R. N. m. Venit enim hoc tum ab *educatione*, primaque in juventute *applicatione*, ac fructûs assequendi *spe*; tum etiam a multiplici *cerebri* humani *dispositione*; nam qui *spirituum* v. g. majori copia abundant, ii ad *speculativas* facultates propensissimi sunt, quorum econtra *cerebrum* est *crassius*, & spiritibus vivacioribus destitutum, hi ad *experimentales* maxime sese applicare solent *artes*.

Inclinatio hominum ad varias scientias non indicat ideas innatas.

Ob. 6. Ideæ omnes *ope sensuum* nobis exhibitæ sunt *materiales*, cogitationes vero animæ sunt *spirituales*: atqui spirituale non potest ortum habere a materiali: ergo ideæ saltem rerum *spiritualium* nobis sunt innatæ. R. D. m. Non potest ortum habere a materiali *immediate* C. m. *mediate* in sensu superius explicato N. m. & C.

Ideæ spirituales oriri possunt ex materialibus.

Verum quidem est, quod nulla in intellectu pro statu moderno conjunctionis animæ cum corpore, daretur idea de *insensibili* re, si deficeret *sensibilis*: attamen manet intellectui salva vis congenita ponendi cognitiones etiam pure *spirituales* v. g. *Dei*, *spirituum* &c. quatenus ab eodem removentur per *reflexionem* ea omnia, quæ *corporeum* quidpiam sapiunt, unde falsa est illa *Antropomorphitarum* nefaria hæresis, quæ Deo tribuit *formam*, *membra* & *passiones hominis*. Dein neque pure sensibilia ut *sensibilia* intellectus percipit, sed cognitiones ejusmodi ope sensuum acquisitas *depurare* per reflexionem scit, seu potius objecta *materiali schemate*, quo vestiebantur, *exuere*, ac spirituali cognitione attingere, ut in *Psychologia* clarius exponetur. Denique si *sensus* non habent insitas rerum *corporearum* imagines, cur *intellectus* habeat ideas innatas rerum *spiritualium*? cum tamen intellectus sit potentia *activa*, sensus vero mere *passiva*.



Sol-

Solvuntur Objectiones

CONTRA III. PROP.

OB. I. Datur in Deo *mundus intelligibilis*, in quo rationes omnes, & notiones continentur: ergo si mens *substantialiter* cum Deo est *unita*, necessario in illo videt, quæcunque intelligit, *subs.* atqui mens est unita cum Deo, & quidem arctius, quam cum corpore; ergo mens nostra omnia intelligit in Deo ipsi intime conjuncto. R. N. C. Nam ipse Cl. P. Malebranchius probe animadvertit, eam unionem non sufficere, ut mens in Deo cuncta videat, quæ intelligit, sed insuper requiri docuit; ut ei Deus ideas hujusmodi *detegat*. Unde per *Instantiam* quæro a Malebranchianis: vel per istam *unionem mentis cum Deo* intelligunt unionem *substantiarum*, vel unionem *operationum*? neutrum dici potest: ergo ista eorum sententia non subsistit. P. m. Non *primum*, quia id non sufficit, ut mens intelligat, nisi *2dum* accedat. Dein ex illo sequeretur, quod simul Mens *DEI* aut *pars* aut *modificatio* foret, indeque *una* tantum

Unio mentis cum DEO non est ratio cognoscendi in homine.

tum

tum in hoc universo substantia assereretur, omnia permeans, qua omnia vivant & cogitent, ut impius SPINOZA docuit. Nec 2*dum*, quia hoc est idem, ac dicere: *Mens unita est Deo, quia per communicationem idearum & luminis Dei intelligit omnia*, quod est ignotum probare per ignotum, ac petere principium (CCXXVI.)

S. Scriptura P. Malebranchio non favet.

OB. 2. Systemati huic S. Scriptura aperte favet: ergo non est temere rejiciendum. P. A. *Psalm.* 3: *v.* 10, de DEO dicitur: *qui docet hominem scientiam.* *Act.* 17. *v.* 28. Paulus ait: *Deus non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso vivimus, movemur & sumus.* Maxime autem Jacobus C. 1. *v.* 17. affirmat DEUM esse *patrem luminum*, & rursus Paulus *Rom.* 1. *v.* 19. aperte inquit: *Deus enim illis* (hominibus) *manifestavit.* Denique *Joan.* 1. *v.* 9. de DEO dicitur, quod sit *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* &c. ergo. R. N. A. ad p. dico, textus illos in *alio*, & duplici quidem *sensu* a SS. Patribus intelligi, 1. quod RATIO (quæ velut *lumen mentis est*) a DEO sit & conservetur. 2. Quod DEUS eandem hominis

nis rationem naturalem per *Prophetiam* seu *revelationem* emendet atque perficiat, sicque *Divina* LEX dicitur *Lucerna ardens ante pedes*, PROPHETIA vero vocatur *lumen in tenebricoso loco lucens*, & CHRISTUS: *lux*, *veritas & via.*

Nec S. Augustinus.

Inst. S. AUGUSTINUS in toto *libro de Magistro* nititur demonstrare, quod homo nihil *per sensus* discere queat, sed a DEO, qui intus in corde loquitur, erudiatur, juxta illud S. Scripturæ: *unus est Magister vester, qui in cœlis est.* Math. 23. v. 10. Quem librum ille, cum retractasset *L.* 1. *Retract. C.* 12. illam nihilominus sententiam confirmavit: imo in aliis etiam libris idem docuit, ut sunt *L. de Trinit.* & *Confess.* ergo ille S. Ecclesiæ Doctor favet Systemati P. Malebranchii. R. 1. cum Cl. ANTON. GEN. quod S. AUGUSTINUS in ea sententia *Doctor singularis sit*, cujus idcirco nomen nemini potest vim inferre, ut *authoritati* cedat etiam *sine ratione*; ipsiusmet enim S. Doctoris in ejusdem libris frequens sententia est, nullius hominis authoritati assentiendum esse, nisi quatenus aut *Divina authoritate*, aut probabili *ratione naturali* utatur. R. 2. quod S. Do-

Doctor tantum intelligendus sit, quod nos res omnes conspecturi simus in Divina essentia olim in *patria* sive *in Cœlo*, non autem modo *in hac vita*, ubi nullum datur *lumen gloriæ*, in quo videamus illud *ineffabile lumen*; sic enim loquitur ipsemet in *L.* 83. *QQ. q.* 46. *Ideæ in Deo sunt, illæ tamen in hac vita minime videntur, assequemur autem eas in patria.*

EXERCITATIO II.

AN DETUR IDEA FALSA?

Status quæstionis.

VEritas alia est *cognitionis*, alia *judicii*. 1*ma* habetur, si objectum sit conforme *cognitioni*, 2*da* tunc obtinetur, si objectum tale est, quale mens *judicat* esse. Nos *veritatem* hic in *primo* sensu accipimus, eo ipso, quia idea *de se* tantum ad *cognitionem* seu *simplicem apprehensionem*, non vero ad *judicium* spectat.



PRO-

PROPOSITIO.

NULLA DATUR IDEA FALSA.

PROBATUR. Omne objectum est conforme *cognitioni*: ergo in omni objecto datur *veritas cognitionis*. P. A. Si aliquod objectum non esset conforme *cognitioni*, esset v. g. dum *aurichalcum* apprehendo pro vero *auro*, baculum *curvum* pro *recto* &c. atqui hic non datur *difformitas* seu *falsitas cognitionis*: ergo. P. m. Dum *aurichalcum* pro *auro* reputo, non *aurichalci* ideam habeo, sed *auri* tantum, & quidem *vere*, alioquin enim male diceretur, a me *aurum* cognosci *pro aurichalco*: ergo non habeo difformitatem seu *falsitatem* cognitionis respectu *aurichalci*, sed *nullam* (consequenter etiam nec *falsam*) illius cognitionem seu *ideam* habeo. Nempe licet in eo casu non percipiatur res objecta *sensibus* externis, percipitur tamen res vere objecta *menti*, quæ sola est *perceptionis objectum*, utpote quæ sola menti percipienti obversatur. Non datur idea falsa.

CONFIRMATUR. Mens percipiendo non fallitur, si nihil rei *tribuat*, quod illi

illi tribuendum non sit, nihilque *detrabat*, quod ei non sit detrahendum: atqui per *simplicem apprehensionem* (ad quam solam *idea* per se spectat) hoc fit: ergo mens non fallitur. P. m. Nihil enim de ipsa re apprehensa *affirmatur* aut *negatur* in prima mentis operatione: ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

Idea est tantum imago rei, quæ cognoscitur.

OB. 1. Illud est falsum, quod rem aliter repræsentat, ac est in se: atqui sæpe idea id facit: ergo datur idea falsa. P. m. Sæpe refert v. g. *aurum*, dum deberet repræsentare *Aurichalcum*: ergo. R. D. m. id est, aliter ac *repræsentanda* esset C. m. aliter ac *cognoscitur* N. m. & C. Idea nullius alterius est *repræsentatio*, quam illius rei, quæ *cognoscitur* (cum sit *imago rei*) unde sicut *tali* modo & non *alio* menti repræsentatur objectum, ita etiam tali modo verum est quoad *cognitionem*.

Inst. 1. Communiter dicitur: hic rem *male* vidit, hoc est, *aliter* rem *cognovit* ac est, prout & sæpe fallimur circa personas visas: ergo dantur ideæ fal-

falsæ. R. D. C. Si desuper fiat *judicium*, quod res ita se habeat, ut fuit cognita C. C. Si non fiat *judicium*, sed simpliciter tantum apprehendatur N. C. & C. Simplex apprehensio nil *affirmat* vel *negat*, hinc neque *veritatis* neque *falsitatis* capax est; *cognoscitur* autem *vere* id, quod *menti* repræsentatur, indeque si *aurum* v. g. pro *aurichalco* cognoscitur, mens *nullam* prorsus, ut dictum est, *aurichalci* ideam habet, & consequenter nec *falsam* (*falsa* enim tantum foret, si mens *aurichalcum* perciperet, & in illo aliquid *aliter* perciperet, ac est) sed potius habet *aurichalci ignorantiam*; *auri* vero habet *ideam veram*, quia istud vere *cognoscit*.

Inst. 2. Nulla idea in nobis excitari potest, nisi ab ea ipsa re, cujus est idea: ergo ipsa res in se *falso* cognoscitur, si per ideam in sensibus non excitatam mente concipitur. R. N. A. Nam *similitudo* objectorum, *præjudicia* infantiæ, aut alia quæcunque *deceptio* potest esse causa alterius ideæ, quam mens facit ad similitudinem objecti, *sensibus*, ut *in se* est, debite non apparentis, sicut v. g. etiam *ex Creaturis*

poteſt in mente excitari idea Dei: talis autem omnino *vera* eſt, quia eſt conformis *objecto* hic & nunc in *mente* exiſtenti, licet non congruat *creaturis*, ſeu objecto *ſenſibus* repræſentato. Plura videlicet dantur corpora, ex ſe quidem diverſa, ſed tamen quoad aliquas ſenſibiles, magisque obvias qualitates prorſus *ſimilia*; quapropter, cum primo nobis occurrunt, *easdem* etiam *motiones* in organis ſenſuum excitant, atque ex iisdem motionibus, in organis ſenſuum factis, easdem *ideas* in mente neceſſario excitant, adeoque impedire non poſſumus; quin corpora *diſſimilia* ſimiles quandoque ideas in nobis excitent, quæ omnes *veræ* dicendæ ſunt, quia ſemper percipitur res objecta *menti*, licet non percipiatur res objecta *ſenſibus*, niſi quoad ideas illas analogas *adventitias*, ex quibus mens cudit *factitias* vere menti cognoſcenti inexiſtentes.

Inſt. 3. Apprehenſio *aurichalci* pro vero *auro* eſt difformis objecto, neque intellectus attingit id, quod *intendit*: ergo ejusmodi, apprehenſio falſa eſt. R. D. 1. *membrum* A. eſt difformis objecto ſenſuum Tr. A. objecto

men-

mentis, ſive objecto cognito N. A. vel aliter D. eſt difformis *negative* tantum & *materialiter*, ſeu *reſpectu materiæ* C. A. Poſitive & formaliter ſubd. ratione ſubſequentis Judicii C. A. in ſe N. A. dein etiam D. 2. *membr.* A. intellectus non attingit, quod intendit, hoc eſt, habet *ignorantiam* aurichalci C. A. habet errorem ſeu *falſitatem* N. A. & C. Et pono hanc *inſtantiam*: vel mens rem ſibi objectam percipit, vel non? ſi 1*mum*: ergo *veram* habet illius ideam. Si 2*dum*: ergo *nullam* habet, conſequenter nec *falſam*.

Inſt. 4. Perceptiones *Chimericæ* v. g. Hircocervi, Vulpanſeris &c. *falſæ* ſunt, quia a parte rei ejusmodi animalia non dantur: ergo adhuc dari poſſunt ideæ falſæ. R. D. A. Si de illis fiat *judicium* C. A. in *ſimplici apprehenſione*. N. A. & C. Si *ſimpliciter* tantum *apprehendantur*, per modum *non entis* vere cognoſcuntur (CCCXXX.) plerumque tamen ejusmodi perceptiones fiunt per ideas *factitias* ex rebus *ſeorſim* prius conceptis, v. g. *hirci* & *cervi*, ideas *ſimplices* combinando in unam *compoſitam*.

Inst. 5. Idea composita seu complexa involvit *compositionem* cum alio: ergo etiam involvit judicium: *subs.* atqui in judicio potest esse falsitas: ergo etiam in idea composita potest esse falsitas. R. D. A. involvit compositionem, hoc est, rem compositam menti exhibet, attamen sine affirmatione & negatione C. A. affirmando vel negando unum de alio N. A. & C.

Datur idea vera.

Ob. 2. Datur idea *vera*: ergo etiam datur idea *falsa*. R. N. C. *& par.* disp. est, quia perceptio potest esse *conformis* objecto, non vero *difformis*; nam eo ipso, si est difformis, objectum illud omnino *non percipitur*, sed *aliud*, & consequenter non *falso*, ut sæpe jam dictum est. Dein datur quoque *veritas*, & quidem *summa* in Deo, cui nulla opponitur *falsitas*: datur item *veritas entitativa* in omni *ente*, eique nullo modo competere potest *falsitas*: ergo etiam dari potest in simplici *apprehensione veritas*, cui nulla opponatur *falsitas*.

Datur quandoque judicium falsum.

Ob 3. *Judicium* potest esse falsum: ergo etiam *idea*: R. N. C. *& par.* disp. est, 1. quia in judicio aliquid *affirmatur*

tur vel *negatur*, non autem in idea. 2. Quia unius rei nonnisi *una* est *perceptio*, hinc eidem rei tanquam proprio objecto *utraque* idea, scilicet tam *vera* quam *falsa* applicari nequit: econtra de eodem objecto, penes eandem rationem spectato *plura* simulque *opposita* formari possunt *judicia*.

EXERCITATIONES IN II. PARTEM LOGICÆ JUDICATIVAM.

EXERCITATIO I.

AN PROPOSITIO VERA POSSIT IN FALSAM TRANSIRE?

QUæstio non procedit de propositionibus in materia *necessaria*, vel *impossibili*, nam ejusmodi propositiones juxta omnes ita sunt *veræ*, ut nullo modo *falsæ* fieri aut esse queant; sed in materia *contingenti*: quippe hæ solæ ita sunt veritati conjunctæ, ut in eo ipso instanti, quo *veræ* sunt, potuerint esse *falsæ*. Quælibet porro ejusmodi propositionum dupliciter Status quæstionis.

Propositio materialiter & formaliter vera.

spectari potest. 1. *Materialiter* & *absolute*, quatenus præcise termini propositionis *sua significata* repræsentant; e. g. *Petrus scribit*, ubi nuda *Petri scriptio* denotatur. 2. *Formaliter* & *relative* ad *copulam*, quæ est *forma* propositionum (CXXIV.) & sic non tantum termini repræsentant sua *significata*, sed etiam simul *determinatam temporis differentiam* involvunt (CXXIII.) ita ut tota propositio accipiatur pro *tempore*, non quo formatur *nunc*, sed pro quo conformiter suæ copulæ primum *formata* fuit, & in hoc sensu veræ sunt omnes Prophetiæ in S. Scriptura contentæ, & tempus *futurum* indicantes e. g. *orietur stella ex Jacob*. *Ninive subvertetur* &c. etiam hodie prolatæ, si nempe ad illud tempus, pro quo a Prophetis formatæ sunt, referantur, licet, si ad *modernum* œvum referantur, *falsæ* existerent. Jam in hoc *ultimo sensu* ponitur



PRO-

PROPOSITIO.

EADEM FORMALITER PROPOSITIO NEQUIT DE VERA IN FALSAM TRANSIRE.

Propositio contingens semel vera semper manet vera.

PROBATUR. Hæc propositio *formaliter* sumpta v. g. *Petrus studet*, semel vera v. g. pro hora 2da, pro qua fit, & qua Petrus etiam studet, omni tempore subsequenti supponit pro studio Petri *pro hora secunda*, licet Petrus tempore subsequenti v. g. *hora 3tia* & 4*ta* non amplius studeat: ergo omni tempore subsequenti dicta propositio *formaliter* sumpta, est & manet vera de studio Petri *pro hora secunda*, & consequenter non potest successive fieri *falsa*; secus enim jam supponeret pro *alio* studii *tempore*, & sic eo ipso non foret amplius eadem *formaliter* numero propositio, quæ primo fuit facta, quia *copula* seu *forma* propositionis immutata jam *alium* judicii mentalis *actum* importaret: (CXXI.) CONFIRMATUR. Omne, quod est, quando est, necesse est esse eo instanti, quo est (cum idem simul *esse*

& non esse absolute repugnet) ergo etiam objectum propositionis de præsenti est *immutabile*, & consequenter neque ipsa propositio potest mutari. Et sane per hunc loquendi modum salvatur *veritas* Prophetiarum, quæ suum jam consecutæ sunt effectum, non autem in sententia contraria, in qua dici debet, quod modo illæ propositiones Propheticæ adimpletæ, ex *veris* transierint in *falsas*, quæ est locutio *piarum aurium offensiva*, & *male sonans* (CXXXVII.) cum sic argui posset, quod in S. Scriptura modo continerentur *propositiones falsæ*. Accedit, quod ipsa etiam S. Mater Ecclesia hunc sensum nostrum approbet, dum in officio v. g. *Vigiliæ Nativitatis Christi* canens: *hodie scietis, quia veniet dominus, & mane videbitis gloriam ejus* &c, horum verborum sensum videtur aperte dirigere in illud *tempus*, quo CHRISTUS *nondum natus* fuerat.

Solvuntur Objectiones.

Veritas est accidentalis proposi-

OB. 1. Veritas & falsitas sunt propositioni contingenti *accidentales*: ergo propositio ejusmodi vera e. g. *Petrus*

Petrus studet, potest mutari in falsam, & econtra. R. D. A. Si illa propositio consideretur *materialiter*, *absolute*, & ante enuntiationem. C. A. Si spectetur *formaliter*, *relative ad* copulam, & post factam pro tempore determinato enuntiationem. N. A. &. C.

tioni materialiter, non formaliter spectatæ.

Inst. 1. Tali modo propositio *contingens* non differret a *necessaria*: atqui hoc non potest admitti: ergo nec id, unde sequitur. R. N. S. M. Nam propositio *necessaria* est propositio *æternæ veritatis*, ita ut *ab æterno* & *in æternum* semper vera sit e. g. *homo est animal rationale*, quia ibi copula sumitur in *vi nexus* tantum (CXXIII.) econtra in propositione *contingente* prædicatum subjecto ita convenit, ut saltem *antecedenter* posset ab eo etiam abesse (CXXV.) licet *consequenter*, seu post factam enuntiationem *in æternum*, & *pro tempore futuro dependenter a certo temporis instanti* non amplius abesse queat.

Inst. 2. In dato casu Petrus v. g. *hora tertia* non amplius studet: ergo tunc ista propositio: *Petrus studet*, erit falsa. R. D. C. Si supponit *pro hora*

tertia. C. C. Si hora tertia adhuc supponit, & verificatur pro hora secunda N. C. &. C. vel aliter D. C. erit falsa *materialiter* & *absolute* spectata C. C. *formaliter* & *relative ad copulam* considerata. N. C. & C. Quod autem propositio illa ad *determinatum tempus*, quo Petrum currere actu pronuntiamus, referenda sit, ut *vera* aut *falsa* censeri possit, ex eo deducitur, quod solum illud *temporis spatium* ad ipsius propositionis *objectum* jure pertineat; alias enim nulla omnino esset propositio vera in materia *contingenti*, cum nulla sit in hac materia, cujus objectum *eodem semper modo* se habeat, sicut in ipsa propositione enuntiatur, falsæ quoque defacto essent omnes propositiones, quas de primo Christi adventu continet S. Scriptura, ut mox dictum est.

Inst. 3. Propositio contingens potest esse indifferens ad significandum *hoc* vel *illud* instans temporis: ergo sicut tempus mutatur, ita quoque propositio mutari potest. R. D. A. Potest esse indifferens, si *materialiler*, *absolute*, & *ante enuntiationem* spectetur. C. A. Si *formaliter* & post factam enuntiationem

tionem consideretur. N, A. & C. Certe sicut hæc propositio: *aliquis homo est doctus*, ut *vera* sit, ad unum certum & *determinatum* individuum, in quo *verificetur*, quoad subjectum restringi debet (XCIX. 4.) ita pariter, ut hæc propositio: *Petrus aliquando studet* (ubi τὸ *aliquando* denotat *contingentiam* (CXXVI. 4.) *vera* vel *falsa* esse censeatur, *tempus determinatum* definiendum est; alias semper est propositio *neutra*, quod implicat. Porro sicut illa propositio: *aliquis homo est doctus*, non est *falsa* ex eo, quod v. g. *Paulus* non sit doctus, ita etiam hæc: *Petrus (aliquando) studet*, falsa dici non debet ex eo, quod Petrus *aliquo tempore* (v. g. *hora tertia*) non studeat, sed requiritur, ut *nunquam* studeat; sicut etiam *nullus* homo debet esse *doctus*, ut prior propositio (*aliquis homo est doctus*) evadat *falsa*: consequenter *vera* est hæc propositio, si tantum *pro una horæ parte* Petrus studeat, vel *determinata* (si eam in mente sua quis præfixerit) vel *indeterminata* (Si tantum judicatum sit, fore, ut Petrus intra unius horæ spatium *aliquando* studeat) vel denique, si quis omnino judicaverit, Petrum

studiis

ſtudiis *per integram horam* eſſe vacaturum, tunc, ſi etiam tantum per *partem horæ* a ſtudiis vacet, propoſitio erit *falſa*. Sin autem poſtremo *nullam certam temporis differentiam* quis animo definierit, tunc, ſi Petrus ſtudeat, *vera*, ſi non ſtudeat, *falſa* erit, ſed *materialiter* tantum propoſitio illa ſpectatur.

Inſt. 4 Pro inſtanti ſequenti v. g. *hora tertia*, qua Petrus non amplius ſtudet, jam variatum eſt propoſitionis objectum: ergo tunc erit falſa. R. D. A. *Materialiter*, & in eſſe phyſico C. A. *formaliter*, & in eſſe logico ſeu repræſentativo. N. A. & C.

Inſt. 5. Iſte actus: *Petrus ſcribit in inſtanti A.* non poteſt repræſentare Petrum ſcribentem pro inſtanti A in inſtanti B: ergo data diſtinctio non ſubſiſtit. P. A. Eſſet enim propoſitio de *præſenti* & *præterito* ſimul. R. N. A. ad P. D. A. *Materialiter* & per *ampliationem*. (XCIII.) repræſentando ſcilicet objectum, quod *fuit* præſens, & modo eſt præteritum C. A. *formaliter* & pro *ſtatu*, hoc eſt repræſentando illud ut *præſens* & *præteritum* ſimul. N. A. & C.

OB.

Ob. 2. Paries albus potest mutari in nigrum, quia albedo & nigredo sunt illi *accidentales*: ergo etiam propositio *vera* potest mutari in *falsam*, quia veritas & falsitas sunt ei *accidentales*. R. ut antea D. C. propositio *materialiter* spectata C. C. *formaliter* spectata N. C. & C. simulque *inverto argumentum*: murus *ut albus formaliter* nequit fieri *niger* pro eo instanti, pro quo habet *albedinem*: ergo etiam propositio *formaliter* sumpta (pro primo scilicet enuntiationis suæ instanti) non potest fieri falsa, æque ac *repugnat, ut, quod est, non sit, quando est.*

EXERCITATIO II.

AN PROPOSITIONES DE FUTURO CONTINGENTE ABSOLUTO SINT DETERMINATE VERÆ VEL FALSÆ, PRÆSCINDENDO A DECRETO DIVINO?

Futurum quomodo definiatur?

Futurum ab Aristotele dicitur esse id, *quod est determinatum in causa ad habendam existentiam in duratione sequenti*, estque *medium* inter *actu existens*, quod jam est positum

extra

extra suam causam, & inter *possibile*, quod continetur in causa *nondum determinata* ad istius productionem: *futurum* vero reipsa quidem non *existit*, attamen in sua causa jam *est præparatum* ad hoc, ut in aliquo sequenti tempore existat. Alii *futurum* sic definiunt: *est id, quod modo non habet, sed habebit existentiam in duratione sequenti*: Nos cum communiore Philosophorum turba priorem *futuri* definitionem hic accipimus.

Decretum Dei.

DECRETUM DEI est *actus providentiæ Divinæ, omnia & singula in tempore eventura præordinans.* Porro, licet DEUS unico ac simplici actu præsentia; præterita & futura cognoscat: nihilominus triplicem quoque in eo SCIENTIAM Theologi solent distinguere. *1ma* dicitur SIMPLICIS INTELLIGENTIÆ, per quam res *possibiles ut possibiles*, seu priusquam (secundum nostrum modum res Divinas concipiendi) formaverit *decretum* de eis producendis vel non producendis. *2da* dicitur SCIENTIA VISIONIS, per quam ab æterno prænoscit res omnes *absolute futuras* (postquam scilicet *decrevit* eas producere vel permittere) *3tia* tan-

Triplex in Deo datur scientia, nimirum simplicis intelligentiæ, visionis, & media.

tandem vocatur SCIENTIA MEDIA, seu conditionata, per quam DEUS cognoscit res, quæ futuræ essent, *si ponerentur hæ aut illæ conditiones.* Nominatur autem MEDIA, quia (secundum illius scientiæ Patronos) *sequitur* scientiam simplicis intelligentiæ, & *præcedit* scientiam visionis, ac proinde inter utramque quasi *mediare* videtur. Et de hac *ultima* nolumus hic falcem in messem *Theologicam* ex instituto immittere, hinc quæstio tantum ponitur de futuro contingente *absoluto*, non *conditionato.*


Inter *contingens* & *indifferens* hæc est differentia, quod *indifferens* sit idem ac *indeterminatum*, & consequenter pugnat cum *determinato;* nec possit res aliqua esse *indifferens* ad effectum, & simul *determinata.* *Contingens* vero ita pugnat cum *necessario*, ut non pugnet cum *determinato*: ac proinde potest res aliqua simul esse *contingenter* futura, & *determinata*, hinc *decretum* DEI concomitans (ut SCOTISTÆ loquuntur) res *contingentes* non facit *necessario* futuras, sed solum *determinatas*, & non amplius *indifferentes.* Cæterum licet re ipsa *decretum* DEI omni-

Discrimen inter contingens & indifferens.

omnium rerum futuritionem defacto jam præcesserit: potest tamen *saltem per actum intellectus* concipi aliquod *instans* (*signum rationis* vocatur:) quo DEUS concipiatur ut *indifferens* ad decernendam rem aliquam contingentem v. g. *finem belli moderni Borrussici*, vel hujus aut alterius hominis *liberam* quamlibet *actionem*. Jam ergo si *pro illo signo rationis* fiant hæ propositiones contradictoriæ de futuro contingenti absoluto: *bellum hoc anno finietur; bellum hoc anno non finietur*. Quæritur, an una illarum propositionum *præscindendo ab omni decreto Divino* sit determinate vera, & altera determinate falsa? an vero utraque sit *neutra*, hoc est nec determinate vera, nec determinate falsa? pro cujus resolutione sit

Signum rationis.

Status quæstionis.



PRO-

PROPOSITIO.

INTER DUAS PROPOSITIONES CONTRADICTORIAS DE FUTURO CONTINGENTI ABSOLUTO, SI PRÆSCINDATUR A DECRETO DIVINO, NEUTRA EST DETERMINATE VERA AUT FALSA.

PROBATUR. *Determinate futurum* est id, *quod est determinatum in causa ad habendam existentiam pro tempore sequenti:* atqui præscindendo a decreto DEI objectum neutrius propositionis; *bellum hoc anno finietur*, *bellum hoc anno non finietur* (scilicet *finis belli* futurus) est determinatum in causa: ergo neutra propositio est determinate vera aut falsa. P. m. Non enim est determinatum 1. in *causa prima*, utpote a qua præscinditur. 2. Non in *causa secunda*, quia, ut duces & milites ad pacem se determinent, requiritur *decretum* DEI *concomitans*, ut Metaphysica docebit. 3. Non in *se ipso*, quia, sicut nulla res contingens potest sibi ipsi dare suum esse, ita neque futurum

De futuris contingentibus non datur determinata veritas absque decreto Divino.

esse: ergo si præscindatur a *decreto* Divino, objectum neutrius propositionis est *determinatum in causa*, sed mere tantum *possibile*.

Respondent *adversarii* 1. Ad futuritionem *causalem* requiri decretum Divinum, non vero ad *futuritionem formalem*, quam dicunt consistere in *negatione existentiæ rei pro nunc*, & *in existentia pro tunc*, *seu pro tempore per copulam importato*, sed

Verificativum formale futuritionis non datur sine decreto Divino.

Contra est. 1. Verificativum *formale* propositionis de futuro contingenti primum resultat ex *causali*, seu ex objecto actu determinato, & consequenter illud *præsupponitur*, ut futuritio formalis *vera* sit, quia *veritas* est *conformitas judicii cum objecto*. 2. Determinata veritas est effectus *pro nunc*: ergo etiam debet habere causam *pro nunc*, ideoque si non habet, nisi *pro tunc*, non erit determinata veritas *pro nunc*, sed tantum *pro tunc*, quo scilicet *actu* ponetur *decretum* de futuritione rei tanquam illius causa & *ratio unica*.

Decretum Dei generale

Respondent *AA.* 2*do.* Sufficere decretum Dei *generale* & *indifferens*, quo Deus

Deus decernat, ſe cum creatura concurſurum, ſi illa ad objectum contingens ſe determinaverit. Aſt rurſus non ſufficit ad futuritionem determinatam.

Contra eſt. 1. Si ipſum Dei decretum eſt *indifferens* & *indeterminatum*, ſane eo ipſo non poteſt eſſe cauſa effectûs determinati, & conſequenter nec dabitur *futuritio determinata*, ſed ſolum indeterminata ac *poſſibilis*. 2. Hæc reſponſio videtur evertere *ordinem* cauſarum, eoquod *cauſam primam* faciat dependere à *cauſa 2da* (quantum ſcilicet ad *futuritionem rerum contingentium* attinet) quod ſine illata Deo injuria a chriſtiano philoſopho dici nequit. Adde, quod prorſus implicet, ut concipiatur creatura ſe *determinare* ad aliquem actum, quin Deus ſe cum illa *condeterminet*, ut in *Theologia* docent Scotistæ; ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

OB. 1. Præſcindendo a decreto Divino una ex his propoſitionibus: *Petrus cras ambulabit*, *Petrus cras non ambulabit*, enunciat *ambulationem* Petri craſtinam, & hanc ipſam altera negat; Propoſitiones de futuro contingenti ſunt tantum

Indeterminatæ veræ absque decreto Divino.

ergo una est determinate vera & altera falsa. P. C. Ex duabus propositionibus *contradictoriis* semper una debet esse vera, & altera falsa (CLIII.) atqui hæ sunt propositiones *contradictoriæ*: Ergo. R. D. A. Enuntiat ambulationem &c. ut *indeterminate* futuram aut non futuram, seu potius ut *possibilem* C. A. ut *determinate* futuram aut non futuram N. A. ad P. D. M. semper una debet esse vera &c. si habeant objectum determinatum C. M. si tantum indeterminatum N. M. vel aliter. Una debet esse vera supposito decreto Divino C. M. eo præciso Subd. indeterminate C. M. determinate N. M. & C. m. N. C. Sicut v. g. oculus dexter *indeterminate* tantum est *necessarius ad videndum*, si non supponatur adesse *actuale exercitium*, & alter oculus sit *æque aptus* (XCIX. 4.) ita pariter, quia præscindendo a decreto Divino nequit haberi aut enuntiari *exercitium ambulationis* Petri, utraque propositio est *indeterminata* & confusa; accedente autem decreto Divino de *exercenda* Petri *ambulatione* oritur primum *determinata* unius *veritas*, & alterius *falsitas*.

Inst.

Inst. 1. Inter contradictoria non datur medium, quia alias idem simul esset, & non esset: ergo una debet esse vera ex illis duabus propositionibus, & altera falsa, etiam præscindendo a decreto Divino. R. D. A. Non datur medium per modum propositionis *mediantis* C. A. per modum propositionis, quæ sit quasi *suspensa* quoad veritatem, vel assensum judicii N. A. & C. Dein ex *contradictione* hic non potest erui veritas, quia inter contradictoria unum est *necessario*, & non tantum *contingenter* verum, adeoque jam quæstio non amplius esset de propositionibus *contingentibus*, sed *necessariis*, quod est contra statum quæstionis.

Ex contradictione sola non oritur determinata veritas propositionum.

Inst. 2. Si utraque propositio est *suspensa*, tunc eo ipso jam non sunt contradictoriæ, quod est magis contra statum quæstionis; ergo prior Responsio non subsistit, R. D. A. si utraque est suspensa quoad modum significandi C. A. si tantum quoad veritatem, vel assensum judicii. N. A. Duæ propositiones contradictoriæ etiam præciso decreto Divino vere quidem aliquid significant,

& *enuntiant*, in suo esse *materiali* consideratæ, nempe *ambulationem* v. g Petri; attamen quia hæc *absque decreto* divino est tantum *indeterminata*, intellectus debet judicium suum suspendere, vel si judicat, ejus judicium debet esse tale: *Possibile est Petrum cras ambulare, possibile est Petrum cras non ambulare*; utrumque enim tantum *possibile est*.

Inst. 3. Ergo Petrus nec est ambulaturus, nec non ambulaturus. R, D. Ill. Præscindendo a decreto Divino C. Ill. hoc supposito N. Ill. Nam ante decretum Divinum pure aliquid enuntiatur vi *formæ* (CXXIV.) Judicium tamen intellectus assensum debet suspendere, quia materia nondum est determinata.

Inst. 4. Hæc propositio: *Petrus cras ambulabit*, in statu quæstionis admittitur, & concipitur PRÆSCINDENDO A DECRETO DIVINO: ergo etiam *præscindendo ab eodem decreto Divino* debet admitti ejus objectum, nempe *ambulatio cras futura*, & consequenter *præscindendo a decreto Divino* dicta propositio ut *vera* debet admitti. R. D. A.

Admit-

Admittitur *cum dubio* de illius veritate determinata C. A. admittitur *cum positiva concessione* veritatis determinatæ. N. A. & C. Si præscindatur a decreto Divino, duæ propositiones contradictoriæ de futuro contingenti absolute hic non *conceduntur*, sed præcise *dantur*, ita ut sensus sit: *dato & non concesso &c.*

Inst. 5. Præscindendo a decreto Divino (sive ante omne decretum Dei) *ambulatio* Petri crastina *non est futura*: ergo hæc propositio: *Petrus cras non ambulabit*, eo ipso erit *vera* præscindendo ab omni decreto Divino. R. D. A. Sumendo τὸ *non* præcisive & indeterminate quoad assensum intellectus C. A. sumendo τὸ *non* positive & determinate N. A. & C. Præscindendo a decreto Divino neque hæc propositio: *Petrus cras ambulabit*, neque altera: *Petrus cras non ambulabit*, determinate vera est, sed ipsum *ambulationis exercitium*, manet prorsus *suspensum* & indeterminatum absque illius *verificativo causali* (quod est decretum Divinum) ex quo primum resultat *verificativum formale*, fere sicut v. g. prius debet esse *physice* productus

homo, antequam ab eo resultent *animalitas & rationalitas*, ut SCOTISTÆ loqui solent.

Inst. 6. Inter *esse & non esse* nullum prorsus datur *medium*: ergo neque inter *futurum esse*, & *non futurum esse*, & consequenter, sicut in *priori* casu datur *determinata* veritas aut falsitas, ita etiam in *posteriori*. R. N. C. & *par.* Disp. est, quia τὸ *esse* dicit rem extra suas causas positam, quod ipsum τὸ *non esse* negat: econtra tam *determinate futurum* quam non *futurum* dicit determinationem *a solo & uno decreto Divino*: ergo si ab *isto* præscindatur, neque *illud* habebitur.

Inst. 7. Ex duabus propositionibus contradictoriis *de contingenti præterito & præsenti* una est determinate vera, altera falsa: ergo etiam de *futuro*. P. C. Propositiones de futuro mensurantur per propositiones de præsenti: ergo si istæ sunt determinate veræ, etiam illæ erunt determinate veræ. R. N. C. *disp.* est, quia illarum propositionum *objecta* sunt vere per decretum Divinum *determinata*, non autem in nostro casu.

casu. Unde ad P. D. A. mensurantur &c. tanquam per mensuram *secundam*, & ab alio altiore ac priore, scilicet a decreto Divino dependentem C. A. tanquam per mensuram *primam* N. A. & C.

Ob. 2. Præscindendo ab omni decreto Divino hæc propositio: *Petre ter me negabis*, erat determinate vera: ergo etiam aliæ ejusmodi propositiones ita veræ sunt. P. A. Negatio Petri erat actus peccaminosus & *malus*: atqui ad actus peccaminosos Deus non ponit decretum; ergo &c. R. N. A. ad P. D. m. non ponit decretum *positivum*, sive non decernit approbative & voluntate speciali C. m. non ponit decretum *permissivum*, hoc est, non decernit voluntate generali N. m. & C. Deus quidem non concurrit ad τὸ *esse formale peccati* (quod juxta *Scotistas* consistit in *privativo*) concurrit tamen ad *entitatem physicam* actus mali, quæ *physica* entitas in genere *entis bona* est.

Deus decernit peccata tantum permissive, & voluntate generali.

Inst. Qui permittit peccata, peccat: atqui Deus non peccat: ergo non permittit peccata etiam *voluntate generali* tantum. R. D. M. Peccat, si teneatur illa impedire. C. M. Si non

teneatur: sed potius sit *provisor universalis & causa prima*, quæ vi sui decreti generalis *libertatem* homini concesserit, indeque ex malo bonum elicere queat. N. M. & C. m. N. C. *DEUS non sineret malum aliquod esse in suis operibus, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut etiam benefaceret de malo.* Inquit præclare S. AUGUSTINUS in *Enchirid. C.* 11. & alibi.

Decreto divino nondum posito habetur tantum futuritio indeterminata.

OB. 3. In illo signo, in quo DEUS v. g, videt ANTI-CHRISTUM ut *possibilem*, & in quo nondum decernit illius productionem, adhuc verum est dicere: *Anti-Christus est futurus:* & in illo signo pariter vera est hæc propositio: *DEUS decernet Anti-Christum*; & ista est falsa: *DEUS non decernet Anti-Christum*: ergo datur determinata veritas præscindendo a decreto Divino. R. D. A. Veræ sunt illæ propositiones indeterminate C. A. determinate N. A. & C. Propositiones nunquam possunt enuntiare aliquid *determinate* verum vel falsum, ubi non est verum vel falsum in *objecto*: atqui præscindendo a decreto Divino non est aliquid determinate verum vel falsum in objecto, ut sæpe jam dictum

ctum est: ergo nec possunt aliquid ejusmodi enuntiare.

Ob. 4. Veritas est *conformitas cum objecto:* atqui, etsi hodie primum ponatur decretum, tamen heri jam adfuit *conformitas cum objecto* (per decretum scilicet *ponendum*) ergo etiam heri jam adfuit *veritas.* R. 1. D. M. Est conformitas cum objecto *determinato* C. M. cum objecto *indeterminato* N. M. & sic D. m. N. C. Quamprimum objectum est *determinatum*, oritur conformitas, & non prius, determinatio autem objecti fit per *decretum.* R. 2. D. m. Heri jam adfuit *conformitas*, si sit effectus jam ex *sua natura* determinatus, & *necessarius*, vel saltem in *causa præparatus*, ut est v. g. eclypsis solis & lunæ certo tempore contingens C. m. secus N. m. &. C.

Veritas est conformitas cum objecto determinato.

Ob. 5. Decretum Dei nil tribuit futuris contingentibus *quoad esse*: ergo ad eorum futuritionem determinatam non requiritur. P. A. Decretum Divinum futuris tantum tribuit *esse volitum*, sicut intellectus *possibilibus* dat esse *cognitum*: atqui *esse volitum* est tantum in *voluntate Divina*: ergo nil tri-

Decretum Divinum tribuit rebus futuris τὸ esse determinatum in causa.

tribuit futuris contingentibus *quoad esse*. R. D. A. Nil tribuit quoad esse *reale existentiale*, quod provenit *ab omnipotentia Divina*, res in tempore producente C. A. nil tribuit quoad esse determinatum in causa N. A. & C. ad P. D. m. Volitum *active* sumptum est tantum in voluntate Divina C. m. *passive* sumptum N. m. & C. Res *ante omne decretum* DEI habent solum esse *possibile*, *per decretum* habent esse *reale futuritionis*, seu *determinationem in causa*, & denique *per omnipotentiam Divinam* accipiunt esse *reale existentiale*. Sive, ut alii loquuntur: *futurum* est aliquod *concretum (*LXXXIV.*)* & involvit duo, nempe 1. *esse materiale*, hoc est, ipsam *rem futuram*, 2. *Esse formale*, seu ipsam *futuritionem*. Jam: *ante decretum* nec datur esse *formale* (scilicet *futuritio*) nec esse *materiale* (scilicet *res futura*) *per decretum* vero datur *esse formale* seu *futuritio*, & per *omnipotentiam* producentem datur quoque *esse materiale*, seu res ipsa futura.'

Quomodo concursus causæ

OB. 6. Communiter a Theologis docetur, concursum causæ primæ determinari a causa secunda quoad exercitium

citium & specificationem actûs liberi: ergo Deus tanquam causa prima non ponit aliquod decretum, antequam creatura ad actum se jam determinaverit, & consequenter datur determinata veritas etiam præscindendo a decreto Divino. R. D. A. Docetur, concursum causæ primæ determinari &c. in tantum, ut iste concursus non sit amplius *universalis* & paratus ad faciendum utrumque oppositorum C. A. in tantum ut causa pgima *prius* se determinet, & deinde Deus primum *pro posteriori* concurrat N. A. & C. Deus offert causis secundis *concursum universalem sive generalem*, vi cujus paratus est cum illis *coincidere* in utramlibet contradictionis partem: at iste concursus tantum se tenet ex parte *actus primi*, ita ut *possint* se ipsis agere motus suos; dum vero *agunt* motus suos, & sese determinant ad unam determinatam contradictionis partem *in actu secundo*, indigent determinato Dei influxu: & in hoc sensu potest dici, quod concursus causæ primæ determinetur a causa secunda quoad exercitium & specificationem actûs liberi, attamen coincidenter. Verum de hoc plura *in Theologia naturali & revelata.*

primæ determinetur a causa secunda?

EXER-

EXERCITATIONES IN III. PARTEM LOGICÆ DISCURSIVAM.

EXERCITATIO I.

AN SYLLOGISMUS SIT IN SCHOLIS CATHOLICORUM RETINENDUS?

Syllogismum, Methodumque disputandi *Syllogisticam* non pauci ex PROTESTANTIBUS quotidianis lacessunt conviciis, & e scholis quoque prorsus eliminatam esse cupiunt, ast frustra obluctantur, sunt enim ex iis ipsis viri etiam celebres, qui formæ Syllogisticæ bonitatem, utilitatemque melius inspicientes plurimas ei laudes dicunt, ut sunt GOTTSCHEDIUS, SCHUBERTUS, THÜMIGIUS, HEINECCIUS, & maxime WOLFIUS, qui in suis *cogitationibus rational. de viribus intellectus.* §. 110. In hæc verba scribit: *Non dubito, fore aliquos, qui mirentur, cur Syllogismorum formalium utilitatem prædicem, qui hodie ferme omnium ludibrio expositi sunt; eos autem scire*

Wolfius laudat Syllogismos formales.

velim

velim, me nec veterum placita superstitiose colere, nec in iis esse hospitem, quæ a Recentioribus memoria prodita sunt. Mihi quidem a Præceptoribus, quibus usus sum, Syllogismorum contemptus fuit implantatus, adeo ut etiam consueto more riserim non satis intellecta; seria tamen discussione usus, aliam prorsus deprehendi rei faciem, quam quæ per transennam eam aspicienti apparuerat, nec cum aliis viris magnis nunc ea defendere pudet ex veritatis amore, quæ suggillantur ab iis, qui ea intimius perspicere non valent. Hæc ille. Quocum etiamnum sentiunt, sicut & dudum ante illum in hac parte sensere Catholici omnes. Quare statuitur



PRO-

PROPOSITIO.

SYLLOGISMUS IN SCHOLIS PERPETUO EST RETINENDUS.

Formam Syllogisticam probat authoritas.

BRobatur 1. *Authoritate* SS. Patrum, quos pro nostra sententia adducit Petavius *L.* 1. *Theol. Dogmat. C.* 4. & 5. ubi etiam probat, omnes primi nominis Theologos forma syllogistica fuisse usos, & ex hac quidem prudenti *ratione*, quia perbene noverant, quod per eam *Heterodoxorum* errores solidius detegere, sophismata solvere, ac veritatis jura facilius tueri possent. Quin audeo ex ipsa Acatholicorum penu depromere argumenta, quibus non modo *artificium syllogisticum* illustretur, sed & illi ipsi solide impugnentur; Nempe in colloquio

Experientia.

Francothaliensi sic dicti *Reformati* hunc *Nicolai Storckii* (*Anabaptistarum* parentis) erroribus *syllogismum* opponebant, quo *Anabaptistarum* fundamenta *subverti* penitus credebant: *Æternus Rex* JESUS *nullo tempore fuit sine Regno, sine Ecclesia, sine fideli grege & populo: sed si Anabaptistarum cœtus esset*

Regnum

Regnum, *Ecclesia*, *fidelis grex & populus Christi*, *sequeretur*, *Christum per quindecim secula* (ad annum usque 1522, quo scilicet per præfatum *Storckium* in Thuringia natus est *Anabaptistarum* error) *Regno*, *Ecclesia*, *& fideli populo caruisse*; *ergo cœtus Anabaptistarum non potest esse vera Christi Ecclesia*. Nonne autem per hoc ipsum argumentum κατ' ἄνθρωπον (CCCLI.) Protestantes pariformiter prosterni valent? quærere enim ex ipsis liceat, quo Sæculo *Lutherani* aut *Calviniani* nati sint? Certe ante *Lutherum* & *Calvinum* nullus Lutheranus aut Calvinianus fuit: Hi vero primum circa annum Christi 1517. & 1542. cœtum suum congregare cæperunt: ergo & ipsorum cœtus non potest esse *Christi populus*. *Formæ syllogisticæ* vim iidem Protestantes quoque experti sunt in COLLOQUIO RATISBONENSI anno 1591. de rebus fidei habito inter RR. PP. GRETSERUM & TANNERUM S. J. *ex una*, & Theologos Lutheranos *ex altera parte*, in quo, istis extra rhombum frequenter saltantibus identidem ab illis ingeminatum fuit scholasticum illud, *in forma*, *in forma*, in quo ipso colloquio, ut legentibus patet, Aca-

 tholi-

tholici quidem in *intellectu convinci*, non autem, ut ad veram fidem redirent, in *voluntate persuaderi* potuere.

Et ratio multiplex.

PROBATUR 2. *Ratione* 1. Per formam syllogisticam *error* in discursu, quantumvis subtilis facillime detegitur, & an non quædam *sine probatione* assumantur, quamprimum innotescit. 2. *Fallaciis* & *evagationibus* (geminis disputantium vitiis) via præcluditur, & adversarius perspecta præmissarum veritate dare veritati victas manus cogitur, vel saltem, quam infirmis fundamentis ejus assertio innitatur, aliis manifestum evadit, unde Syllogismus merito nominari valet *medium securissimum, solidissimum & brevissimum, ad veritatem: nedum inveniendam, sed & propugnandam, & aliis declarandam.* 3. Per formam syllogisticam evitatur *confusio*, & acuitur *attentio* tam opponentis, quam respondentis, dum simul & semel eam ad *tres* tantum *terminos* convertere, atque ad *unum* quæstionis *scopum* tendere compelluntur, donec successive omnium attributorum objecti ad invicem *distincta comparatio* evoluta fuerit, præcipuo controversiæ capite penitus resecto: 4. Addit

WOL-

Wolfius supra citatus, exemplis doceri posse, *demonstrationes Geometricas, quando expenduntur, in Syllogismos formales resolvi, nec in Mathesi quidquam inveniri, nisi per Syllogismos, nec denique in disciplinis aliis ad demonstrationes veri nominis perveniri, nisi per Syllogismos*: ergo ob egregias hasce *utilitates* Syllogismus, *formaque* disputandi *syllogistica* in scholis perpetuo est retinenda.

Solvuntur Objectiones.

OB. 1. Per Syllogismos formales nihil *inveniri, cognoscique* potest, quod antea cognitum non erat: ergo Syllogismus nullam præstat utilitatem, consequenter e scholis est eliminandus. P. A. Nequeunt per Syllogismos duo extrema in conclusione combinari cum medio, nisi in ipsis præmissis habeatur jam illorum *notitia*: ergo. R. N. A. Ad P. D. A. ita tamen ut *extremorum inter se identitas vel distinctio* primum per Syllogismum legitime *inferatur* C. A. ut extremorum inter se identitas vel distinctio in præmissis jam *cognoscatur* subd. in *evidentibus* C. A. in *probabilibus*. N. A.

Syllogismus utilis est ad cognoscendam identitatem duorum inter se.

& C. Dein hoc argumentum probat nimium: ergo nihil; sequeretur enim quod omne *ratiocinium* esset *inutile*, quod nemo dicet.

Inst. 1. Ad veritatem inveniendam, aut alios docendam etiam in *probabilibus* sufficit ratiocinium *naturale*: ergo superfluum est ratiocinium *artificiale* sive Syllogismus. P. A. Sicut naturaliter *loquimur*, etsi nunquam cogitemus, quomodo glottidem moveamus, aut per quos musculos locutio fiat, sic etiam naturaliter *ratiocinamur*, etsi de legibus distincte nunquam cogitemus: ergo. R. N. A. ad P. Tr. A. N. C. Nam 1. ex hoc argumento denuo sequeretur, *omnes* artium quarumcunque *regulas* esse inutiles, quia naturaliter v. g. *canimus*, *saltamus*, *mensuramus* &c. etsi de legibus canendi, saltandi, metiendi &c. raro aut nunquam cogitemus. Hinc R. 2. D. C. ergo sufficit ratiocinium naturale ad *simpliciter* ratiocinandum C. C. ad *clare*, *ordinate* & *solide* ratiocinandum. N. C. & C. Licet ratiocinium *naturale* præcedat Syllogismum artificialem, sicut v. g. organum vocis ad harmonice canendum præsup-

supponitur: attamen prout ad cantum harmonicum *certius* assequendum statuuntur regulæ, sic quoque ad ratiocinia *facilius* formanda, & *clarius* exponenda artificium syllogisticum inprimis utile est, quia consulit *ordini* & *confusioni* idearum, si regulæ disputationis syllogisticæ tum generales tum speciales exacte serventur (CCCLXXII. & seq.)

Inst. 2. Disputatio syllogistica, si habeatur circa mere *probabilia*, mentem longa & perplexa propositionum ambage eo usque circumducit, ut tandem nesciat, ubi sit, aut quomodo se ex ejusmodi laqueis extricare debeat? ergo per eam veritas in *probabilibus* potius amittitur, quam invenitur. R. D. A. Si non serventur Disputationi præscripta tum *generalia*, tum *specialia* præcepta C. A. Si serventur N. A. Tunc enim facile evitari valet *confusio*. Quodsi etiam veritas ipsa detegi nequit servatis cunctis regulis; *verisimillitudine* deprehensa contenti esse debemus; ubi vero neque *probabile* quid per formam syllogisticam erui potest, neque per aliam quamcunque Methodum id fiet.

Disputatio Syllogistica utilis est etiam circa probabilia.

Utilitas Syllogismorum in dicasteriis & concionibus.

Ob. 2. Nec in *dicasteriis* Principum, nec in *concionibus* publicis, locum de facto habet forma syllogistica: ergo non est utilis. R. Tr. A. Nam quantum prosit ad docendum, delectandum, & movendum, *relatio causæ* ad Syllogismi rigorem restricta, aut *eloquentia* Syllogismis oratoriis animata, nitide probat Cl. P. Neumayr in sua præstantissima *idea Rhetorices pro usu quotidiano, civili, & Ecclesiastico, solide* non minus quam *perspicue* elaborata. N. C. Potest enim forma syllogistica de se esse *utilissima*, etsi non omnes eo legitimæ ratiocinationis lapide Lydio uti velint, sicut sol v. g. pellendis tenebris maxime idoneus existit, etsi valvis reclusis quandoque a cubiculo illuminando arceatur. Sufficit quod *scholis catholicis*, disputationem jam per quinque fere sæcula summo semper cum fructu usurpantibus sit maxime *utilis*, nec aliud hic probare intendimus.

Forma Syllogistica per se non favet errori tuendo,

Ob. 3. Forma syllogistica non raro plus servit *errori tuendo*, quam *veritati eruendæ*: ergo in scholis non est utilis. P. A. 1. Quia *defendens*, etiamsi in disputationibus scholasticis convincatur,

tur, nunquam tamen ab opponente se victum esse fatetur, nec ejus sententiam amplectitur. 2. Etiam *opponens* ob temporis angustias, urgentem Syllogismorum seriem, & æstum disputationis quandoque temere arripit, quidquid in buccam venit, pro argumentatione sua prosequenda: ergo. R. N. A. Ad pr. 1. *membr.* Tr. A. N. C. nam juvat saltem *audientibus* veritatem demonstrasse (CCCLXXIV. 6.) dein *Retorq. Pertinaces* nec cedunt veritati per *naturalem* idearum connexionem agnitæ: ergo etiam *naturalis illa connexio* esset inutilis. Ad 2. *membr. prob.* rursum Tr. A. nam defectus isti non *Syllogismorum* legibus, sed *syllogizantium* inscitiæ, aut alii etiam fragilitati adscribendi sunt. N. C. Quia admittendus est etiam unus vel alter *abusus*, ne relinquere cogamur longe nobiliorem *usum*, præsertim cum per leges supra præscriptas (CCCLXXIII.) facillime tolli possit *abusus*.

Inst. Multi de sua sententia non dubitant; instituta vero disputatione syllogistica tam de sua, quam de adversarii sententia dubitare incipiunt: ergo veritati eruendæ illa non inservit. R. Favet vero errori agnoscẽdo.

 N.

N. C. Nam melius est *nescire*, quam judicio proprio deceptum *errare*, & potior est *sana dubitatio* (CCLXXI.) quam *ignorantia crassa* vel *affectata*. Dein juxta illud vulgatum: *multum est scire, quod multa nescias, & proximus cognitioni est, qui, quid debeat inquirere, prudenter agnoscit*: quidni ergo *utilitas maxima* ex disputatione *syllogistica* oritur?

Itemque experimentis & authoritati dijudicandæ.

OB. 4. In rebus *physicis* unice *experimenta* sunt attendenda, & in *moralibus* plerumque tota ratio ad *authoritatem* devolvitur: ergo disputatio syllogistica nullibi locum habet. R. ad 1. membr. *Antec.* D. A. ita tamen sit per hæc experimenta in ipsas dein *caussas & rationes physicas* intrinsecas ulterius legitimo discursu inquiratur C. A. sistendo *in solis experimentis*. N. A. (CCCIII.) Ad 2. *membr.* similiter D. A. si *extrinseca* tantum rei *probabilitas* attendatur C. A. si *veritas* N. A. Ipsæ enim authorum *rationes* per diligens ratiocinium sedulo sunt discutiendæ (CCCXL.)

EXERCITATIO II.

AN INTELLECTUS, DATO SEMEL ASSENSU PRÆMISSIS, IN OMNI MATERIA NECESSITETUR AD INFERENDAM CONCLUSIONEM?

Assensus hic idem est ac *judicium affirmativum*, & *dissensus judicium negativum*, in quo sensu est actus *intellectûs*, non *voluntatis* (CXXII.) Intellectus porro est potentia *necessaria*, quæ positis omnibus ad agendum requisitis dispositionibus, & remotis obstaculis *debet* agere. Voluntas vero est potentia *libera*, quæ positis quibuscunque dispositionibus *potest non agere*, vel *contrarium agere*. Quid sit assensus? potentia necessaria, & libera,

Necessitas datur duplex 1. *Contrarietatis* seu *specificationis*, quando nempe aliqua potentia præsentibus ac *positis omnibus circumstantiis* ita *debet* actum aliquem ponere, ut non possit alium contrarium *specie distinctum* ponere. 2. *Contradictionis* seu *exercitii* est, quando necessario debet ponere *hunc actum*, & non potest *illum ipsum* Necessitas duplex.

omittere. Quid sit huic duplici necessitati opposita duplex LIBERTAS? patet *a contrario*, nempe, quando quis v. g. potest ponere *amorem* vel huic speciei oppositum *odium*, tunc habet libertatem *contrarietatis* seu *specificationis*, quando vero etiam illum ipsum actum *amoris* potest *non ponere*, seu libere omittere, habet libertatem *contradictionis seu exercitii*. Hic ergo quæritur, an, si intellectus concessit *præmissas* in aliquo Syllogismo, (& quidem non tantum *demonstrativo*, sed etiam *probabili*) teneatur quoque inferre *conclusionem*, saltem *mentaliter*, an vero *negare* eandem possit, aut assensum suspendere? Quæstionem hanc resolvit sequens

Status quæstionis.



PRO-

PROPOSITIO.

DATO SEMEL ASSENSU PRÆMISSIS, INTELLECTUS NECESSITATUR AD INFERENDAM CONCLUSIONEM, TAM IN SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO, QUAM PROBABILI.

PROBATUR. 1. Intellectus est potentia *necessaria*, quæ positis omnibus ad agendum requisitis *necessario* agit: atqui *dato assensu præmissis*, & cognita connexione terminorum, posita sunt omnia ad inferendam conclusionem requisita: ergo &c. p. m. Si quid obstaret, esset *voluntas*, quæ intellectum posset ab assensu retrahere: atqui voluntas id non potest: Ergo, P. m.: intellectus subjacet voluntati solummodo in tantum, in quantum a voluntate potest *applicari* vel non applicari: atqui *dato assensu præmissis* jam est formaliter *applicatus*: ergo voluntas non amplius impedire valet, quo minus in actum prorumpat, & consequenter *debet* assensum quoque præstare *conclusioni*. CONFIRM. a *pari*. Etsi

Concessis præmissis etiam concedi debet conclusio, tam in Syllogismo demõstrativo,

omittere. Quid sit huic duplici necessitati opposita duplex LIBERTAS? patet *a contrario*, nempe, quando quis v. g. potest ponere *amorem* vel huic specie oppositum *odium*, tunc habet libertatem *contrarietatis* seu *specificationis*, quando vero etiam illum ipsum actum *amoris* potest *non ponere*, seu libere omittere, habet libertatem *contradictionis seu exercitii.* Hic ergo quæritur, an, si intellectus concessit *præmissas* in aliquo Syllogismo, (& quidem non tantum *demonstrativo*, sed etiam *probabili*) teneatur quoque inferre *conclusionem*, saltem *mentaliter*, an vero *negare* eandem possit, aut assensum suspendere? Quæstionem hanc resolvit sequens

Status quæstionis.



PRO-

PROPOSITIO.

DATO SEMEL ASSENSU PRÆMISSIS, INTELLECTUS NECESSITATUR AD INFERENDAM CONCLUSIONEM, TAM IN SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO, QUAM PROBABILI.

PROBATUR. 1. Intellectus est potentia *necessaria*, quæ positis omnibus ad agendum requisitis *necessario* agit: atqui *dato assensu præmissis*, & cognita connexione terminorum, posita sunt omnia ad inferendam conclusionem requisita: ergo &c. p. m. Si quid obstaret, esset *voluntas*, quæ intellectum posset ab assensu retrahere: atqui voluntas id non potest: Ergo, P. m.: intellectus subjacet voluntati solummodo in tantum, in quantum a voluntate potest *applicari* vel non applicari: atqui *dato assensu præmissis* jam est formaliter *applicatus*: ergo voluntas non amplius impedire valet, quo minus in actum prorumpat, & consequenter *debet* assensum quoque præstare *conclusioni*. CONFIRM. a *pari*. Etsi ocu-

Concessis præmissis etiam concedi debet conclusio, tam in Syllogismo demõstrativo,

oculus v. g. sit in potestate voluntatis, ut applicetur ad videndum, vel non applicetur, tamen supposita applicatione (si scilicet oculus ad imperium voluntatis sese aperiat) *necessario* videt, & non amplius impediri a voluntate potest: ergo cum *intellectus* æque sit potentia *necessaria*, neque hic poterit a voluntate impediri.

PROBATUR. 2. Quando ponuntur præmissæ *qua præmissæ* in *actu secundo*, necessario ponitur etiam *conclusio*: atqui supponitur præmissas esse *positas*, & *concessas*: ergo etiam conclusio *debet* poni atque concedi. P. m. Præmissæ *qua premissæ* in actu secundo dicunt *relationem* ad conclusionem: atqui quando ponitur *fundamentum* cum *relatione*, *necessario* adest etiam *terminus* (LIX.) *terminus* autem, quem respiciunt præmissæ, est *conclusio*: ergo ista necessario poni debet.

Quam etiam probabili.

Et quidem non tantum in Syllogismo *demonstrativo* (quod omnes concedunt) sed & in Syllogismo *probabili*, quia eædem pro ipso rationes militant; nam etiam *in probabilibus* nihil potest intellectum abstrahere ab inferenda

con-

conclusione: Ergo. P. A. Si aliquid absterrere potest, id esset *inevidentia conclusionis probabilis* atqui (ex *Hypothesi* minoris concessæ) jam judicata est *convenientia minoris in tertio*: ergo adest quoque *evidentia* conclusionis. CONFIRMATUR. Syllogismus *probabilis* habet eanden formam, quam habet Syllogismus *demonstrativus*, hoc est, easdem *figuras* & *modos*, licet ratione *materiæ* inferat conclusionem tantum *probabilem*: ergo si M. & m. sunt *veræ*, tunc etiam conclusio est tam *evidens*, quam in Syllogismo *demonstrativo*. P. C. Illa enim difficultas, quod conclusio ratione *materiæ* sit tantum *probabilis*, jam est superata in *præmissis* concessis ut veris: ergo certum est, quod æque evidenter concludat quoad formam Syllogismus *probabilis*, sicut *demonstrativus*; cum tam in conclusione unius quam alterius possit dari *reductio ad impossibile* (CCVI.) & consequenter si in Syllogismo *probabili* intellectus non teneretur ad inferendam conclusionem, *contradictoriis* assentiri deberet, quod nequit admitti: Ergo nec id, unde sequitur.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Intellectus est tantum potentia necessaria.

OB. 1. Voluntas potest non amare *bonum*, etiam cognitum ut bonum: ergo pariter intellectus potest non assentiri vero etiam cognito ut vero, & consequenter, licet cognoverit *præmissas* esse veras, potest *conclusionis assensum* suspendere, vel etiam *dissensum* ponere. R. N. C. & *Par. Disp.* est, quia voluntas est potentia *libera*, intellectus autem est potentia *necessaria*. Dein hoc argumentum videtur laborare falso *supposito*, quasi nempe *assensus* alicui propositioni præstandus esset actus *voluntatis*, cum tamen sit potius actus *intellectûs* (CXXII.) hinc si intellectus præmissas *judicavit* esse veras, eo ipso etiam tale judicium ferre debet de conclusione, quæ jam *continetur* in præmissis (CXCII.)

Inst. 1. Potest intellectus assentiri uni contradictoriorum, quin alteri dissentiat: ergo etiam potest assentiri præmissis, quin assensum præstet conclusioni. R. D. A. Si *unum* tantum contradictoriorum illi *clare* reluceat C. A. Si *utrumque* illi *clare* & *distincte*

relu-

reluceat. N. A. & C. Cum autem positis præmissis ipsa quoque conclusio posita jam sit, utpote in una præmissarum *contenta*, atque hujusmodi continentiam altera præmissarum menti *clare* exhibeat, *debet* mens ipsa concessis præmissis conclusioni quoque assentiri.

Inst. 2. In conclusione habetur *aliud* judicium, quia est alia propositio: ergo voluntas potest imperare intellectui, ut nil omnino in conclusione affirmet vel neget. R. D. A. Habetur aliud numero judicium C. A. aliud specie distinctum judicium, N. A. & C. vel D. C. voluntas potest imperare &c. nisi jam esset istud judicium in priori contentum C. C. secus N. C. & C. & *Retorq.* de *oculo*, quem si sit objecto debite applicatus, voluntas nequit impedire, quominus videat. Sic etiam non potest intellectus a voluntate impediri, quo minus judicet, *majus & minus extremum*, quæ clare cognovit in præmissis esse *eadem uni tertio* (scilicet *medio termino*) esse quoque *eadem inter se* in conclusione. Item aliter D. C. ut prius. Voluntas potest imperare, ut intellectus nil affirmet, si veritas præmissarum sit *obscure* tantum

Conclusionis judicium jam est contentum in judicio præmissis præstito.

cogni-

cognita C. C. si *clare* & distincte N. C. & C.

Inst. 3. Conclusio *virtualiter* tantum continetur in præmissis, non secus ac *planta* v. g. hyemis tempore continetur in semine: atqui non *necessario* ponitur, quod virtualiter continetur, sicut *planta* v. g. hyberno tempore non adest formaliter: ergo neque conclusionis assensus necessario ponitur etiam concessis præmissis. R. D. m. Si adhuc sit *obstaculum*, ut non exeat potentia in actum C. m. Si non adsit N. m. & C. Quominus planta in hyeme formaliter producatur, adest *impedimentum*; non sic in nostro casu, ut dictum est.

Inst. 4. Posset utique statim v. g. turbari phantasia, explosione e. g. bellici tormenti, aut alio quocunque modo: ergo habetur *par ratio*. R. Thesin loqui in casu, *ubi nullus est obex*.

In rebus fidei requiritur motio voluntatis quoad assensum

OB. 2. Ut intellectus assentiatur conclusioni *revelatæ*, & ad fidem spectanti, requiritur pia *motio voluntatis*: ergo intellectus citra voluntatis motionem etiam in *aliis* propositionibus conclusioni non assentitur. R. D. A.

Re-

Requiritur pia motio ad assensum *præmissis*, vel saltem uni præmissarum præstandum C. A. ad assensum *conclusionis* N. A. & C. conclusio legitimi Syllogismi continetur in præmissis, tanquam *effectus* in *causa*, quæcunque sit ipsarum præmissarum natura, ac propterea dato semel præmissis assensu, necessario etiam conclusioni assentire debet intellectus.

præmissis dandum.

Inst. Voluntas concessis præmissis ab intellectu potest illum alio divertere: ergo non *debet* conclusionem ponere. R. D. A. Si non ut *veras* judicavit præmissas C. A. si ut veras judicavit N. A. & C. ac iterum Retorq. *de oculo* &c.

Ob. 3. Intellectus per participationem a voluntate est *liber*: ergo potest conclusioni assentiri vel dissentiri. R. D. A. Est liber *passive* tantum, id est, in quantum a voluntate antecedenter est applicabilis ad præmissas cognoscendas vel non cognoscendas C. A. est liber *active*, ita ut non *debeat* agere, si semel sit a voluntate *applicatus* N. A. & C. ac denuo *Retorq. de oculo* &c.

Intellectus est tantum liber passive, non active.

Inst. Si intellectus præmissas falsas judicavit esse veras (v. g. in Syllogismo *Sophistico*) in conclusione, ubi apparet *falsitas*, non assentitur: ergo circa assensum conclusioni præstandum est *active* liber. R. D. A. Non assentitur in instanti *posteriori*, in quo revocat præmissas C. A. in instanti quo ponit assensum *præmissis* N. A. & C. dein N. *suppos.* quod in Syllogismo *Sophistico* conclusio contineatur in præmissis (CXCII.)

Conclusio Syllogismi probabilis est evidens ex Hypothesi.

Ob. 4. Si ex natura sua objectum præmissarum est tantum *probabile*, non potest intellectus necessitari ad assentiendum conclusioni: Ergo saltem in Syllogismo *probabili* intellectus non necessitatur concessis præmissis ad assentiendum conclusioni. P. A. Etiamsi detur evidentia ratione *formæ*, ratione *materiæ* tamen conclusio semper manet probabilis: ergo adhuc intellectus potest *formidare*, & consequenter assensum suspendere. R. D. A. Nisi tale objectum probabile fiat saltem *ex Hypothesi* evidens C. A. Si sic fiat evidens, N. A. ad P. D. C. nisi præmissæ sint concessæ tanquam veræ C. C. si sint concessæ N. C. & C. quod posset intel-

intellectum absterrere ab assensu in materia *probabili*, ex Hypothesi jam fuit superatum *in præmissis concessis tanquam veris*, hinc illo impedimento sublato potentia necessaria *debet* in actum exire, & consequenter *necessario assentiri conclusioni propter principia*, ut inquit SCOTUS *in* 1. *sent. D.* 1. *Q.* 4.

EXERCITATIONES IN LOGICAM PRACTICAM SEU CRITICAM.

EXERCITATIO I.

AN VERITATIS CRITERIUM IN UNIVERSALI DUBITATIONE CUM CARTESIO STATUI POSSIT?

CARTESIUS (XXII.) animadvertens plurimas errandi caufas in hoc orbe reperiri (*Log. Pract. Diss.* I.) pro regula generali philosophandi sibi assumpsit, aliisque tradidit hanc unicam: *Ante veritatis inquisitionem de rebus omnino omnibus generaliter dubitandum est*, id est, de nulla prorsus re aliquid certo affirmandum, aut negan- Cartesii sententia.

 dum,

dum, sed omne prorsus judicium suspendendum est, donec (depositis sic omnibus *præjudiciis*) veritas meditando eruatur, & quasi primo inveniatur, unde etiam partum suum Philosophicum *meditationes Philosophicas* inscribere voluit. Cæterum non solum *negative* circa omnes & quascunque veritates intellectum se habere præcepit, sed etiam *positive*, ita nempe, ut, antequam veritas meditando inventa fuerit, omnia interim pro *falsis* haberi debeant. Hic ergo quæritur, an hoc fundamentum, quod in sua Philosophia CARTESIUS posuit, sit ita firmum, ut a sano quocunque Philosopho assumi queat? pro cujus resolutione ponitur

Status quæstionis.

PROPOSITIO.

CRITERIUM VERITATIS IN GENERALI DE REBUS OMNIBUS DUBITATIONE CUM CARTESIO STATUI NEQUIT.

Generalis dubitatio Cartesiana est sa-

BROBATUR. Veritas non debet inquiri *modo absurdo & stulto*: atqui dubitare de omnibus est sic procedere,

re: ergo &c. P. m. Abſurdum enim eſt & ſtultum *omnia habere pro falſis*, & de ipſius DEI exiſtentia dubitare, ſicque temporaneum *Atheiſtam* agere (ut jubet Carteſius) & quidem eo fine, ut *fonte ipſo veritatis* ſublato (Deo ſcilicet) magis pateat *veritatis lux*; quia hoc eſt docere, debere quempiam, ut *dealbetur*, fieri prius *æthiopem*: ergo &c. P. A. Res *certiſſimæ* & ſumme *evidentes*, ut ſunt *exiſtentia DEI*, *prima principia &c.* non poſſunt eſſe objectum aſſenſus dubii, & incerti, ſicut econtra res ſumme *fallibiles* & *incertiſſimæ* nequeunt eſſe objectum aſſenſus certi: ergo *abſurdum* eſt & *ſtultum* omnia habere pro falſis, hoc eſt, *de rebus omnibus dubitare* cum Carteſio. næ rationi contraria.

Confirm. Ex principiis hiſce Carteſii *Atheiſtam* nullus convertet, ut *DEUM exiſtere* concedat, quia ille in ſua *dubitatione* defixus omnem *exiſtentiæ DEI* ideam claram perpetuo negare valet: ergo hæc ſententia favet Atheiſmo. P. A. Non enim illi Deus demonſtrari poterit ex *creaturis*; nullam enim creaturam dubitatio Carteſiana ſupponit: neque ex *idea innata*, utpote quam non dari ſupra probavimus: ergo &c. Et ſane quod Syſtema Philoſophiæ Fovetque Atheiſmum.

Cartesianæ tenebras Atheismi foveat, expertus est orbis Christianus in BENEDICTO SPINOZA, qui ex Judæo Christianam Religionem professus brevi utrumque nomen deposuit, & quidem *ex principiis Cartesianæ Philosophiæ*, ut scribit WOLFIUS *in* 2. *P. Theol. Natural. Sect.* 2. *C.* 4. §. 677. qua de causa Jure a Rege CHRISTIANISSIMO illa publice interdicta est, quod ipsum quoque factum est in *Italia*; quin etiam in *Germania* vix Lipsiæ innotuit, cum ejecta rursus fuit. Variam quoque fortunam in *Batavia* & *Anglia* experiri debuit, ut passim scriptores referunt.

Solvuntur Objectiones.

Ex fontibus veritatis eruuntur certæ cognitiones.

OB. I. Multi decepti sunt in rebus etiam *certissimis* ac *evidentibus* e. g. non agnoscendo existentiam DEI, vel cum Aristotele mundi æternitatem asserendo &c. ergo de rebus etiam certissimis ac evidentibus dubitandum est. R. D. A. Ad *particularem* tantum rationem vel experientiam respiciendo, & *fontes veritatis* (*Log. Pract. dissert. II.*) ordinate ad debite non applicando or-

ordinate ac debite non applicando C. A. secus N. A. & D. C. ergo dubitandum est in sensu *sano* (CCLXXI.) CC. in sensu *insano* & *absurdo* N C. & C.

Ob. 2. Astronomi ad veritatem investigandam multa assumunt falsa pro veris, e. g. imaginantur sibi varios *circulos* in cœlis, ubi tamen nullus a parte rei invenitur: ergo in sensu Cartesii *positive* quoque de rebus omnibus dubitare licet; licet a parte rei multa certissima sint. R. N. C. & *Par. disp. est*, quia in Astronomia res illæ aliter ad *captum* omnino explicari nequeunt; possunt autem multa *clare demonstrari* in Philosophia (*juxta Exerc. I.*) consequenter de iis nequit *dubitari*, Dein Astronomi *certa* utique habent Planetarum loca, Cartesius vero *nihil* prorsus *certi* vult admittere. Denique Astronomi non admittunt *falsa*, sed tantum *Hypothetica*, secuturi etiam *probabiliora* vel *certa* in omnibus, si excogitentur, de *Hypothesi* autem *falsa* videantur dicta superius (CCCXIV.)

Astronomorum Hypotheses non favent Cartesio.

Inst. Qui baculum curvum efficere volunt rectum, inflectunt illum in

aliam contrariam partem: ergo etiam Mens noſtra ad falſitatem prona, per alteram extremam dubitationis partem ad veritatem inflecti debet. R. N. C. Et *par. diſp.* eſt, quia baculus quando incurvatur, per *rectitudinem* tranſit, ſicque ad illam ſe facile ſenſim componit: econtra Carteſius in ſua ſententia mentem in *falſitatem* deflexam impellit *verſus eam ipſam falſitatem*, ſicque ex curvitate *parva* aut *mediocri* efficit maximam; *abſurdum eſt* autem (inquit S. Gregor. Naz) per *ſcopulos*, *imo per naufragia ad littus ducere.*

Dubitatio debet eſſe ſana.

Scholion. Sicut vir prudens, qui in certa v. g. aureorum nummorum multitudine quosdam reperit *ſpurios*, omnes *probando* & *ſpurios* abiiciendo juxta leges *prudentiæ* operatur (eoquod experientia tunc ſit ſolum *particularis*) ita etiam ſiquis *falſum* quid deprehendat, ſincere illud abiicere, omniaque ei connexa mature diſcutere debet, ne alia adhuc falſitas latens pro veritate aſſumatur: attamen ſicut ille præfatus vir male ageret, ſi ob *unum* aut *plures adulterinos* nummos, reliquos omnes eſſe pariter ſpurios judicans, *cunctos* abiiceret, ita etiam ob unius

aut

aut *alterius* inventæ falsitatis causam, non omnes haustæ notitiæ continuo pro falsis habendæ sunt, sed ex præconceptis notitiis veris ad aliarum veritatum acquisitionem procedi debet, sicque pedetentim lolia sunt extirpanda, donec frumentum purum in agro suo intellectus videre queat. Plura videantur n. (CCLXXI.)

EXERCITATIO II.

AN SALTEM EJUSDEM CARTESII IDEA CLARA ET DISTINCTA VERITATIS CRITERIUM DICI VALEAT?

Postquam Cartesius, statuta semel de rebus omnibus *generali dubitatione*, quam modo rejecimus, ad veritatem inveniendam se dedit, quoniam præprimis *sensu intimo* percepit, mentem suam de rebus plane omnibus *cogitare* posse, conclusit, primum omnis veritatis initium esse hanc propositionem: *cogito: ergo sum* (ast hujus quoque propositionis falsitas in Metaphysica communiter declaratur) Inde ulterius progressus, indubitanter asseruit, non posse nos falli, si iis tan-

tum assentiamur, quæ *clare* & *distincte* percipimus; sic enim ait in *Medit. III.* *Illud omne, quod a nobis clare & distincte percipitur, verum est; nihilque admittendum est tanquam verum, quod a nobis clare & distincte non percipitur.*

Status quæstionis.

(CCLXXVI.) Quæritur hic ergo, *An, & in quo sensu clara rei perceptio* pro veritatis criterio statui queat? Quare sit

PROPOSITIO.

IDEA CLARA ET DISTINCTA IN REBUS FIDEI NEQUIT ESSE VERITATIS CRITERIUM, BENE VERO IN REBUS PHYSICIS.

Idea clara & distincta Cartesii locum non habet in rebus fidei;

PROBATUR 1. P. Tum quia in rebus fidei non datur idea *clara* (cum fides de se essentialiter sit *obscura*) tum quia ex hac regula nemo valet aliquem Heterodoxum contradicentem refellere, & absurdissimas etiam opiniones tuentem refutare, eoquod ille semper ad *claram & distinctam* suæ mentis *ideam* confugere valeat, seu ad *spiritum privatum* (qui juxta Heterodoxos est *rerum Theologica-*

gicarum idea clara & distincta, quam DEUS suorum fidelium intellectui elargitur) Nam sicut in *naturalibus* Cartesiani argumentantur, id esse verum, de quo claram & distinctam ideam *per lumen naturæ habemus*, ita etiam a vera fide alieni dicere possunt, id verum esse in *supernaturalibus*, rebusque *fidei*, de quo claram & distinctam ideam *per lumen gratiæ internum* ipsi habeant (licet revera mentiatur iniquitas sibi) & siquis neget, has ideas dari, possunt identidem cum Cartesio dicere, se illas habere, & animadvertere: ergo idea clara & distincta Cartesii *in rebus fidei* nequit esse veritatis criterium.

PROBATUR 2. P. Idea clara & distincta in rebus physicis hauritur per *sensus*, & *experientias*, a *ratione* approbatas (isti enim sunt fontes veritatis *physicæ)* atqui quidquid per *sensus* (debite dispositos) & per *experientias* rationi conjunctas haurimus, in rebus physicis per se nunquam fallit: (CCXCIII. CCXCV. & CCCII.) ergo idea clara & distincta in rebus physicis criterium veritatis esse potest.

Bene autem in rebus physicis.

Scho-

In quo sensu idea clara & distincta generet certitudinem Metaphysicam?

Scholion. Nempe idea clara & distincta, si sit *adventitia*, necessitat intellectum, ut secundum perceptam ideam judicium inferat, & veritatem cognoscat: dein vero per ideas *factitias* ulterius ratiocinando tandem ad aliquod *principium primum* delabitur, ex quo in eodem intellectu enascitur certitudo etiam *Metaphysica* (videlicet ex Hypothesi, quod res ita sit, ut per ideam claram & distinctam percipitur) adeoque idea clara & distincta non est quidem certitudo *Metaphysica*, sed *physica* tantum, ex ea tamen tanquam præsupposita, lumen naturale certitudinem *Metaphysicam* deducit, reflectendo se ad illud principium: *Idem nequit simul esse, & non esse.* e. g. Quod ignis *urat* habeo per *sensum tactus* ideam claram & distinctam, & hæc ipsa idea clara & distincta *ustionis*, tactum meum *physice* afficientis, facit me denique *Metaphysice* certum, me hic & nunc *revera* ab igne *uri*, quia nequit fieri, ut non urar ab igne, quando ab eodem ipso uror. *NB.* Intellige, si ignis viribus suis *naturalibus* relinquatur; secus enim dicendum, si fiat aliquod *miraculum*; unde hoc criterium in rebus

fidei

fidei & *Miraculosis* non procedit, ut dictum est.

Solvuntur Objectiones.

OB. 1. *Contra* 1. *P.* Si idea clara & distincta hominem falleret, tunc *illa falsitas in auctorem luminis naturalis tanquam in causam unicam referenda esset*; ITA CARTESIUS. Atqui hoc non: ergo idea clara & distincta nunquam fallit. R. N. S. M. Nam potius referenda est in homines, proprio lumine *naturali* abutentes ad judicandum v. g. de rebus *supernaturalibus*, ad quas *naturale* ipsorum lumen pertingere non valet; unde sicut CALVINUS non sine horrenda blasphemia DEUM vocat *auctorem peccati*, eoquod nobis dederit *potentiam peccandi*: sic a pari Cartesius pessime, videtur inferre DEUM fore authorem *falsitatis*, si idea clara & distincta unquam nos decipere posset. Falsitas ideæ claræ & distinctæ nequit refundi in Deum.

Inst. S. AUGUSTINUS in multis locis docet, *falsum non intelligi*: ergo quidquid per ideam claram & distinctam *intelligitur*, *verum* est. R. S. Doctorem solum loqui de cognitione, quæ habetur S. Aug. non favet sententiæ Cartesii.

betur *in patria* (in cœlo) ubi dantur meræ cognitiones abstrahentes a phantasmatibus, non autem de cognitione, quæ habetur *in via*, seu in hoc mundo. Dein D. A. Falsum non intelligitur reduplicative ut falsum C. A. specificative, hoc est sub ratione veri non cognoscitur N. A. & C. Nam teste Aristotele 1. *Eth. C. 3. sæpe contingit, ut falsa sint probabiliora veris.* Id est (si ita loqui velimus) *falsa secundum naturam* & ordinem *physicum* sunt sæpe probabiliora quam ea, quæ vera sunt *secundum fidem.*

Idea clara & distincta debet ponderari secundum certas leges.

OB. 2. *Contra* 2. P. Plurimi habuerunt, & etiamnum non raro habent ideas *claras & distinctas* de rebus etiam *falsissimis*: ergo ideæ claræ & distinctæ non probant rem esse veram etiam in rebus physicis. R. D. A. Et hoc ideo, quia debitas *cautelas* non adhibuere C. A. si eas adhibuissent. N. A. & C. cautelæ porro debitæ pro sensuum usu legitimo, & experimentis faciendis indicatæ sunt (CCXCVI. & CCCII.) &c.

EXER-

EXERCITATIO III.

QUODNAM SIT GENUINUM AC UNIVERSALE VERITATIS CRITERIUM?

DIversa veritatis criteria, a VV. æque ac RR. Philosophis constituta, enarrata sunt *Log. Pract. Dissert.* 2. *Sect.* 1. *n.* (CCLXXV. & CCLXXVI.) ubi etiam (n. CCLXXVII.) diversas illas authorum sententias aliquo modo reconciliare conati sumus, distinguendo scilicet inter FONTES VERITATIS & inter CRITERIUM VERITATIS, pro quo ultimo assignavimus duo, unum *materiale & reflexum*, & alterum *formale*, *adæquatum & ultimum*: Igitur conformiter ibi dictis ponitur.



PRO-

PROPOSITIO.

REGULÆ LOGICALES SUNT CRITERIUM VERITATIS MATERIALE; EVIDENTIA VERO EST CRITERIUM FORMALE AD ÆQUATUM ET ULTIMUM.

Regulæ Logicales sunt criterium veritatis materiale.

PRobatur. 1. P. *Criterium veritatis materiale* intelligo aliquam *normam*, *secundum quam examinentur ideæ ac judicia & discursus, ut reflexe haberi pro veris possint* (CCLXXVII.) atqui Regulæ Logicales sunt talis *norma*; ergo sunt criterium veritatis *materiale*. P. m. Ut quis examinet, num ideæ ac judicia & discursus reflexe haberi pro veris possint, debet reflexe posse judicare, num *definitiones* & *divisiones* quas adhibet, sint genuinæ, num *propositiones* & præmissæ *Syllogismorum* sint demonstrativæ, aut tantum probabiliter, num *forma Syllogismorum* sit legitima? atqui de his omnibus reflexe tantum per *regulas Logicales* potest judicare: ergo Regulæ Logicales sunt talis norma. P. m. Regulæ enim Logicales explicant, quomodo faciendæ

sint

sint *definitiones* & *divisiones*, exprimunt naturam *judiciorum* & *propositionum*, explicant, quid ad *demonstrationem* aut *probabilitatem* requiratur, formam Syllogismorum exacte delineant, atque evidenter demonstrant, utrum nullo vitio laboret discursus, prout per decursum Logicæ criticæ legentibus ad oculum patet: ergo de his omnibus *reflexe* tantum per regulas Logicales potest quis judicare, & consequenter Regulæ Logicales sunt *criterium* veritatis *materiale*. CONFIRMATUR. Regulæ Logicales passim vocantur *modus sciendi*: ergo eo ipso dici possunt *norma*, seu criterium veritatis reflexe habendæ, cum ubique in illos *reflectere* sese mens debeat, id quod expressis etiam terminis docet WOLFIUS *Phil. Rational. P.* 2. *sect.* 1. *C.* 1.

PROBATUR 2. P. Per *Criterium formale, adæquatum & ultimum* (cit. loc.) intelligo *notam nobis intime præsentem, ex qua omnino convincamur, nos in hac aliqua rei alicujus cognitione non falli*: atqui evidentia est talis nota: ergo est Criterium formale, adæquatum & ultimum. P. m. Per illam enim

Evidentia vero est criterium formale & ultimatum.

clarissime quis intelligit, se hic & nunc non falli, sed verum omnino vel percipere, vel judicare: (CXXXIV.) dicente TULLIO *L. 4. QQ. Acad. C. 12. ut necesse est, lancem in libra, ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis (evidentibus) cedere. Nam quomodo non potest animal ullum non appetere id, quod accomodatum ad naturam appareat, sic non potest objectam rem perspicuam non approbare.*

Scholion. Et totuplex quidem datur evidentia, quotuplices dantur *veritatis eruendæ fontes* (CCLXXVII.) in rebus nempe *Physicis* datur *evidentia sensuum*, in rebus *credibilibus* evidentia *authoritatis*, in rebus denique *immaterialibus* & pure spiritualibus *evidentia intellectûs*, aut *sensûs intimi*; si enim serventur *leges* in Logicæ Practicæ Differt. II. singulis præscriptæ, ex omnibus prædictis oriri potest *evidentia*.

Solvuntur Objectiones.

Idea clara & distincta reconcilia-

OB. 1. In *Exercit. præc. Ideam claram & distinctam* Cartesii pro criterio veritatis (in rebus saltem physicis)

cis) statuimus, hic autem alte de illa silemus: ergo nobismet ipsis contradicimus. R. D. A. Statuimus pro criterio veritatis in eo sensu, quatenus coincidit cum *evidentia sensuum* C. A. in sensu formali *Cartesii* N. A. & C. Nam Cartesius præterea supponit ideas rerum *a Deo* nobis inditas, indeque *eas falsas esse non posse*, ut paulo ante dictũ est; ex quo supposito plurima deducit in *Physica*: in hoc autem quam maxime fallitur, quod *res* ipsas, potius *ideis* suis, quam *ideas rebus*, rerumque naturis, rite prius exploratis accommodet; & sane alii æque præstantes Philosophi longe *alias* & multum *oppositas* habent ideas Philosophicas, quam CARTESIUS; impossibile autem est, ut DEUS mentibus indat ideas adeo *diversas* & *oppositas*; unde illa Cartesii supposita nos non admittimus.

tur cum ista sententia.

Inst. Impossibile est, ut illud, cujus *ideam claram & distinctam* habemus, non sit verum: ergo idea clara & distincta etiam in sensu Cartesii debet statui pro Criterio veritatis. R. D. A. Ut prius, si idea clara & distincta sumatur pro evidentia sensuum aut mentis. C. A. in sensu Cartesii N. A. vel Subd.

 cir-

circa principia immediata & prima C. A. circa omnes omnino veritates N. A & C. Certe sola *claritas*, qua aliquid menti primo repræsentatur, non sufficit ad *veritatem* ideæ; sæpe enim propositio ex ideis composita, quæ prima fronte nobis apparuit omnino *vera*, re melius discussa, deprehensa est *falsissima*: si vero per *ideam claram & distinctam* a quibusdam intelligatur *idea objecto seu essentiæ rei conformis & vera*, rursus quæri potest, ex qua nota & norma illa veritas dijudicanda sit? & responderi debet: *Ex Regulis Logicalibus, evidentiam parientibus*; secus enim solummodo sensus esset: *verum est id, quod verum est*, essetque adeo propositio *identica*, & probaretur idem per idem, quod est contra N. CCXXVII. Adeoque idea clara & distincta Cartesii (si non accipiatur pro evidentia mentis aut sensuum) tantum dici debet Criterium *immediatum proximum & dirrectum*, vel potius Dirigendum a regulis Logicalibus (quia in regulas Logicales illa idea clara se *reflectere* debet, ut sit vera) vel aliter: *Idea clara & distincta* in rebus physicis potest dici criterium rei *simpliciter apprehensæ*, regulæ autem communes Logicæ

gicæ unacum evidentia denominandæ sunt criterium rei *judicandæ* & ad *ratiocinium* deductæ. Vel denique loquatur quilibet mea pace in hac thesi, quomodocunque libuerit; nam de *terminis* non disputo, dummodo *in re* conveniamus.

Ob. 2. Evidentia est causa plurimorum errorum, sicut *idea clara & distincta Cartesii*: ergo etiam pro criterio veritatis statui nequit. P. A. Epicurus videbatur sibi *evidenter* cognoscere, dari vacuum, Aristoteles mundum esse æternum, & P. Malebranchius, se omnia videre in essentia Divina &c. & tamen hi omnes errarunt: Ergo. R. D. A. Evidentia non satis examinata, nec regulis in utraque Logica præscriptis debite utens C. A. bene & rite ponderata N. A.

Evidentia mentis cum debitis cautelis adhibita non fallit.

Inst. 1. Evidentia supponit aliud criterium, ex quo certi evadamus, nos hic & nunc illam habere: ergo non est adæquatum ac ultimatum. R. D. A. Supponit aliud criterium materiale & reflexum, nimirum regulas Logicæ criticæ C. A. aliud formale N. A. & C. ipsa evidentia ex summi creato-

Nec aliud criterium magis ultimatum supponit.

ris beneficio est tam vivida & actuosa animi lux, ut instar *lucis corporeæ* & se ipsam & objecta menti nostræ clare exhibeat ac demonstret, juxta illud receptum: *quod est alteri ratio essendi tale, sibi ipsi est tale*, sicut nec *oculus* v. g. per alium oculum videt, nec *albedo* per aliam albedinem est *alba*.

In rebus credibilibus datur etiam quædam evidentia.

Inst. 2. In rebus *credibilibus* nulla datur *evidentia*, sed potius *obscuritas*: ergo nostrum criterium non est universale. R. D. A. non datur evidentia respectu *materiæ* credendæ C. A. respectu *mentis*, evidenter convictæ, quod res revelatæ ita se habeant, ut a persona omni exceptione majore traditæ sunt. N. A. & C. (CCLXXXI.) Intra nos oritur evidens hoc judicium, *fieri non posse, ut omnes vel plurimi homines, sana ratione utentes, & idem testantes fallantur aut fallere velint*, maxime si sint homines religiosi ac *pii*, & ad hoc *Divina* etiam *authoritate* deputati &c.



EXER-

EXERCITATIO IV.

AN SCIENTIA FIDES, ET OPINIO POSSINT SIMUL STARE IN EODEM INTELLECTU DE EADEM RE?

SCientia (CCCXXXII.) *opinio* (CCCXXXIX.) & *fides* (CCLXXVIII) in hoc ab invicem discrepant, quod *scientia* sit cognitio *certa*, & *evidens* rei necessariæ; *opinio* vero est *incerta*, & rei probabilis; *fides* autem (saltem *Divina*) est quidem *certa* (per quod distinguitur ab *oppinione*) sed est *inevidens*, & *obscura*; propositio enim *credita* non determinat intellectum ad assensum ex vi *terminorum*, sed solum per *authoritatem* dicentis aut revelantis, per quod distinguitur a *scientia*. Differentia inter scientiam opinionem & fidem.

Sensus ergo quæstionis est, an *scientia* tam *actualis*, quam *habitualis* stare possit in eodem intellectu cum *opinione*, aut *fide* tam actuali, quam habituali de eadem propositione? Status quæstionis.

Dico 1. *in eodem intellectu;* certum enim est, idem objectum posse *sciri* ab uno intellectu, ab altero tantum

probabiliter, & *opinative* cognosci, & ab altero *ignorari*, per errorem. Sic v. g. Aliqui Philosophi *scientifice*, & demonstrative noverunt *immortalitatem animæ*; aliqui solum *probabiliter* eam adstruebant, Athei vero eam omnino negaverunt. Dico 2. *de eodem objecto*; potest enim idem intellectus aliquid certo *scire*, aliud tantum *probabiliter* cognoscere, aliud denique credere, ut apud omnes in confesso est. Nunc pro resolutione hujus quæstionis sequitur.

PROPOSITIO. I.

OPINIO, SCIENTIA ET FIDES ACTUALIS SIMUL HABERI NON POSSUNT IN EODEM INTELLECTU CIRCA IDEM OBJECTUM SECUNDUM EANDEM RATIONEM SEU FORMALITATEM CONSIDERATUM.

Opinio & scientia actualis nequeunt simul stare.

PROBATUR 1. *De opinione & scientia.* Repugnat, idem de eodem ab eodem affirmari & negari: atqui si *opinio* & *scientia* actualis de eodem ab

ab eodem intellectu haberentur, idem de eodem ab eodem affirmaretur, & negaretur: ergo opinio & scientia actualis simul haberi non possunt &c. M. patet ex illo axiomate: *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* m. P. Ab Aristotele *L.* 1. *Post.* C. 30. n. 7. ubi sic loquitur: *ex his perspicuum est, fieri non posse, ut eandem rem simul opinetur quispiam, & sciat, alioquin existimaret, eandem rem aliter se habere posse (per opinionem) & non aliter (per scientiam) quod fieri nequit. - - Existimabit exempli causa, hominem esse id ipsum, quod animal, hoc est, non posse esse non animal, & non id ipsum, quod animal, hoc est, posse esse non animal*: ergo idem de eodem affirmaretur, & negaretur: hinc bene concludit Doctor Subtilis. *in* 3. *dist.* 24. *n.* 12. *Cum scientia & opinio sint simpliciter incompossibiles in eodem de eodem, si aliquis habeat primo opinionem de aliquo, & superveniat demonstratio, corrumpitur opinio - - & medium dialecticum* (probabile) *nihil faciet, impeditum a demonstrativo.*

Probatur. 2. *De scientia & fide.* Idem objectum secundum eandem formali- Nec sciētia cum fide actuali.

malitatem, & respectu ejusdem potentiæ nequit *esse*, & *non esse evidenter cognitum* (esset enim *contradictio*) atqui si posset esse respectu ejusdem intellectus objectum *scientiæ* & *fidei*; idem foret *evidenter*, & *non evidenter* cognitum, *evidenter* quidem, quia ex Hypothesi esset objectum *scientiæ*: *inevidenter* vero, quia esset objectum *fidei*, quæ essentialiter est *inevidens* & *obscura* &c. Unde præclare S. Augustinus *tract.* 40. *in Joan.* inquit: *quid est fides, nisi credere, quod non vides?* & *tract.* 68. *fides autem, quod non videt, credit; nam si videret, jam non esset fides.*

Etiam per diversa media.

Respondent *adversarii*, fidem & scientiam non posse quidem haberi de eodem secundum idem *per idem medium*, bene vero per *diversum*; sicut v. g. potest quis aliquid videre *clare* & *obscure*, si nempe unum habeat oculum *sanum*, alterum vero *tenebrosum*, aut sicut idem vultus *clare* potest videri in speculo *nitido*, & *obscure* simul in speculo *sordido*, aut halitu infuscato. Sed

Contra

Contra est. Contradictorie opposita neque *ex diversis mediis* simul stare possunt: atqui scientia & fides sunt *contradictoria*, cum prior sit *clara* & *evidens*, posterior autem *non clara* sed *obscura*, & *non evidens*: ergo scientia & fides neque ex diversis mediis possunt simul stare, & sane juxta omnes *scientia* & *fides* ita necessario *diversis* innituntur *mediis*, ut prorsus repugnet: medium *obscurum* & *inevidens fidei* ad medium *scientificum evidentis demonstrationis* obtinendum posse inservire: ergo vel *scientia* nullo modo *fidei* adversatur, vel ad hanc tollendam *oppositionem* diversitas mediorum non sufficit. Nec aliquid probant allatæ paritates; nam 1. Idem quidem objectum *clare* & *obscure* videri simul potest, sed *non* ab *eadem potentia*, & *eodem oculo*: econtra conclusio de eodem ab *eadem* potentia (*intellectu* scilicet) *clare* & *obscure* cognosci nequit. Neque ad 2*dum* est *idem* objectum secundum esse *repræsentativum* in duobus speculis; repræsentatur enim objectum per sui species, quæ *multiplicantur* in utroque speculo: non sic in nostra thesi: unde bene rursus ait Scotus

Loc.

Loc. cit. n. 13, *impossibile est, de eodem esse simul scientiam & fidem.*

PROPOSITIO. II.

HABITUS TAMEN SCIENTIÆ, FIDEI, ET OPINIONIS POSSUNT ESSE IN EODEM INTELLECTU DE EODEM OBJECTO PER DIVERSA MEDIA.

Habitus tamen simul consistere valent.

PROBATUR. Possum enim v. g. habere *fidem* de futuritione Anti-Christi, quia eum esse venturum Christus Dominus in Evangelio prædixit; & *opinionem*, an ex Matre Judæa, & patre gentili sit nasciturus? & *scientiam*, quod sit futurus *animal rationale*, quia erit *homo*: ergo de *eodem* objecto per diversa media, & secundum diversas rationes considerato possunt haberi prædicti habitus. Ita expresse quoque docet DOCTOR SUBTILIS *in* 3. *Dist.* 24. *N.* 21. ubi ait, sanctos Petrum & Joannem, qui *viderunt* Christum Dominum crucifigi, non potuisse *fidem actualem* habere de illius crucifixione; *habebant tamen*, inquit, *habitum, quo credidissent* crucifixio-

fixionem, *si non vidissent*: ergo censet *habitum fidei* simul stare cum *actu*, & multo magis *cum habitu scientiæ*. CONFIRMATUR. Habitus est tantum *facilitas* operandi: atqui una *facilitas* non opponitur alteri: ergo possunt simul stare. P. m. Potest enim quis simul habere *facilitatem* seu habitum *saltandi* v. g. *equitandi*, *pingendi*, *disputandi*, *terram metiendi &c.* quamvis non simul & semel *actus* illarum artium vel scientiarum ponere & exercere queat: ergo licet illi *actus* opponantur (*juxta Prop. I.*) *habitus* tamen stare possunt. Nam *formido* e. g. in opinione afficit tantum *actum* opinandi, & non *habitum*, quia, antequam *actu* opiner de aliqua re, nec de *formidine* vel cogito. Item si habeo habitum *opinandi* vel *credendi*, per habitum *demonstrandi* habitus priores non *destruuntur*, sed tantum per actus *ligantur*; possum enim adhuc opinari actu demonstrationis præterito, potentia scilicet *reducibili* ad actum, non tamen in eodem instanti *reducenda* ad actum, ut scholæ loqui amant.

Solvuntur Objectiones.

CONTRA I. PROP.

Habitus simul stare possunt quoad existentiam, non vero quoad causalitatem.

OB. I. *De scientia & opinione.* Quotiescunque duæ *causæ* sunt compossibiles in eodem, etiam *effectus* debent esse compossibiles: atqui juxta Prop. II. *habitus* scientiæ, & opinionis sunt simul compossibiles in eodem intellectu: ergo etiam *actus* erunt compossibiles. R. cum SCOTO loco *supra cit. N.* 21. D. M. Quando causæ sunt compossibiles *in simul causando* C. M. quando causæ sunt tantum simul compossibiles *in existendo* N. M. & sic D. m. N. C. *si enim*, inquit *causæ ambæ sint in eodem, scilicet medium Dialecticum, & demonstrativum, Dialecticum nihil faciet, impeditum a medio demonstrativo.*

Scientiæ essentialis est evidentia, opinioni autem non evidentia.

OB. 2. Actus *scientiæ & opinionis* neutiquam sibi mutuo adversantur: ergo possunt simul stare. P. A. Nam uterque actus potest esse *verus*, simulque *affirmativus* vel *negativus.* Ergo. R. N. A. ad P. N. C. contrarii enim mutuo sibi sunt illi actus, non ideo, quia

unus

unus est *verus*, sicut alter, aut *affirmativus* vel *negativus*, sed quia ratione cognitionis *scientificæ* intellectus nequit ambigere aut *formidare* de veritate objecti; ratione *opinionis* vero nequit non dubitare & *formidare*, quæ sunt *contradictoria*, quibus adeoque intellectus simul & semel assentiri non valet.

Inst. 1. Non repugnat, ut v. g. objectum aliquod ratione *albedinis* visum vehementer perstringat, simulque ratione *odoris* eum ne leviter quidem afficiat: ergo neque repugnat, ut ratione medii *scientifici* mens rem aliquam *certo evidenter* cognoscat; ratione vero medii *probabilis* simul de eodem opinetur tantum. R. N. C. & *Par. Disp. est*, quia *odor ne leviter quidem* impedit, quo minus ratione *albedinis* objectum valide *visionis* organum immutet (cum *aliud* prorsus organum, nempe *nares* afficiat) econtra medium *scientificum* omnino *impedit* probabilitatem; nam de ratione *scientiæ* est, ut de veritate rei cognitæ ne quidem *radicaliter* sive *remote* dubitet: at de intrinseca ratione *opinantis* est, ut remote saltem ambigat de perceptæ rei

veri-

veritate. Et *disparitas* ulterior est, quia medium scientificum & probabile *eandem* potentiam, *intellectum* scilicet, afficiunt in eoque contrarios ejusmodi effectus producunt.

Inst. 2. Potest quis munus aliquod habere a Petro, simulque illud non habere a Paulo; ergo etiam mens potest certo cognoscere objectum ope medii scientifici, & simul illud certo non cognoscere ope medii probabilis. R. D. C. Ita ut metuat, ne verum sit, quod per medium scientificum cognoscit N. C. ita ut nullo modo dubitet de veritate, sed solum judicet, medium probabile satis non esse ad firmam mentis adhæsionem impetrandam C. C. & N. C. porro sicut non potest quis accipere munus a Petro, & simul illud ita non accipere a Paulo, ut simul aliquid a Paulo accipiat, quod illi muneri *contrarium* sit, ipsumque destruat, ita etiam repugnat, ut habita evidenti rei cognitione ope medii *scientifici* simul possit mens ita illam non habere ope medii *probabilis*, ut ratione hujus simul valeat eadem de re *opinari*.

Inst.

Inst. 3. Lux major non impedit minorem: ergo nec scientia opinionem; & consequenter potest quis circa idem objectum habere rationem evidentem & probabilem. R. N. C. & *Par. Disp.* est, quia lux major & minor sunt in *eadem* serie, & tantum differunt *per gradus*: *evidentia* vero, & *non evidentia* sunt in *diversa* serie, & opponuntur *contradictorie.*

Inst. 4. Scientia & opinio sunt duo entia *positiva*: ergo non opponuntur contradictorie. R. D. C. Explicite & in se consideratæ C. C. implicite & ratione annexæ *evidentiæ* & *non evidentiæ*, aut *formidinis*, & *non formidinis.* N. C. & C. & *Retorq.* etiam duo motus contrarii sunt duo entia *positiva*, & tamen implicite unus involvit privationem alterius, nec possunt convenire *eidem* mobili secundum idem.

Inst. 5. Opinio est *aliqualis* certitudo, & scientia est *omnimoda certitudo*: ergo sunt in eadem serie. R. D. A. Et prima est *non evidens*, & *non clara*

ex natura sua, altera vero *evidens* & *clara* C. A. utraque in eadem serie *evidentiæ* aut *claritatis* N. A. & C.

Inst. 6. Opinio potest esse sine omni formidine: ergo potest stare cum evidentia. R: D: A. Sine formidine actuali C. A. sine *radicali* N. A. & C. scientia autem *omnem* omnino *formidinem* excludit.

Inst. 7. Si opinio semper relinqueret *formidinem* saltem radicalem: ergo, quo *major* esset probabilitas & opinio, eo *major* esset formido: atqui hoc non; ergo opinio non semper relinquit formidinem. R. N. S. M. *essentiæ enim rerum*, ut axioma tenet, *non suscipiunt magis & minus*, sed *consistunt in indivisibili*; sic enim v. g. una aqua non est *magis aqua* quam altera, nec unus homo *magis homo* quam alter. (LV.) sola vero *qualitas*, ut in scholis dicitur, *suscipit magis & minus* (LVIII.)

OB.

Ob. 3. Eadem conclusio potest niti una præmissa evidente, & altera probabili: ergo etiam eadem conclusio potest esse evidens ratione *scientiæ*, & probabilis ratione *opinionis*. R. D. A. Ita tamen, ut conclusio sequatur tantum probabilem C. A. evidentem, N. A. & C. essentia Syllogismi consistit *in vi illativa*, hinc si ista solum *probabiliter* tenet, etiam sola præmissa *probabilis* in ordine ad illationem influit, quia non aliter est vis illativa in conclusione, quàm fuit convenientia *majoris* & *minoris extremi* cum tertio, scilicet *medio termino*, ideoque etiam sola *probabilitas*, & non *evidentia qua talis*, sed *qua conveniens in illo tertio* infertur in conclusione. In *conclusione* porro; ut vocant, *Theologica*, ubi ambæ præmissæ sunt *certissimæ* (una nempe *scientifica*, altera vero *de fide* e. g. *Omnis homo est animal rationale*: *Christus est homo*: *ergo est animal rationale*) neutra præmissarum prævalet, sed una potius impedit alteram, scientia nempe propter *evidentiam* impedit fidem, fides autem propter *obscuritatem* impedit scientiam, unde tantum generant assensum fir-

Conclusio sequitur tantum probabilis ex una præmissa scientifica, & altera probabili.

mum fidei proximum, qui dicitur *actus Theologicus*, de quo Theologi.

Inst. 1. Actus *contritionis* potest procedere ex *diversissimis motivis*. e. g. Ex motivo *naturali* ob vindictam DEI temporalem, & ex *supernaturali* ob metum gehennæ, aut ex amore DEI: ergo etiam eadem conclusio potest inniti scientiæ, & opinioni. R. N. C. *Disp.* est, quia in *primo* casu manet *eadem series*; utrobique enim habeo *formidinem*: econtra in *secundo* casu *esset formido* propter opinionem, & *non esset* formido propter scientiam.

Inst. 2. Secundum diversa subjecta sive personas potest quis esse *doctus*, & *indoctus*, *magnus* & *parvus* &c. ergo etiam secundum diversa media potest quis *opinari* & *scire*. R. N. C. *Disp.* est, quia in *primo* casu ille homo semper manet *intrinsece* idem, & tantum *ab extra* ei advenit aliqua *denominatio*, ipso prorsus immutato: ast in *secundo* casu opinio & scientia *eundem* ipsum intellectum afficiunt *intrinsece*, illum ipsum

ipsum reddendo *evidentem* & *non evidentem*, quod simul & semel fieri repugnat.

Inst. 3. Voluntas potest aliquem diligere ob tale motivum e. g. ob *scientiam*, & simul odio habere ob aliud v. g. ob *perversos mores*: ergo etiam intellectus potest scire & opinari *ex diversis mediis*. R. N. C. *Disp.* est, quia in *primo* casu scientia non est incompatibilis cum perversis moribus (cum unum alterum non neget) econtra opinio cum scientia; objectum enim, quod semel, & absque ulla formidine de opposito intellectui relucet, illum *necessitat* ad assensum, ita ut nullo modo, ne radicaliter quidem possit *formidare* sive opinari.

Ob. 4. *De scientia & fide.* Potest aliquis *scire* Deum demonstrative; & simul *credere* illius existentiam: ergo *scientia* & *fides* possunt simul stare. R. D. A. ita ut habitualiter sciat: & actualiter credat, vel econtra C. A. simul & semel per actus N. A. & C. dein potest quis *scire* Deum ut authorem na-

Qui scit Deum nequit illum in eo instanti etiam credere.

naturæ, simulque illum *credere* ut authorem *gratiæ*, in quo nulla est contradictio, quia ambo actus non cadunt supra *idem*.

Inst. 1. Ipsa rei evidentia potest esse motivum determinans mentem ad credendum, uti testatur D. THOMAS Apost. cui Christus dixit *Joan.* 20. quia *vidisti me Thoma, credidisti*: ergo scientia & fides possunt simul stare. R. D. A. Ita ut tunc *aliud* evidenter sciatur, & *aliud* credatur C. A. ita ut *idem* sit scientiæ fideique objectum N. A. & C. S. THOMAS *Christi carnem palpando, illius divinitatem credidit*, ut ait S. Gregor. P. *Homil.* 26. *in Evangel.* adeoque *aliud* vidit & *aliud* credidit.

Inst. 2. Plurimæ propositiones simul ex *ratione*, simulque ex *Authoritate* confirmantur, maxime in Theologia: ergo *sciri* possunt, & *credi*. R. D. A. ita ut *ratio* evincat eas esse *veras*, & *authoritas*, eas non esse *novas* C. A. ita ut tam ratio quam authoritas eas esse *veras* ostendat sub D. si ratio sit de-

demonstrativa, & authoritas sit divina C. A. si ratio sit solum *probabilis*, & authoritas tantum *humana* N. A. & D. C. sciri possunt & credi actualiter, N. C. habitualiter & per actus successivos C. C. & N. C. possunt etiam actus scientiæ & fidei in eodem intellectu *simul esse*, si *simultas* intelligatur pro immediata consecutione, ita, ut, qui elicuit actum scientiæ circa unam formalitatem objecti, statim exercere possit actum fidei circa *aliam*.

Solvuntur Objectiones.

CONTRA II. PROP.

OB I. Actus fidei, scientiæ, & opinionis repugnant: ergo etiam habitus. R. N. C. & *par. disp.* est, quia habitus non conferunt *actu* evidentiam, certitudinem, vel inevidentiam & incertitudinem intellectui, sed tantum *facilitatem*, ut pro diversa dispositione facultatis & motivi propositi intellectus nunc clare, nunc obscure, nunc certo, nunc incerto tendat in obje-

Disparitas, quare actus opponantur, non vero habitus.

ctum: econtra *actus* suam *rationem formalem* intellectui communicat; unde quando actus est certus & evidens, suam evidentiam, & certitudinem communicat intellectui; quando vero incertus est, & inevidens, efficit intellectum dubium & inevidentem, repugnat autem eundem intellectum respectu ejusdem objecti esse simul *certum & incertum*, *evidentem & inevidentem*: igitur etiam repugnat, præfatos actus respectu ejusdem objecti simul consistere.

Inst. 1. Contraria nequeunt esse simul; sed habitus fidei, scientiæ & opinionis sunt contrarii: ergo nequeunt esse simul R. D. m. sunt contrarii, quando versantur circa idem objectum per idem motivum C. m. quando versantur circa idem per diversa media N. m. & C. vel aliter D. m. sunt contrarii respectu actuum C. m. respectu sui N. m. & C.

Inst. 2. Error & scientia circa eandem rem nequeunt esse simul in intellectu etiam *per diversa media*: ergo nec

habi-

habitus fidei, scientiæ, & opinionis. R. D. A. nequeunt esse simul *secundum eandem formalitatem*, ita ut error *idem* neget, quod scientia affirmat, vel econtra C. A. *secundum diversas formalitates*, ita ut error neget aliquid de objecto, & scientia *aliud*, non autem *idem* affirmet de eodem N. A. & C. potest aliquis v. g. scire se habere animam *spiritualem*, & simul per errorem aut hæresin negare, eam esse *immortalem*.

Inst. 3. Tales sunt *habitus*, quales sunt *actus*: ergo si actus opponuntur, etiam habitus sic opponuntur R. D A. id est, habitus exigunt elicere actus similes iis, a quibus sunt producti C. A. tales sunt in entitate N. A. & C. habitus tantum dicunt *posse*, super *posse* autem non cadit contradictio, alias enim etiam in eadem *voluntate* v. g. daretur contradictio, quia ista æque *potest* velle, quam non velle, sicut & Petrus & Paulus habent *simul potentiam* occupandi eundem numero locum, quamvis *actualis* occupatio ejusdem loci non possit simul ab ambobus exerceri

quoad actus. Igitur *habitus* tantum *ratione actuum* sibi opponuntur, quia isti actus ponunt *exercitium actuale*, in quo unus alterum omnino impedit habitus vero dicunt tantum *potentiam facilem & expeditam* ad ejusmodi exercitium *aliquando* ponendum.

Inst. 4. Habitus opinionis adveniente scientia perit: ergo non possunt simul stare: R. N. A. non enim *perit*, sed tantum *ligatur*, & ita quidem, ut, licet cum scientia simul non sit *reducenda* in actum, sit tamen adhuc *reducibilis*, in alio scilicet instanti, ubi scientiæ actus abest. Hinc etiam D. A. perit, id est tunc non exit in actum C. A. non manet quoad facilitatem & potentiam expeditam N. A. & C.

Inst. 5. Non potest simul stare: *posse esse hominem*, & *non posse esse hominem*: ergo etiam *posse* & *non posse* quoad habitus simul stare nequeunt, R. C. totum. Ast *N. suppos.* quod habitus dicat *non posse*; sed uterque &

omnis habitus dicit *posse*. Cæterum primum hocce opusculum meum nunc finiens: cum S. AUGUSTINO *Epist.* 143. ingenue *fateor*, *me ex eorum numero* Conclusio operis. *esse conari*: *qui proficiendo scribunt*, & *scribendo proficiunt*: *unde si aliquid vel incautius*, *vel indoctius a me positum est*, *quod non solum ab aliis*, *qui videre id possunt*, *merito reprehendatur*, *verum etiam a me ipso* (*quia* & *ego*, *saltem postea*, *videre debeo*, *si proficio*) *nec mirandum est*, *nec dolendum*, *sed potius ignoscendum atque gratulandum*, *non quia erratum est*, *sed quia improbatum. nam nimis perverse se ipsum amat*, *qui* & *alios vult errare*, *ut error suus latet. Homines enim sumus* (inquit idem S. Doctor *l.* 2. *de Baptis. contra Donatistas n.* 6.) *unde aliquid aliter sapere*, *quam res se habet*, *humana tentatio est*, *nimis autem amando sententiam suam*; *vel invidendo melioribus* - - *diabolica præsumptio est*; *in nullo autem aliter sapere*, *quam res se habet*, *angelica perfectio*.

Denique omnia, quæcunque scripsi, S. R. Ecclesiæ examini libentissime subji-

ſubiicio. Et *verbum illius ſumma mihi ratio eſt, removeo argumenta, removeo diſputationem. Sola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis: non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare.* Caſſianus *l.* 4. *de Incarn. c.* 6.

O. A. M. D. G.



IN-

INDEX RERUM.

A.

Argu-

C.

Cate-

&

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

Q.

R.

Regu-

S.

Shola.

Speci-

U.



ERRATA.

Pag.	Lin.	pro	Lege.
7.	27.	Methaphyſica	Metaphyſica
25.	4.	Parienſis	Pariſienſis.
cit.	18.	cira	circa.
36.	1.	videatur	videantur.
38.	3.	vigilatio	vitiligatio.
58.	22.	ſt.	eſt.
96.	3.	ad exprimendas	*addatur* &c.
149.	2.	qua	quæ
168.	3.	CXXXII.	CXXXI.
226.	15.	ἐνδυμόομαι	ἐνδυμέομαι.
293.	8.	mertito.	merito.
432.	*in margine* primorum religionum, primorum principiorum.		
435.	23.	rationes	nationes.
438.	*penult.*	facundi	fœcundi.
440.	11.	conſenda eſt	cenſenda eſt.
442.	*ult.*	duo ſigna ⋈ ⋈	mutentur in ſigna ☨ ☨
444.	6.	quod	quot.
cit.	15.	quondam	quosdam.
446.	13.	exiſtere	exſtitere.
616.	15.	facilitat &	& facilitat.
617.	7.	D. A.	C. A.
621.	1.	ut	utut.

Leviora Lector benignus corriget.





